

HISTORICA NARRATIO PROFECTIONIS ET INAVGVRATIONIS SERENISSIMORVM BELGII PRINCIPVM ALBERTI ET ISABELLÆ, AVSTRIÆ ARCHIDVCVM.

Et eorum optatiſſimi in Belgium Aduentus, Rerumque geſtarum et memorabilium, Gratulationum, Apparatuum, et Spectaculorum in ipſorum ſuſceptione et INAVGVRATIONE hactenus editorum accurata Deſcriptio.

AVCTORE
IOANNE BOCHIO S.P.Q.A. À SECRETIS.



ANTVERPIAE
EX OFFICINA PLANTINIANA, APVD IOANNEM MORETVM. cIↄ.Iↄcii.

AD PRINCIPES SERENISSIMOS,

AVSTRIÆ ARCHIDVCES,

BVRGVNDIAE ET BRABANTIAE

DVCES

ALBERTVM ET ISABELLAM,

DOMINOS NOSTROS CLEMENT^MOS

Præfatio.

NON inuſitato nec nouo exemplo fecimus, PRINCIPES SERENISSIMI, cùm profectionem ex Hiſpania veſtram, per Italiam & Germaniam, aduentúmq; in Belgium deſcripſimus, ac ſuſceptionem & inaugurationem litteris conſignauimus. Huiuſmodi apparatus ſolemnéſq; pompas, antiquas, recentiores, noſtróque æuo editas in lucem nobis dedit Franciſcus Modius Brugenſis, in illo volumine, quod Pandectas triumphales vocat. Sed vt reliquos omittamus, Ioannis Calueti Stellæ Hiſpani Itinerarium ſumus ſecuti, quo ille Diuorum Caroli Quinti & Philippi parentum veſtrorum per has regiones profectionem ſua lingûa complectitur. Videbam enim præter voluptatem, quam Lector ex illa ſcriptione capiebat, hunc etiam fructum percipi, vt cùm dubitaretur de ritibus introitus, de ſolemnitatibus Celſitudines veſtras inaugurandi, aliiſque cærimoniis ac conſuetudinibus, codex ille ſtudioſè quæreretur & euolueretur. Nam paternis veſtigiis non ſecus quàm virtutibus vbique inhærere propoſitum vobis eſſe, non modò ex heroicis actionibus veſtris vidimus, ſed expreſſis

etiam verbis palàm declaraſtis. Quamobrem hoc opus eò gratius fore confidimus, quo propius ad paternam imitationem accedere videbitur. Sed vtinam eâdem quâ inclytus veſter parens ad nouum Principatum fortunâ veniretis; vtinam noſtræ voluntati in vobis ſuſcipiendis, quam habemus ardentiſſimam, facultates reſponderent! Rex pater prouincias introiuit pacatiſſimas; vos eas ingredimini belli flammis conflagrantes. Ille diuites inuenit opibúſque florentiſſimas; vos omnium fortunas inteſtinis hiſce motibus euerſas reperitis. Vidit ille integras, locupletes & refertas; vos mutilas deprehenditis, miſeras perditáſque. Quòd ſi calculum ſubducamus opulentiæ eius æui, rerúmq; vbertatis & felicitatis, cum hoc ſtatu impedito & difficultate, auum illum veſtrum ſæpenumerò & parentem, Belgicarum ditionum facultatibus adiutos, copiis inſtructos, hoſtibus formidabiles, potentes & victores fuiſſe demonſtrabimus; veſtræ Celſitudines ad Belgium liberandum à prædonibus immaniſſimis ex Hiſpanicæ monarchiæ theſauris depromunt, & ſubſidia conferũt, quæ maximus ille Regum frater veſter & cognatus liberaliter ſuppeditat. Quicquid igitur deuotiſſimæ noſtræ ciuitates ad vos excipiendos operæ contulerunt, quicquid votis feruẽtiſſimis impenderunt & ſtruxerunt, id exſpectationi, quam de aduentu veſtro optatiſſimo conceperunt, tribuẽdum cogitate. Etſi enim veſtris meritis (quæ maxima eſſe nemo inficiabitur, ſi generis præſtantiam inſignéſque virtutes & fortunam ſpectemus, qua proximè ad Diuos & Auguſtos acceditis) hos omnes quos edidimus, & maiores triumphos deberi fateamur, vt nullus apparatus nec ludi nec ſpectacula eximio ſplendori, quo ſupra reliquos mortales effulgetis & radiatis, poſſint ſatisfacere, aut gloriam exæquare, qua nulla eſt illuſtrior; ex ipſo tamen triumphi argumento facilè animaduertitis quid à vobis exſpectemus, quid votis flagitemus, quid præſens rerum ſtatus deprecetur & requirat. Pacem exoptamus, pacem petimus & oramus, & vel nobis tacentibus

A ipſa

ipſa ſymbola, inſcriptiones & emblemata noſtra pacem rogant expetúntque. Arcus ereximus moléſque triumphales, vt de hoſtibus victis vel reſipiſcentibus glorioſè triumphetis. Nec aliud pegmata noſtra declarant, quàm ſpectacula poſt victoriã, ludóſque apparatiſſimos, quos vobis nunc vouemus. Quæ dum vtrinque fiunt, & ad nos ab hoc bello acerbiſſimo liberandos ſanctas cogitationes & conatus conuertitis, nos iuſtos triumphos ſeriò adornamus; has vobis primitias offerre decreuimus, ea mente & conſilio, vt populi Belgici Principibus ſuis deditiſſimi & fideliſſimi ſtudia & deſideria, quæ perſpecta iam habetis, æternis litterarum monimentis conſecrentur, ne eorum memoria quæ vobis ediderunt, cum materiata ſtructura intercidat, dum debita veſtris virtutibus trophæa marmorea præparantur. Ceterùm ab exceſſu Erneſti præſtantiſſimi Principis, Alberte Sereniſſime, ad tuum ex Hiſpania aduentum, & præfecturam feliciter geſtam, mutatum in iuſtam poſſeſſionem imperium, itinerarium in Hiſpaniam cum ſponſa Regina, reditúmque per Italiam & Germaniam cum coniuge Sereniſſima, optatum in dotalem Principatum ingreſſum, cum rebus in itinere geſtis, inauguratione & ſuſceptione in Belgio veſtra, ea ſerie qua ſunt acta fideliter deſcripſimus. Ex quibus colligetis, ſi Hiſpanicos triumphos & Italicos cum Belgicis cõferatis, ſi quietem diuturnam illarum regionum cum triginta quatuor annorum turbis noſtris, ſi pacem qua florent, cum bello quo atterimur, ſi proſperitatem & opulẽtiam, quibus illæ ornantur, cum afflictis fortunis & inopia noſtra componere vobis libeat, nõ videbitur contemnenda Belgarum gratulatio, ſed aliarum nationum ſpectaculis æquanda. Quis tunc erit plauſus, quod gaudium, quæ hilaritas, cùm veſtras Celſitudines aut victrices ſalutabimus, aut pacatis his motibus concordiæ affectrices & conciliatrices? Hîc mihi pulcherrima verſatur ob oculos Romanorum hiſtoria T. Quinctij Flaminini, cùm auctore Senatu Græcis libertatem Macedonibus victis reddidit;

 non

non enim nisi bello teterrimo hoc confecto liberi vnquam erimus. Et quemadmodum præcone immunes suis legibus Græcos pronunciante, maius erat gaudium, quàm quod vniuersum homines caperent, tantúsque cum clamore plausus est exortus, totiésque repetitus, vt facilè appareret, nihil bonorum multitudini gratius, quàm libertatem esse: sic Belgica tota natio tam insignem gloriæ fructum virtutibus vestris parandum reseruabit. Dum itaque conatus vestros pulcherrimos Deus promouet, nos triumphos instruimus victoriis vestris debitos, hunc ingenij nostri fœtum præmittere decreuimus, vt intelligant omnes gentes, qua Belgæ in Principibus suis excipiendis fide sint & animo; quod ex his auspiciis & inauguratione etiam illi animaduertent, qui præsentes non fuerunt, vt & posteri iudicabunt. Neque aliis hoc opus quàm Celsitudinibus vestris videbatur dedicandum, tum quòd ad triumphos, quos vestræ ciuitates vobis exhibuerunt, eorum etiam descriptio pertineat, tum quòd hæ primitiæ cum imperio vestro natæ, non sint aliò transferendæ, quàm ad ipsos Principes & locorum dominos, præsertim à subdito vobis deuotissimo, nihil aliud in votis habente, quàm vt vobis charus sit, honoríque vestro velificetur. Quod cùm fuerit assecutus, ad reliquas vestrarum Celsitudinum actiones & heroicos successus scriptis consignandos accingetur alacrior.

HISTO-

HISTORICA NARRATIO PROFECTIONIS

SERENISSIMORVM ARCHIDVCVM AVSTRIÆ, DVCVM BVRGVNDIÆ ET BRABANTIÆ,

ALBERTI ET ISABELLÆ:

Et eorum optatissimi in Belgium aduentus, rerúmque gestarum & memorabilium, gratulationum, apparatuum, & spectaculorum in ipsorum susceptione & inauguratione hactenus editorum accurata descriptio.

AB Ernesti Archiducis, Principis verè optimi excessu è vita, cuius sanctas de pace cogitationes hostes Bataui contemserant, & æquissimas conditiones à superstite oblatas superbè & contumeliosè reiecerant, animi eius dotes iam defuncti commendabant (ob egregias nimirum plurimasq; virtutes affectuum commistione ad res maximas gerendas & ad gloriam conformatas, atque ità temperatas, vt specie quadam dispares prudentiâ iungerentur, seueritas lenitate & benignitáte, imperium & potestas, alieno à priuatis commodis animo ornaretur, eiusque summa grauitas, multis humanitatis condimentis mitigaretur) Belgij præfectura ad generosissimum, Illustrissimumque Petrum Henriquez de Gusman Fontium Comitem, qui aliquot ante mensibus, cum maximis mandatis à Rege ablegatus in prouinciam venerat, ab Ordinum Consilio fiduciaria est delata, deinde ab ipso Rege, Principe nostro clementissimo per litteras approbata, vsque ad serenissimi Alberti Austriaci Cardinalis amplissimi, Proregis Lusitaniæ aduentum, quem in Ernesti fratris demortui locum sufficere decreuerat. Comes itaque Fontanus administrationis suæ primordia feliciter auspicatus est ab Huensis opidi in Mosæ ripa siti expugnatione; quod cùm à bello vacuum ac nullius partis esset, Bataui non sine perfidiæ insigni nota, duce Carolo Heraugerio dolo intercepe-rant, & in bona aliena ditionemque serenissimi Eburonum Principis, contra omne ius gentium, & libera vtrique populo commercia, fidemque pactam inuaserant. Ad quod recipiendum Archidux Ernestus ductu Comitis Fontani, Principi Electori Ernesto Coloniensium & Leodiensium Episcopo, copias auxiliares miserat; qui positis ex vtraque fluuij ripa castris, opidum Huense arcemque obsederant, & subsidia à Comite Mauritio Nassouio hostilis exercitus duce missa, celeritate præuerterant. Admotis enim ad muros scalis, cæsisque hostibus, qui maturè se recipere in castrum nequiuerant, primùm opido sunt potiti; deinde machinis bellicis & maioribus tormentis ex editiori loco in arcem dispositis, ac sesquimille ictibus in propugnacula displosis, ad deditionem obsessos coëgerunt, datis conditionibus pro rei indignitate vt plerisque videbatur lenioribus, liberi cum armis & impedimentis egressus. Non hoc rerum successu à pacis rationibus factus est alienior Fontani Comitis animus, neque Batauorum hostiumque sociorum concordiæ per litteras postulata reiecit. Nam cùm illi à Rege Galliarum, & Britanniæ Regina, quibus fœderis vinculo arctè obstringebantur, ad omne commercium cum regnis Hispaniæ,

in quo fortunas suas sitas esse non ignorant, interdicendum tollendumque vrgerentur; accedentibus damnis quæ in agro & pecore recenter acceperant, aggeribus tempestate ac maris æstuariis fluminumq; insolita exundatione superatis & perruptis, animumq; ad colloquium de pace ineunda adijcere viderentur; Fontanus hominum, qui Cæsaris honestissimas, ac S. R. Imperij legationes admittere recusauerant, plurimisque Regis optimi ac Ernesti litteris perbenignè inuitati, nihil de ferocia sua solita remiserant, neque ad vllas concordiæ rationes spectare antea voluerant, mutati consilij occasionem amplectendam ducens, rem per internuncios primùm aggredi decreuit, & illorum de pace explorare sententiam. Sed reuersis, quos miserat, grauissimis viris, & relatione eorumdem audita, cùm neque Regij nominis, neque dignitatis rationem haberi, verùm subditos qui à fide & obsequio defecerant, Principem velle excludere ab actione pacis, ac si partes eius nullæ hic essent, intelligeret, colloquio intermisso, cogitationes omnes ad rem bellicam conuertit. Cuius administrationem non rectè posse procedere animaduertens, nisi prius correctâ militari disciplinâ, quàm exercitum in Veromanduos duceret, rebus in agro Luxemburgico bene gestis, locisque receptis quæ Galli cum Batauis ibidem occupauerant, edicto castrensi promulgato; In militem nefarias de Deo Opt. Max. ac beata Virgine, aut sanctorum aliquo voces proferentem, vel minus reuerenter de iis loquentem, loca sacra profanantem, vel ea diripientem, vim aut iniuriam sacerdotibus, sacrisq; Deo virginibus inferentem, ne in opidis quidem arcibusque expugnatis; & in militem matronas virginesque violantem, impuberes iugulantem, captos deditosque contra pacta trucidantem, vel oblata deditione vi aggredientem, vel iis insidiantem, socios deprædantem, mercatores in castra commeantes spoliantem, sine ducis sui aut tribuni venia ad agendas prædas euagantem, ordines vel locum stationis deserentem, priuatas iniurias monomachia vindicantem, scortum in castra secum adducentem, capitis pœnam statuit.

Quibus ità constitutis, rebusque necessariis ad bellum cōparatis, copias in Veromanduos eduxit. Castellettum arcem Galliæ limitaneam, quatriduo expugnauit; aliisque arcibus captis, aliis commeatu & præsidio firmatis, Dorlanum castra mouit, opidumque arcta obsidione cinxit. Dux autem Bullionius collectis viribus quàm potuit maximis equitum peditumque ex nobilitate Gallica, ad opem obsessis ferendam aduolauit. Fontanus pręsidiis vallo impositis ad eruptiones obsessorum coërcendas, manus cum Bullionio fortiter conseruit, & insigni de Gallis fusis fugatisque victoria potitus est; cæso Villarsio Galliæ Marescallo cum Sencheuallio eius vicario, & plus minus centum nobilibus, aliisque ordines ducentibus; captis etiam quamplurimis, peditatu ad internecionem deleto. Dum in Gallia hæc geruntur, res non minus feliciter Illustri Comiti Bergensi successit, Ducatus Geldriæ præfecto, qui mandatis Fontani cum Christophoro Mondragonio arcis Antuerpianæ præfecto, cum aliquot turmis equitum & cohortibus peditum ad opidum Comitatus Zutphaniæ Grollam à Mauritio obsessum liberandum accesserat: Sed non exspectato regij militis aduentu, Nassouius motis inde castris recessit. Interea Fontanus res omnes comparabat, ad oppugnationē Dorlani necessarias, quod paucis post diebus expugnatum & vi captum fuit, cum magna præsidiariorum strage, quorum vltra mille cadauera reperta sunt, & quàm plurimi nobiles & primarij viri, centuriones & tribuni militares. Dorlano expugnato, munitissimo Galliæ propugnaculo, à maximis Principibus atque exercitibus florentissimis intentato, paucos admodum dies Fontanus intermisit, cùm euocatis vndiquaque maioribus copiis, ad firmissimam vrbem Cameracum castra locat; acceptoque fausto omine è victoriæ nuncio à Bergensi Comite ac Christophoro Mondragonio qui apud amnem Luppiam feliciter pugnauerant, tribus hostium Comitibus captis, vno interfecto; vallis & munitionibus propè vrbem excitatis, arctius eam obsidet, & tormentis maioribus admotis & displosis, paucis post diebus, populi Cameracensis studio & opera recepit. Is enim tam salutis quàm veteris obsequij rationem habens regium militem intromisit, Gallicis pręsidiis cum Balignij domino ad deditionem coactis. Ita Comes Fontanus incruentam de vrbe & arce inexpugnabili victoriam est adeptus. Hostis autem Batauus qui copias regias partim bello Gallico, partim vltra

um vltra Rhenum ſciebat diſtineri impunè aliquid in Brabantia tentandi occaſionem oblatam ſibi ratus, magnopere rebus ſuis conferre exiſtimabat, ſi Liram opidum, paulo plus duobus Antuerpiâ miliaribus, totidemque Machliniâ ſitum interciperet. Sed quia hæc expeditio potiſſimum ad Antuerpienſes ſpectat, in quorum maximè gratiam hæc ſcriptio inſtituta eſt, eius narrationem paulò altius repetamus. Heraugerius igitur, qui ducem ſeſe præbuit, ordines eo tempore apud Batauos ducebat, cùm adminiſtrante has Belgicas prouincias Alexandro Farneſio Parmæ & Placentiæ Duce, heroë fortiſſimo, Batauis ſociiique rebus ſuis diffiſi, ad externa Britannorum auxilia confugerant. Copias itaque miſit eius populi Regina cum Roberto Comite Leyceſtriæ legato, qui principis ſuæ nomine cautionem à Zelandis Bataiuſque acciperet, & pro mutua pecunia in ſumtum belli data, ac in poſterum eroganda, quædam opida loco pignoris Britannici militis præſidio occuparet. Verùm vbi Robertus accepta in poteſtatem Fliſſinga & Briela, cum quibuſdam opidis, quæ vt erant limitanea, ita perſpiciebat ad defenſionem potius cõtra claſſes Regias, quàm ad ſecuritatem Reginæ attributa, in animum induxit prouinciam maioribus præſidiis confirmare, vt vel principi ſuæ abundè cautum foret, vel ſi qua ratione, impoſito in plurimas ciuitates milite, perſuadere illis poſſet, ſe nõ ad auxilium, ſed ad imperium veniſſe, ac Regij nominis odio, quo gens illa tum flagrabat, ſeſe per ſubſidia è Britanniis miſſa ex defenſione principatum affectare; rem aggredi occultis conſiliis inſtituit, quam à feroci populo ſe nullis conditionibus impetraturum ſciebat. Primùm itaque egit cum Theodoro Senoyo legionis præfecto, eiuſque partis Batauiæ, quæ Septentrionem ſpectat, & præmiis hominem ad rem ceteroquin attentiorem eo facilè perduxit, vt omnia præfecturæ ſuæ opida dediturum & in verba reginæ adacturum ſe promitteret. Eandem operam pollicentur Carolus Heraugerius, Nicolaus de Maulde, Coſmus de Peſcarengiis, cum aliquot coniuratis, de Lugduno Batauorum in Comitis Roberti poteſtatem redigendo; inter quos cõuenerat, vt milites Nicolai, cohortem præſidiariam in ea vrbe habentes, porta quadam occupata Heraugerium cum cohorte inſtructiſſima intromitterẽt. Sed coniuratione antè patefacta quàm ad conatum ducta, Nicolaus & Coſmus cum Iacobo Valmario capite pœnas dederunt, Heraugerius Leyceſtrij patrocinio elapſus, Bataiuſque in Comitis gratiam in hac culpa conniuentibus, rebus ſuis conſulendum ratus, ad opidum Bredam capiendum ſe contulit, nauigio quo foſſiles glebæ ſole excoctæ (quibus vice lignorum pro igni Bataui vtuntur) vehi conſueuere, ita apparato, vt ſeptuaginta milites ſub tabulatis tecti ceſpitibus ſuperiectis à nemine conſpicerentur. Proiectæ audaciæ facinus, quod incuria militum præſidiariorum benè illi ceſſit, qui nauis eius aluum priuſquam in arcem intromitteretur, explorare neglexerant. Signo dato per nautam qui intempeſta nocte Sinonis partes agebat, inſidiatores è latebris educti, vigilibus obtrũcatis arce potiuntur, receptiſq; ſocijs & agminibus conſciis, ciues deditionẽ facere coëgerunt, à præſidiariis fuga turpiter elapſis flagitioſè deſerti. Capto opido Illuſtriſs. Philippi Auraici Principis patrimonio, qui immunis à bello in Hiſpania degebat, Heraugerius eidem arcique præficitur. Quamuis autem hoc facinore priorem apud Batauos maculam eluiſſet, tamen ad ingenium, quod habet inquietum, paulò poſt reuerſus, Bredanam præfecturam velut quæſtuoſam quandam officinam datam ſibi ratus, clandeſtina cum Regiis quibuſdam miniſtris colloquia per epiſtolas & per internuncios conſcio & auctore Mondragonio primùm habuit. De reconciliatione cum Regia Ma^te deinde cœpit agere, pretium eius beneficij deditionem opidi pactus & pollicitus. Et ne ſterilis illi foret interea hæc promiſſio, Mondragonium rei quam peroptabat credulum, eius exſpectatione ſuſpenſum detinuit, donec quinque & amplius florenorum millibus in pecunia numerata, & monilibus ſponſalitiis, vxorem enim eo tẽpore ducebat, ſenem emunxiſſet. Quod ſi ducibus Batauorum qui ſummæ rei præſunt, conſciis & conſultis ab ipſo factum fuerit, ſiue non ab omnibus huiuſmodi ſordes militiâ indignas auerſantibus probatum fuerit & laudatum, vbi tamen Heraugerius turpitudinis conſcientiâ fidem ſuam ſi non dubiam eſſe, ſaltem non cenſeri niſi cum exceptione apud Batauos intelligeret, ad caſtrum & opidum Huenſe vti dictum eſt, contra pacta conuenta inuadendum ſe accinxit. Arce

verò per regios & Eburonum Principem citò recuperata, deditionis formulam, quâ incolumem ad suos receptum impetrauerat, ac litteras Mondragonij, per quas de homine retinendo, atque ad rationes rerum præteritarum reddendas compellendo perscripserat, anteuertit; Et in morem fibri, si vera animalis seu fabulosa historia est, eas partes præmordentis, persequente venatore, ob quas se peti nouit, reditus festinationem ab equitibus comitatui deditorum destinatis, auro obiecto redemit. Et licet altero hoc facinore suspicionis maculam quam antea contraxerat, abstersisse videretur, tamen næuum aliquem adhuc manere sciebat. Ad quem eluendum, cùm à trâsfuga accepisset, Liram opidum Brabantiæ non ita quidem magnum, sed natura loci valloque munitissimum, & ad agendas prædas, agrumque populandum situ opportunum, tum ad omnia commercia per subuectionem Scaldis præcludenda commodissimum, intercipi dolo posse, contractis raptim è vicinis præsidiis octingentorum peditum ac centum viginti equitum copiis, pridie Id. Octob. anno nonagesimo quinto supra sesquimillesimum, insidias propè opidum in agro suburbano concubia nocte locat, primoque crepusculo, portam quà Machliniam versùs iter, duce transfuga adoritur. Pons ad portam præbet aditum, fossæ velut quoddam sepimentum interiectus, non frequentibus vt alibi testudinibus suffultus, sed vnico tantùm eoque exiguo fornice aquæ fluxui peruius, cum muris lateritiis vice propugnaculi vtrinque assurgentibus. Explorauerat transfuga ac indicium fecerat, muri fundamenta, quæ ampliori infrà crassitudine construuntur, sub aquis ita latêre, vt iter pedibus ad vallum, accommoda inde accliuitate ascensum facilem præberet. Hoc ergò vadum transeunt vnus & item alter, aliique illorum vestigiis insistêtes vallo conscenso vigilem corripiunt, hominique strictis gladiis mortem comminantes si vel mutire audeat, vocem metu præcludunt, donec pluribus suorum intra mœnia receptis, ciuium sub porta excubantium stationem inopinato opprimerent, aliquos cæderent, ceteros loco pellerent. Tum effractis portæ claustris machinâ quadam ferrea, quam in eum vsum secûm attulerant, reliquus peditatus cum equitatu intromittitur. Ad clamorem & tumultum incolæ excitantur, & accurrunt ad incendium commune restinguendum, vitam & facultates omnes metiuntur fortunâ eius diei. Pugnatur acerrimè, & cum tanta contentione, vt inuasionem fori spacio quatuor horarum animosè inhibuerint, hostem semel retrocedere atque iterum coëgerint, vt equites tergo verso primum peditum agmen tantum non obtriuerint. Tandem hostium numero animoque inualescente, incolis loco pulsis, recrudescit in foro pugna, sed cùm impetum irruentium tam milites quàm ciues ægrè sustinerent, incendio excitato ciuium animis languescentibus, fuga quisque sibi consulit. Opidi præfectus Alfonsus de Luna rem non minus strenuè quam prudenter gerit, fortiterque dimicando pedem retroferens, cum paucis præsidiariis ciuibusque collectis Lisperanam portam occupat, & ad eam tuendam, nihil nô pro loci & necessitatis opportunitate parat & disponit, nuncios Antuerpiam & Machliniam emittit, quo loco res sit indicat, subsidia vt mittant rogat; socios interim cohortatur, vexillum militare in fastigio portæ locat, vt auxiliis aduentantibus procul signum esset, eam opidi partem, sicut nunciauerat, in sua adhuc potestate esse. Ibi Heraugerius seu quòd suos non posset in officio continere, consueto huius æui malo, dissolutâ & proiectâ militari disciplinâ; cui etiam accedebat, quòd copiæ è diuersis præsidiis euocatæ in huiusmodi expeditionibus, aliis quàm suis centurionibus & præfectis minus dicto audientes sunt; siue quòd existimaret, regio exercitu partim in Gallia ac Cameracensi obsidione, partim duce Mondragonio circa Rhenum occupato, à vicinis locis nullo aut infirmo præsidio munitis, nihil planè sibi pertimescendum esse; à conficiendis eius opidi reliquiis securius abstinuit, acceptoque per tubicinem, quem cum deditionis conditionibus miserat, Alfonsi responso, sese nempe quoad viueret, inde non cessurum, portę expugnationem, vbi locum dispexit, vsque in vesperum distulit, ac militi ad prædam per opidum dilapso, licentius quàm prudentius indulsit. Toto itaque opido diffusi grassantur, priuatas ædes spoliant, sacras diripiunt, ac bello Diuorum imaginibus indicto, nullum impietatis scelus prætermittunt. Immanissimus Christiani nominis hostis Turca, si quam vrbem expugnat, manus suas à templis Christianorum abs-

rum abstinet, & passim in Vngaria receptis aliquot opidis, quæ ante annos quinquaginta, sexaginta & eo amplius ab ipso occupata sunt, templorum valuis clausis aræ Christianorum intactæ deprehensæ sunt. At nostri qui pietatem imò hominem exuerunt personati Christiani in locis à se captis nihil prius ducunt, quàm fana expilare, aras euertere, sacrosancta dissipare, polluere, conculcare. Triduo præcesserat, qui Diuo Gummaro Lirensium Apostolo festus est dies, cuius sanctam memoriam vltra annos octingentos, (nam tempore Pipini Francorum regis, vitę sanctimonia & miraculis claruit) quinto Id. Octob. quotannis piè colunt, ac amburbali pompa sacros cineres circumferunt, & producitur supplicatio in octauum diem. Ea occasione venerabile feretrum in medio templi repertum, impiè inuadunt & nefariè contaminant. Non hæc à maioribus, ô Batauí, accepistis; qui eo ipso die ab vltima vestra Enchusia, ad sancti Gummari patroni itidem sui sollennitatem & cultum, frequenti multitudine Liram solent conuenire, & pia contentione ius prærogatiuæ sibi vendicare, de feretro diui tutelaris in supplicationibus suis humeris gestando. Vos hæc sacra contemnitis, dispergitis, profanatis. Liram illi accesserunt cum summa pietate & veneratione; vos ad opidum communis patroni domicilium diripiendum & vastandum, cum armis & flammis fanatici conuolatis. Illi ad ornandam & amplificandam Christiano ritu religionem confluxerunt; vos ad violandam & penitus euertendam, iconomachorum more; illi ad pietatem & peregrinationem diuini cultus ergò, vos ad gurgitem auaritiæ rapina explendum accurritis. Sed quàm Deo displicuerit, quem in Sanctis suis mirabilem esse regius vates verè canit, nefaria hæc impietas, funesto scelerum auctoribus successu comprobauit. Etenim Antuerpienses perlato ad eos capti opidi rumore, primum animis consternati, vtpote quibus Lira eiusdem est momenti, ac Græcis erant Thermopylæ, deinde confirmati, cùm ingressum subsidij per portam Lisperanam adhuc custodiri ab Alfonso intelligerent, Gasparo Mondragonio Christophori cognato, & in castri Antuerpiensis præfectura vicario, se ducem auxiliorum Liranis mittendorum cum aliquot arcis militibus Senatui offerente, tantus ciuium ardor exstitit, tanta omnium alacritas, atque ad ferendas suppetias festinatio, vt signo passim tympanorum pulsu dato, ad arma capienda tota vrbe discurrerent, ad portam Cęsaream ingenti numero confluerent, factaque eruptione vix imperium ad ordines componendos exspectarent. Præcesserat Mondragonius cum ducentis militibus, & paulo ante eum cum selecta armatorum manu Iodocus Robbyns, ordines inter ciues Antuerpienses ducens, suburbij eius vrbis quod Borgerhout vocant, aliorumq; pagorum dominio ciuitatis subditorum Drossardus (officiarij nomen est, qui iuri dicundo præest) numerosa multitudine è vestigio subsequente. Senatus de ciuibus suis solicitus, ne in hostis insidias vel in equitatum cum periculo inciderent, quòd pedites & agmine incomposito egressi facilè ab equitibus in agrorum planitie opprimi potuissent, Gasparo Mondragonio & Drossardo nunciat, vt paulisper subsistant, dum collectis copiis, coniunctisque viribus Liram simul pergant, ac Iacobo Dassæ & Antonio Berchemio, qui postmodum equestribus insignibus sunt donati, Ægidio item de Meere, suis in supremo subsellio collegis, viris ornatissimis, imperij in ciues ac expeditionis curam demandat, & oblongis hastis bono numero submissis quibus contra equitatum in acie possent consistere. cùm tantam multitudinem omnibus se portis effundere animaduerteret, vt copia mole sua impedimento potius quàm subsidio foret, nec consultum esse sciret ciues ferè vniuersos (tantus omnium ardor erat) ab vrbis custodia vno tempore dimittere, statuit vt ponte versatili subducto, vlterior armatorum excursio reprimeretur. Varij interim sermones à quibusdam serebantur, aliis inordinatam eruptionem improbantibus, si quid detrimenti multitudo accepisset, aliis contrà sentientibus: Etsi enim ciuibus quibus vrbis custodia mœniumque defensio à Principe est commissa, in hostem eundi vel manus cum eodem extra vrbem conserendi haud incumbat onus, quod ad stipendiarios nec iniussos tamen spectat; Nihilominus si periculum & necessitatem, cum opportunitate rei bene gerendæ, quam Alfonsus custodito opidi aditu præbebat, & celeritate, in qua Lirę liberatio sita erat, comparemus, huiusmodi in casibus repentinis consilij subiti reprehensores, vicinis sibi ædibus incendio conflagrantibus, cum con-

festim succurrendum est, aut præfectum vigilum, vel triumviros nocturnos,aut mandata magistratus de incendiis arcēdis exspectare iubebimus.Præterea in tanta perturbationum concursatione, tempori potius quàm moribus est parendū, & vt breue tempus longum imparatis est, ita hora vel momentum in huiusmodi periculis nisi sit prouisum,maximas reip. sæpe clades affert,certus enim dies non vt sacrificij, sic & consilij in bello exspectatur. Ex quo fit vt homines in propulsandis malis improuisò exortis, & diligentiores & audaciores sint,quàm cùm de lucro, quod incertum est, captando res agitur. Vt si ad opidum Bergas,latronum magis hoc æuo quàm militum receptaculū, armis capiendum (cuius tamen expugnatio tanto esset huic vrbi & prouinciæ vtilior,quanto illi grassatores immanius & diutius per totam Brabantiam latrocinati sunt) ciues essent educendi,quod auctore Senatu nunquam est futurum, non sic animi erigerentur ad publicum commodum promouendum ac augendum,vt de Lira recens capta,ac de damno vitando ab omnibus certatum est.Quoniam autem omnia quæ reip. salutaria sunt,honesta & iusta habentur, nemo est qui Senatus Antuerpiæ consilium de ciuibus emittendis, nec ciuium ex subita necessitate voluntatem meritò queat reprehendere, vel rem strenuè gestam ad imperij Manliani siue Posthumiani calculum reuocare.Denique si Senatus portis non apertis præclarum sui populi conatum inhibuisset, quas non querimonias, quæ non plebis murmura in se concitasset,si subsidio impedito Lira periisset? Cùm in opidi conspectum copiæ conuenissent,prænunciis Alfonso ex itinere missis,qui auxilia mox illi adfutura indicarent, Drossardus locorum & viarum peritus cum ducentis armatis, inter quos triginta circiter milites erant, totum agmen præcessit vsque ad portam Lisperanam,Gasparo cum reliquis militibus suis,ac mediocri armatorum numero subsequente: Alfonsus cum gaudio venientes excepit, atque vnà cum iis quos secum habebat, vallo disiecto,quod tumultuario opere ante portam intra vrbem cum suis excitauerat, rectà in hostem ducit, cùm ab altera opidi parte ciues Machlinienses tympani pulsu se etiam ad opem adesse significabant. Pari enim in Catholicam religionem affectu,ac regij obsequij & communis patriæ amore excitati,accepto Lirani casus nuncio,auctore magistratu,ducibus Nicolao & Ioanne vander Laen, quorum hic consularis, ille eo anno Machliniæ Consul erat, cum præsidiariis quos contra hostium incursiones in vicinis propugnaculis, ciuitas suo stipendio alit,fluuio Netha duobus pontonibus opportunè ad ripam inuentis traiecto, Antuerpiensiū ordinibus se coniungunt, ac effracta per eos qui primi introierant porta Antuerpiensi, cum summa animorum consensione, in opidum recipiuntur, hostesq; partim prædę partim poculis immersos, paucis resistentibus,ac inopinato vtriusque vrbis ciuium aduentu oppressos, & veluti Panico terrore correptos, in fugam conuertunt, multos trucidant, alios spoliis, equis armisque relictis è mœnibus præcipites in aquas dare se cogunt,quorum aliqui natandi,inter quos & Heraugerius,peritiā euadunt, plurimi submerguntur,ac quatuordecim hominum mortem,quorum quinque ciues,totidem erant Hispani, quatuor milites Galli, quos manè dum vrbem inuaserant, occiderunt, quadringentis suorum funeribus expiarunt, multis sauciis & captis, nemine Antuerpiensium,qui bis mille armatorum, nemine Machliniensium,qui quadringentorum numerum excedebant, ibi desiderato. Vterque populus victor ad suam quisque vrbem cum manubiis hostilibus, armis, equisque vt cuique in prædam cesserant, eodem die reuertitur. Omnipotenti Deo pro tam admirabili Liranæ liberationis beneficio solemnes gratiæ sunt actæ. Rex vbi hæc intellexit, strenuam vtriusque populi operam collaudauit, illumque sibi nuncium gratiorem aduenisse quàm de dedito Cameraco, regio suo testimonio declarauit: quòd hæc expeditio beneuolo & gratuito ciuium, optimorum subditorum studio, vno solùm die, sine belli expensis, illa operà militis stipendiarij facta esset:quemadmodum Illustrissimus Marchio Hauræus, in sequenti magistratus renouatione Ma^tis suæ nomine disertis verbis retulit,ac Senatui gratias egit.

Dum hæc fiunt in Belgio, Rex optimus de salute ditionum suarum Belgicarum solicitus, earum præfecturam Ernesti Archiducis memoriæ inclytæ loco, in fratrem eius Albertum Archiducem,Cardinalem amplissimum, Archiepiscopum Toletanum non minus pru-

nus prudenti quàm maturo consilio, & pietate motus transfert. Et vt eius in easdem prouincias ingressus insigne clementiæ testimonium secum ferret, itineris comitem dedit Illustrissimum Philippum Principem Auraicum, qui à Duce Albano in Hispaniam missus, in secessu illo ac otio salutari à ciuilibus controuersiis plurimis annis egit. Qui si hîc adoleuisset in tam perturbato reip. statu, periculo obnoxius fuisset, ne vel ea quæ fiebant, probare cogeretur, vel iis interesse etiamsi non probasset; quarum altera turpis, altera periculosa ratio illi fuisset. Quamobrem ipsi tutior & honestior fuit diuturna à ciuilibus procellis absentia, quòd siue officium & fortunam secutus cum parte meliori, seu communi errore lapsus, tempestate abreptus esset, difficulter naufragium euitare potuisset. Omnibus igitur rebus ad Amplissimi Cardinalis cum suo comitatu profectionem paratis, quæ ob parum firmam Regis valetudinem, & à Turcicis piratis non satis tutum mare, in aliquot dies extracta est, discessit vrbe regia Mantua Carpetanorum, Madricium hodie vocant, eodem anno nonagesimo quinto, die etiam quinto Kal. Septemb. horâ tertiâ summo manè, & ante meridiem Complutum venit. Collegia vniuersa academiæ & senatus obuiam illi processerunt, eius Celsitudini claues ciuitatis, quæ in Ecclesiasticis Archiepiscopum Toletanum agnoscit, obtulerunt, & vt postero die disputationi & orationi à clarissimis celeberrimæ academiæ Doctoribus habitæ interesset impetrarunt. Tertio Kal. Caraccam profectus (Guadalaxaram hodie vocant) à Principe Illustrissimo Infantasgi Duce, qui præter generis inter ceteros proceres Hispaniæ ornamenta, aurei velleris torque decoratus est, vltra opidi pontem, cum magno nobilium, ordinisque senatorij virorum comitatu, non solùm excipitur, sed in ædibus eius quas habet splendidissimas, hospitio sumptuque cum familia vtitur. Quinque porrò dierum itinere Castellæ regno excedens, Arragonensium fines ingreditur. Daroca opido nomen est, vbi gubernator cum centum equitibus, totidem peditibus ad limitem prouinciæ Archiduci occurrit, qui ad opidum adueniens, magistratum cum nobilibus & equestris ordinis viris obuios sibi habuit: & ad templum deductus diuinis rebus peractis, ac ostẽsis sacris ibi corporalibus (in quibus sanctam hostiam quam sacerdos consecrauerat, & superuenientibus ex improuiso hostibus panniculo inuolutam sub lapide reposuerat, eamque reuersus in carnem immutatam ac panniculo tenaciter adhærentẽ inuenerat, quæ res felicem Darocam & memorabilem reddidit, vt Marineus Siculus tradit de rebus Hispaniæ libro quinto) ad palatium se recepit, populo passim ludos, taurique venationem exhibente. Inde in opidum venit quod Carinnenam vocant, vbi prẹter magistratum duas ciuiũ cohortes, vnam more Christiano, Turcico alteram apparatu egregiè armatas, leuique prælio inter se confligentes magna cum oblectatione vidit, ac inter ceteros ludos quos populus dabat, tres distinctis locis fontes, triplicis speciei vino scaturientes. Hinc secundo die Cæsaraugustam ingreditur, Saragossam modò dictam regni metropolim, Prorege comitante cum omni nobilitate ac regio satellitio. Omnes vrbis vici concentu musico personabant, arx per quam transibat ingenti tormentorum maiorum & minorum fremitu reboabat. Sequentis diei horas matutinas, Cardinalis in templo D. Virginis Mariæ, quæ Pilaria nominatur, miraculis celeberrimæ, ac Sanctorum reliquiis visitandis absumpsit, in æde prẹcipua Sanctæ Encratidi sacra, quam Engratiam vocant. Tot enim martyres sanguine in hac vrbe profuso Christianum nomen propagasse refert, ex Prudentij hymno quarto περὶ στεφάνων, de octodecim martyribus Cæsaraugustanis, Ioannes Vasæus in suo Chronico Hispaniæ, circa annum Christi trecentesimum & sextum, vt Cæsaraugustani non cum quauis ciuitate, sed cum qualibet prouincia eo nomine contẽdere & gloriari queant. Tempus pomeridianum equestribus ludis & velitationibus spectandis datum. Quatuor deinde dierum itinere ad limites Cataloniæ, quæ Tarraconensis Hispaniæ pronincia est, Ilerdam peruenit, ac à gubernatore regnique nobilibus honorificè excipitur; tibicines modulos suos cum tubarum clangore per vices alternabant; populus personatus saltationes varij generis edidit, quod passim in huiusmodi Principum aduentibus Hispanis peculiare est: Hinc per ciuitatem Tarragensium transiens, tertio post die ad monasterium venit, in monte situm quem Serratum vocant, vbi Diua virgo religiosissimè colitur. Domus est

teste Marineo loco suprà citato, in altissimo monte posita, in conualle amœnissima rupibus adhærens, & à multis non solùm Hispaniæ populis, sed etiam ab externis gentibus & peregrinis frequentata. Supra in locis altioribus montisque iugis ædiculas habet, in quibus viri religiosissimi Deo seruientes solitariam vitam agunt, qui cum se adeuntibus sermocinantur & sanctissimè consulunt. Hæc præterea domus quamuis parua, cubicula tamen & hospitia habet, in quibus Reges, Duces, Marchiones, Comites & Equites separatim recipiuntur. Huius autem sanctissimæ & deuotissimæ domus ordinem, diuinaque mysteria, multaque miracula, quæ magno indigent volumine, breuitatis causa omittimus, quia sunt ab aliis auctoribus commemorata. Hæc Siculus. In hoc monasterio Princeps Auraicus suam Celsitudinem assecutus superuenit. Inde altero post die Barcinonem est peruentum, ibique honorificè ab Episcopo cum canonicis, Prorege cum nobilibus, & Senatu exceptus ac triduo commoratus, conscensa triremi Genuensium prætoria, cum septemdecim aliis, & octo Hispanicis triremibus soluit. Classis litus Cataloniæ legens sinumque Narbonensem emensa, auris à puppi aspirantibus, propè Massiliam in anchoris stetit, dum ad lignationem & aquationem classiarij dimittuntur. Massiliensium proceres cum triremi ornatissima salutatum suam Celsitudinem veniunt, commeatu classem iuuant, & è portu comitantur. Narbonensem postea oram prætereuecti & in portum delati, in nauim prædatoriam Aremoricam bellico apparatu instructissimam inciderunt, quam Hispanicæ triremes remulco secum traxerunt. Cursu deinde Niciam versùs instituto, & in portubus quibusdam inualescente vento classe subducta, ad portum Herculis Monœci, Villafranca nunc dicitur, die tertio sese appulit. Cardinalis equo vectus Niciam pergit, tres peditum cohortes obuiam processere. Episcopus Niciensis summa cum humanitate Celsitudinem complectitur, magistratus ciuitatis claues ei offerunt. Arce perlustrata quæ est munitissima, nauem denuo conscendit; & emensis viginti passuum millibus triremis prætoria Genuensium occurrit, Illustrissimum Principem Andream Auriam vehens, qui ad salutandum Cardinalem venit. Princeps Auraicus Sauonam præcesserat, Romam indè profectus; vbi Regiæ Catholicæ Ma^tis legati, qui ad pontem Miluium obuius ei venit, hospitio vsus, post triduum ad oscula pedum Pontificis & colloquium admissus est. Archidux Cardinalis Principe Auria deducente Sauonam nauigauit. In portu materiatum pontem construxerant ad commodum è triremi descensum, in cuius exitu porta triumphalis erecta variis erat ornamentis conspicua. In fastigio sub insignibus suæ Cels. ità scriptum legebatur:

ALBERTO CARDINALI ET ARCHIDVCI AVSTRIÆ

S. P. Q. G.

Infrà hic versiculus latus dextrum occupabat:

Vade age, fer pacem Belgis & comprime bella.

Sinistrum huiusmodi:

Bello agitata diu mox te veniente quiescam.

Amplissimus Genuæ Senatus, qui hîc aderat, præter cetera amicitiæ & obseruantiæ officia, suæ Cels. eiusque familiæ octodecim diebus, quibus substitit Sauonæ, liberaliter sumtum præbuit. Serenissimus Dux Sabaudiæ, à Pedemontanæ regionis ingressu, per fratrem Amadeum ad opidum Montis regij honoris causa præmissum, idem fieri iusserat. Ipse Reconicij, hoc opido nomen est, Archiducem exspectabat, eumque Augustam Taurinorum deductum nullo non beneuolentiæ cultusque officio prosecutus est. Singulis enim diebus, nouem autem morabatur, nouo generi oblectamenti cum Duce & Infante Cathatina eius coniuge, ac tribus Allobrogicæ iuuentutis Principibus, nunc venationis, nunc aucupij, ludorumque aliorum festiuitati interfuit. Princeps Auraicus Roma reuersus, equestris decursionis palmam ibi tulit. Quatuor etiam Episcopi qui eò conuenerant, sacrosanctum Saluatoris nostri sudarium, quod perquàm religiosè Taurini asseruatur, cum magna veneratione Archiduci ostenderunt. Permansit enim integra, (teste

Baronio

Baronio Ecclesiasticorum annalium tomo primo ad annum Christi trigesimum quartum) diuina operante virtute, illæsaque hactenus sanctissima sindon illa, quæ corporis Domini nostri Iesu Christi delibuta vnguento, in sepulchro posita fuit veluti operimentum & stratum, quæ & in se imaginem in sepulchro Domini iacentis expressit; asseruaturque summo honore in Ecclesia Taurinensi. Discessum inde est quinto Kal. Decemb. & bidui itinere Pedemontana regione à tergo relicta, in Sabaudiam penetrarunt vsque ad Alpes Cottias, quem montem Cinisium hodie nominant: cuius ascensus quamuis sit difficilis, atque ad quatuor mille passus accliuis, hexaphoro tamen sella gestatoria, quam Dux Sabaudiæ conferri iusserat, ad iugum montis commodius superandum, eique dono dederat, munus siquidem vtroque Principe dignum, nunquam vsus fuit, sed eques ascendit, ipsumque montis verticem transgressus qui in planitiem quatuor mille passuum porrigitur, descẽsus passibus bis mille trahâ factus est, noto genere vehiculi iis maximè viatoribus, qui itinera versùs Septentrionem fecerunt, vt dicemus infrà. Duorum virorum in descensu opera, vno præcedente, altero subsequente, impetus ob loci decliuitatem vehemens commodè inhibetur. Post diem verò decimum per aliquot Allobrogum opida profectus XII. Kal. Ian. sequentis anni nonagesimi sexti in Burgundiam mouet, dimissoque Sabaudico equitatu Burgundicus eum excipit. Quatriduo Nozareti commoratus, cuius opidi dynastia ad Auraicum Principem spectat, delectum militum habuit. Vesontione similiter triduo substitit, ac Id. Ian. Lotharingiæ fines attigit, per quam prouinciam à D. Vaudemontio tertio Lotharingiæ Ducis filio deductus est, profectione tam incõmoda, vt aliquot milites Hispani quos secum adduxerat, ingenti vi frigoris afflicti perierint. Cardinalis Lotharingus alter Ducis filius, XV. Kal. Feb. sumptum præbuit & hospitium, ipse Dux postridie cum Pontis Marchione filio natu maximo officium idem præstitit. Post biduum obuiam venit Philippus Comes Solræus ex Illustrissima Croïaca familia, regio apud Belgas satellitio præfectus, nec non hippocomiæ suæ Cels. ac aliquot post diebus in Barrensi agro, Didacus & Stephanus Yuarræ cum duabus equitum turmis, & in exitu Lotharingiæ paulò vltra Mosellam nouem Belgici exercitus turmæ occurrerunt. Flumine traiecto prope ripâ constitit Petrus Ernestus Mansfeldiæ Comes, ac Ducatus Luxemburgici gubernator, cum quinque equitum loricatorum signis, lanceas mille complectentibus, quas Bandas siue Bendas ordinatas appellamus: cuius nominis etymon si quis fortè desiderat, Ioan. Goropium Becanum legat, originum lib. secundo. Equestrem hanc militiam ditionum Belgicarum robur olim fuisse, res gestæ contra Gallos aliosque externos hostes & victoriæ demonstrarunt. Non enim numero solùm, sed & viris tam genere quàm virtute bellica animosis & spectatis, reliquas vexillationes equitum antecellebant. Post verò stipendiis non benignè persolutis, nonnihil elanguit equestris illa gloria, cum singuli loricati quinos, senos & plures sub se merentes equos commodè alere nõ possent. Et quia ferè omnes honesto loco nati, cùm negligi se viderent, relictâ militia se ad procurandas res domesticas receperunt, vt ceu exauctorati vulgo esse crederentur. Hoc an naturali tribunorum philautiâ, qua in suam quisque nationem est propensior, an studio factum sit, ex arcana imperij disciplina petito, quos fructus hæc consilia reip. pepererint, ex euentu didicimus. Re siquidem summa ad alios translata (tria iam decennia cum lustro sunt elapsa) has prouincias sine viribus, consiliis & opera ipsorum prouincialium perpacari non posse nemo inficiabitur, qui res præteritas memoriæ, & præsentes testimonio adhibebit. Medio milliari Ducatus Luxemburgici Consilium processerat, vrbis magistratus ad portam exspectabat. Ciues armis conspicui, & eorum tractandorum, vt in vrbibus limitaneis plerunque solent peritissimi, omnibus quà Principi eundum erat viis, vtrinque consistebant. Quatriduo hîc absumpto signum in digressu imperij Belgici extulit: Et continuata Arluno, vel vt quidam Aralunæ, Bastonaco, & Marza opidis Luxemburgicis profectione, in opido Chineo Eburonum Princeps ex Imperij Septemuiris, cum multis nobilibus eum opperitur, nec minùs beneuolè quàm magnificè exceptum, Namurcum petentem postero die dimisit. Comes Fontanus medio milliari cum procerum Belgicorum, & Illustrium Hispanicæ nobilitatis virorum splendido comitatu, & duabus turmis

turmis equitum extra opidum occurrebat, magistratus claues ei deferebat, incolę vicatim quà erat transeundum vtrinque dispositi armis ad salutandum expeditè vtebantur, arcis præsidiarij displosis tormentis officio suo haud deerant. Niuellam ventum est postridie, claues oblatæ, ordo Ecclesiasticus & opidi collegia cum funalibus accensis Cardinalem introducunt, tribus formâ & cultu virgunculis venustissimis, quæ tres Charites Theologicas Fidem, Spem & Charitatem referebant, præcedentibus, ad Abbatiam vsque Canonicarum primatiæ nobilitatis virginum. Ignibus in omnibus vicis excitatis totum opidum flammis vri videbatur. Hallas postero die venit, vbi exceptus similiter, non antè hospitium est ingressus, quàm beatæ Virginis miraculis clarissimæ celeberrimum religionē templum visitasset. Bruxellam postero die peruenit, longissimo itinere & ob brumę asperitatem, aërisque per pluuias continuas inclementiam, admodum difficili, feliciter confecto, cum magna laborum & tolerantiæ laude, quòd in tota profectione nullo imbre, nullo frigore adduci potuit, vt aut lecticâ aut rhedâ vteretur, sed equo semper vectus inter medios milites conspiciendum se dedit. Bruxellam ingreditur tertio Id. Februarias anno nonagesimo sexto. Prima salutatio militaris fuit, exhibita à ciuibus Bruxellensibus in tres acies dispositis, quarum singulæ mille viros armorum elegantia vsuque lectissimos, exercitus instar complectebatur, in ea agri planitie qua Louanium itur. Propē portam fuit altera ab Antonio de Goignies vrbi præfecto, Ioanne vander Ee eiusdem Prætore, Henrico Donghelbergio Consule, & reliquo magistratu claues offerentibus, ac voce Pensionarij incolumem Archiduci aduentum gratulantibus, & de peroptata ipsius pręsentia Deo Opt. Max. regiśque clementissimo gratias agentibus. Quanto enim acerbior diuturni & funesti tot annorum belli, omnium animos incessit & deiecit recordatio, tanto se maiorem è maximis virtutibus suæ Cels. rumore ad nos perlatis, de afflicto rerum statu in beatum restituendo, omniumque fortunis pristina felicitate recreandis spem iam concepisse, disertè declarabant. Eam igitur ciuitatem in communi gaudio, lætitiæ quadam prærogatiua frui, quod Principum sedes sit, suæ quoque Celsit. domicilium futurā. Quamobrem Senatum populumque Bruxellensem obnixè rogare, vti eam ciuitatem commendatam sibi habeat, studium eius & obsequium grato animo accipiat. Archidux Cardinalis coniunctum cum beneuolentia officium, pergratum sibi esse respondit, operamque se daturum, vt & Bruxellensium & Belgij vniuersi votis satisfiat.

In vrbis ingressu ad vetus forum boarium interiorem portam forma triumphali ornatam primùm vidit, & in eo depictam nymphæ habitu Bruxellam pedibus eius aduolutam, ac præter amœnissimum regiæ vrbis situm, in tabula non inscitè adumbratos huiusmodi versus, è Philippi Numani Senatui Bruxellensi à secretis myrothecio poëtico, qui hæc etiam euulgauit:

O diuûm soboles, generis sacrata propago
Austriaci, latis animis tua numina supplex
Obsequio deuota humili Bruxella salutat.
Et quantum nuper fata ob contraria sensit
Tristitia, cùm fila breuis mors inuida vita
Rumperet Ernesti, tantum nunc pectore surgit
Latitia, aduentuq; tuo, ter maxime Princeps,
Fortuna se certa offert melioris imago.
Illi etenim labor vnus erat compescere motus
Dissidij interni, queis Belgica nauis ad instar
Collisa scopulos inter quassata fatiscit.
Sed quod mors fratri eripuit, tibi munere diuûm
Seruatur, tu placa vndas, tu comprime ventos,
Disiectamq; ratem tuto fac sistere portu.

Ad dexterum latus tabulæ è ligno Fama stabat dedolata, alas oculis, vestem auribus & oribus refertam vndique gerens, duas simul tubas inflans, hanc sursum, deorsum illam.

Spes

Spes finiſtram occupabat,alata ſimiliter & anchoræ innixa, quibus ſignificabatur, præſtantes & heroïcas huius Principis dotes, quarum fama orbem terrarum peruaſerat,ſpem certam ſalutis patriæ polliceri. Periſtylio materiato ac corollis dependentibus forum ornabatur. Hinc ad vicum deſcendit cui à moneta nomen,quâ forum versùs flectenda erat via: vbi in arcu eleganter erecto depictoque, Rex Philippus in ſolio viua effigie ſedebat, cum Principe filio Philippo, filiaque Iſabella. Aſtabat Cardinalis,cui Rex caduceum de Mercurij manu dabat,eo Belgas recturo,additis his verſibus:

Vade age care nepos, operique accingere magno;
Iam diu ſollicitam diſcors mihi Belgia mentem
Detinuit tot preſſa malis, tot paſſa labores.
Lugentis miſeret populi, iam ſiſtere Martem
Fert animus, longas iam blanda pace querelas
Tollere; tu placidam terris inferre quietem,
Tu furias, tu ciuiles componere motus
Ito, & diuiſas gentes in fœdera mitte.

Superius erant inſignia regia,à dextra genius manibus duas tenens coronas,ex lauro & olea,cum hoc diſticho numerali, quod annum Regis naralem complectitur:

VIV*e* PhILI*ppe* dIV *ne*C *debe*LL*are rebe*LL*es*
*Deſpera, done*C MILI*tet* V*na* fI*des*.

A ſiniſtris alter genius dextera gladium cum paludamento,læua ramum oleç ac togam tenens cum hoc carmine chronographico, annum aduentus Cardinalis litteris numeralibus exprimente:

*E*CC*e pa*LVD*at*V*s be*LL*o, pa*CI*q*V*e togat*V*s,*
*Q*V*od* VI*s* V*e*LL*e, t*VI*s pendet ab* IM*per*II*s.*

Paulò altius ſupercapitulis columnarum ſtabat hinc Fides, oblongam crucem tenens, & vno pede ethnicum calcans Imperatorem, armatum altero hæreticum, & pſeudoeuangelij ſui librum attollentem;Illinc Potentia cum diademate ſceptrum dexterâ,pomum aureum læua geſtans,in veſte ſceptris confertim pictis.Quibus figuris Regiç Ma^tis^ titulus Catholicus,& ſumma pôtentia deſignabantur.

Inferius inter ſtylobatas Neptunus pictus erat bifrons,mari vectus, dextra tridentem, inſignia regia tenens ſiniſtra, hinc ſolem orientem, illinc occidentem intuebatur, cum his verbis;

MIHI SEMPER.

Quod ad imperij magnitudinem refertur, vt quocunque ſe die nocteque ſol conuertit, terram regiæ ditionis ſemper aliquam colluſtret, nullo Cæſarum aut Regum præſentis æui aut præteriti exemplo.

In fornicem inde triumphalem incidit, ad ædem D. Nicolai poſitum, in cuius ſupra zophorum tabula vrbs celeberrima Vlyſſippona cernebatur, & in eam inuadentes Britanni (quod anno octogeſimo nono accidit) à Principe Alberto Luſitaniæ prorege ſtrenuè vindicata; aſſcriptis verbis:

VLYSSIPPONA CONSERVATA.

A dextris ſupra portam minorem, tres enim in hoc arcu erant tranſitus, exhibebatur ſuæ Celſ.Cardinalis habitu,cum hoc elogio:

PVRPVREO A DVCE CHRISTO.

A ſiniſtris Archiepiſcopi habitu,cum hac aſcriptione:

PASCERE OVES, PASTASQVE TVERI.

Cum hac infra epigraphe:

ALBERTO DEI GRATIA ARCHIDVCI AVSTRIÆ, S. R. E. CARDINALI, TITVLO S. CRVCIS IN HIERVSALEM, ARCHIEPISCOPO TOLETANO BELGI GVBERNATORI PRINCIPI OPTIMO.

In parte arcus poſteriori, depicti erant S. Albertus Ratiſponenſis Epiſcopus, & S. Eu-

genius primus Toletanæ vrbis Epiſcopus, hic nominis, ille ſedis Cardinalis diuus tutelaris. Ab hoc arcu digreſſus forum ingreditur, per quod ducta erat porticus pycnoſtylos, variis vtrinque columnis inſignis, ac corollis hederaceis, pomiſque aureis ornata. Inſignia alternatim quâ Regis Catholici, quâ ſuæ Celſ. quâ Brabātiæ & Bruxellæ affixa videbantur. E prætoriæ regione ſeu domus Senatoriæ, in pegmate exhibebatur Cardinalis imago in ſolio ſedentis, ac manu caduceum Mercurij tenentis: aſtabant decem Sibyllæ pereleganter pictæ, quarum ſingulæ vaticinium in ſerto tenebant, earum nempe rerum, quæ in gubernatione ſuæ Celſ. optandæ & exſpectandæ ſunt. Prima ſic præſagiebat: PACEM RESTITVET. II. FIDEM PROPAGABIT. III. COMMERCIA ERIGET. IIII. OPPRESSOS LIBERABIT. V. ODIA EXSTINGVET. VI. CONCORDIAM FIRMABIT. VII. IVSTITIAM COLET. VIII. VERITATEM AMPLECTETVR. IX. POPVLO SALVS. X. PATRIÆ ERIT PATER. Ibidem ſupra hi verſus legebantur:

Non nos vaniloquus vatum error, fictus Apollo,
Nec quæ deceptæ coluerunt numina gentes,
Sed pater omnipotens miſit, certò omnia rerum
Cuius ab æterno pendent libramina nutu.
Ite, ait, & primis quæ ſunt ventura diebus
Pandite, ſtat fixum Belgas audire rogantes,
Sauáque præteritæ remouere piacula vitæ.
Mittitur Albertus, cuius virtute ruentem
Diſsidiis populum, rixis bellóque leuabo,
Et dabo pace dies reliquos explere beata.

Ad exitum fori prægrandis etiam arcus triumphalis occurrebat, in cuius parte ſuperiori, virginis effigie Belgica ſedebat, inter medios adumbrata latrones: cui illi non modò corporis ornatum, qui erat ſplendidiſſimus, ſed hic capiti gemmas auro incluſas, ille collo vniones in lineam coniectos, pectori tertius cingulum eripiebat, quartus veſtem lacerabat, mortem ſtricto enſe alij intentabant. Spes à latere ſtabat, in excelſa rupe, Archiducem ex Alpibus triumphali curru vectum digito commonſtrans: quod non tam ſpectabat ad prouerbialem ſenſum quo glorioſum ducitur, teſte vate Lyrico:

Monſtrari digitis prætereuntium.

& Perſio Satyrographo,

At pulchrum eſt digito monſtrari & dicier hic eſt.

Quemadmodum in ſuo inſomnio Lucianus: τοιαῦτά σοι περιθήσω τὰ γνωρίσματα ὥστε τῶν ὁρώντων ἕκαστος τὸν πλησίον κινήσας δείξει σε τῷ δακτύλῳ, οὗτος ἐκεῖνος λέγων; *huiuſmodi inſignibus conſpicuum te reddam, vt quiſque eorum qui te intuebuntur, vicinum impellens, digito te commonſtret, & , hic ille eſt, dicat.* Quo etiam ſuſurro delectatum fuiſſe Demoſthenem ſcribit Cicero Tuſc. quæſt. lib. 5. mulierculæ nimirum aquam ferentis, & alteri inſuſurrantis; Hic eſt ille Demoſthenes. Ad gloriam ea pertinent, cuius ornamenta in hoc Principe ſunt plurima: Sed quid ipſo commonſtrato, à virtutibus eius & prudentia exſpectemus indicabat vna dictio ibidem annotata;

MELIORA.

Paulò infrà populus Belgicus mœrens ac queribundus cernitur, iacentibus ad pedes omnis generis artificum, quibus Belgium olim floruit, inſtrumentis, ſitu & ſqualore obductis, ac negligenter conuolutis, cum aſſcripta querimonia;

Quem das finem, Rex magne, laborum?

Ex altero latere:

Quæ regio in terris noſtri non conſcia luctus?

Erantque hi verſus vtrinque exarati:

Quæ miſeram me fata manent? quíſve exitus inſtat?
Quò feror infelix ego Belgica? quando rapaces

Euaſiſſe

Euasisse manus dabitur? spoliata fatigor
Crudeles hostes inter ceu præda latronum.
Nec satis, exutam ornatu, sed & intima diro
Vestigare parant trepidantis viscera ferro.
Heu, Princeps, iacet omnis honos, iacet illa prioris
Gloria fortunæ; tamen vt sperare supersit,
Hoc tua quæ terras impleuit regia virtus
Efficit, euersis spondens solatia rebus.
Redde igitur quod Mars rabidus, quod & Hæresis atrox
Abstulit, æternum statuet tibi fama trophæum.

Picti erant in Zophoro quatuordecim genij, septem belli signa, totidem pacis tenebant. Primus ensem, alter clypeum, III. sclopettum, IIII. lanceam, V. ardentem facem, VI. tritici spicas inanes, VII. bulgam vacuam ostentabat. Oppositorum primus marsupium auro repletum, alter manipulum frumento turgidum, viridem ramum tertius, IIII. capite pampinis redimito, spumantem vino pateram offerebat. V. Cornucopiæ variis frugibus refertum. VI. tenellum hædulum gestabat. VII. apum alueario incumbebat. In summo affixa regis erant insignia inter duas cruces decussatas, quas manu sustentabant virilis sexus effigies duæ ligneæ deauratæ, plumisque versicoloribus insignes, sicut incolæ noui orbis nobis depinguntur.

In aduerso arcus frontispicio vernantia rura exhibebantur, pascua læta, horti amœnissimi, siluæ frondosæ, colles fertilissimi, fluuij & fontes limpidi. Hinc mons Parnassus cum Phœbo & Musis, illinc Pan Arcadiæ deus eiusque in manibus septem compacta cicutis fistula, cum Satyris petulcis. Pro emblemate mediç tabulç corona erat cum sceptro supernè aliquantulum fisso, cum duobus vtrinque lauri ramis, quibus duo turtures (notum symbolum concordiæ) insidebant, disiunctas sceptri partes rostris quodammodo colligare conantes, hoc omine:

REVINCTA VIREBVNT.

In tabula inferiori Gordium nodum, quo constricta erat Belgica, Cardinali vt rescinderet oblatum, his verbis dissecturus videbatur:

VIRTVTE RESOLVAM.

Ex altero latere è specu Pacem educebat, cum elogio:

REDEVNT SATVRNIA REGNA.

Aduersæ partis Zophorus hinnulum exhibebat Belgij typum feris plurimis circumdatum, ei deuorando inhiantibus.

In latere transitus præfectus militaris, dextra ensem vibrat, oleæ ramum læua protendit, ex aduerso milites duo clypeis gladiisq; impetum eius excipere videntur cum verbis;

PARCE, SED INSTA.

Equo in altero latere picto freno & sessore vacuo calcitranti, crinibus prehensis frenum ab eodem præfecto admouetur cum hemistichio;

EXITIVM CONTEMPTA SALVS.

In arcus testudine præuiâ Aurorâ Phœbus quadrigis suis vectus, nebulas discutit.

Portularum transitus, tribus enim portis constabat hæc machina, depicta habebant varia symbola & emblemata.

Palmæ ramis insidens aquila aduersum solem intuetur pro inuictæ virtutis typo. Super lauro stabat cornix concordiæ symbolum, super olea Pelecanus, sanguine proprio (si cum vulgo credimus pictoribus, quamuis haudquaquam improbemus salutarem hanc ideam, vt dicemus infra) pullos pascens, clementiæ hieroglyphicum. Super quercu, cuius truncum hedera vestiebat, nidum suum Phœnix posuerat, è cinere suo (fides penes Ægyptios sit) rediuiua, pro gloriæ immortalis typo. Molis Epigraphe erat huiusmodi:

BELLO CIVILI NIHIL MISERIVS, NIHIL CALAMITOSIVS, VBI QVÒ MAIOR VICTORIA, EÒ MAIOR INFELICITAS, VBI ETIAM VICTOR FLET, VICTVS PERIIT. BELLVM ITA SVSCIPIATVR, VT NIL NISI PAX QVÆSITA VIDEATVR:

SALVS POPVLI VNICA LEX ESTO.

In foro olitorio, quâ ad aulam rectâ itur, triremis recens fabricata omnibus suis partibus absoluta, statum reip. ob oculos ponebat: fluctuabat in mari inter duo immania monstra affabrè facta, huic Bellum, alteri Hæresis nomen erat. Gubernaculo assistebat Archidux Cardinalis ex opere incrustatorio factus raro artificio, vt & reliquæ effigies in triremi collocatæ. A dextris eius Veritas detractam vna manu laruam, clypeum altera tenebat, & diuinum ibi nomen tetragrammaton Hebraicis notis exaratum. A sinistris Iustitia, ense & bilance vulgari more instructa. Ad proram duo milites hic cum leone Magnanimitatem, Vigilantiam ille cum grue denotabat: Triremis cui nomen Belgica, septendecim prouinciarum insignibus in totidem scutis egregiè pictis à prætereuntibus noscebatur. Anchora Constantiam, malus Dei timorem, vexillum Honorem, rudentes Temperantiam, vela Zelum, antennæ Æquitatem, specula Prouidentiam, rostra Fortitudinem, pharus Prudentiam significabat. Habebat octo remiges, quaterni virtutes ad nauem reip. dirigendam necessarias exprimebãt his nominibus: Diligentia, Integritas, Consilium tectum, Clementia: Alij his nomenclaturis: Concordia, Fides, Amor, Obedientia, quæ à populo requiruntur innuebant. Rostro inscriptum erat:

DABITVR SIC VISERE PORTVM.

In ascensu ad regiam via accliuiori obeliscum inuenit altitudine pedum nonaginta quatuor, pictamque in eius basi sacram Machabæorum historiam; quemadmodum heros gentis eius Iudas hostibus victis templum Dei repurgauit, sacrificia restaurauit: Templum Princeps Nehemias reædificauit post Babylonicam captiuitatem: Structuræ & bello intenti Israëlitę, vnâ manu fabrilia, alterâ ob vicinos hostes arma bellica tractabant, eodem planè modo quo apud Virgilium Æn.9. Numanus gloriatur:

Omne æuum ferro teritur, versâque iuuencûm
Terga fatigamus hastâ.

Nec absimilis est saltationis quoddam genus quod describit Athenæ. lib. 1. dipnos. μετὰ τούτων Αἰνιᾶνες καὶ Μάγνητες ἀνέστησαν, οἳ ὠρχοῦντο τὴν καρπαίαν καλουμένην, ἐν τοῖς ὅπλοις, ὁ δὲ τρόπος τῆς ὀρχήσεως ἦν ὅδε. ὁ μὲν παραθέμενος τὰ ὅπλα σπείρει καὶ ζευγηλατεῖ πυκνὰ μεταστρεφόμενος, ὡς φοβούμενος. λῃστὴς δὲ προσέρχεται. ὁ δὲ ἐπὰν προΐδηται ἁρπάσας τὰ ὅπλα μάχεται πρὸ ζεύγους ἐν ῥυθμῷ πρὸς τὸν αὐλὸν. καὶ τέλος ὁ λῃστὴς δήσας τὸν ἄνδρα, τὸ ζεῦγος ἀπάγει, ἐνίοτε δὲ καὶ ὁ ζευγηλάτης τὸν λῃστήν. *Magnésque postea & Ænianes prodierunt* καρπαίαν, *id est sementem, saltaturi cum armis. Saltationis hic modus est: armis appositis quidam iugatos boues agit, seritque fruges, sæpius velut ex metu se obuertens. Accedit prædo, quo conspecto raptis ante iugum armis pugnat arator, tibiæ modis motum corporis adaptans. Ad extremum prædo vinctum aratorem cum iugo abducit, & nonnunquam prædonem iugarius.* Idque minus mirum videri nobis debet, qui plus annis triginta his spectaculis assueuimus.

In alio latere populus Israëliticus duce Iosue in terram promissionis venit. Postremò vrbs Hiericho ab Israëlitis arcam fœderis circumferentibus, Deumque orantibus, sine pugna expugnatur. Obelisci quatuor facies, singulæ imaginibus celeberrimorum pictorum industria, colore alabastritico depictis, partim pacis commoda, belli partim incommoda ostendebant. Pax & concordia Principi ascendenti obuiæ primum factæ, fides deinde & gratitudo, mox pietas & obedientia. Paulò altius Ordo vel Politia, supra hanc Iustitia, in summo Opulentia. A sinistro latere Ianus, & Mercurius, post hos Minerua & Ceres, tum Diana & Pales, altius Pan, postea Bacchus, in summo Apollo. A dextro latere, infra Mosa & Scaldis, tum Oceanus & Rhenus, postea Tempus & Industria, deinde Occasio, supra Fortuna, postremo Gloria. Ex opposito Pacis à tergo depicti erant

Saturnus

Saturnus & Mars, Discordia & Vulcanus, Alecto & Inuidia, paulò superius Megæra, supra hanc Tisiphone, in summo Paupertas, suis notis omnes distincti: seruatâ vbique tam exactè symmetriâ, vt figuræ superiores, non minores inferioribus, nec inferiores, superioribus maiores apparerent. In apice obelisci globus erat aureus, & super eo Sol radiis inauratis, ventis agitatus gratum prætereuntibus spectaculum præbens. Ipso denique die quo Princeps Cardinalis Bruxellam est ingressus aliisque sequentibus, propositis à magistratu præmiis, festi ignes certatim excitati, ludique passim editi, vt nulla pars vrbis omnino vacua exstiterit, in qua non incolæ exterique officij omnis genere lætique animi significatione studium suum affectumque propensissimum erga regiam Ma^tem & Principis Cardinalis serenissimam Celsitudinem testatum esse voluerint. Aduẽtus eius hoc carmine chronologico haud inscitè exprimitur, ab eodem Philippo Numano, qui totius apparatus auctor quoque exstitit:

Vndenos febrVo dVM soL ConCLVderet ortVs,
BrVXeLLæ ALbertVs regIa teCta tenet.

Nec abs re fuit anagrammatismus, Caroli Broomanni Bruxellensis, Albertus Austriȩ, sit laurea Vbertas, cum hoc carmine chronographico eundem includente:

EX CæLIs Modò paX, VBERTAS fVLget ab AVstrIs,
ALbertI CLaro LAVREA sIt CapItI.

Quoniam verò hac annorum centuria, qua Belgicus Principatus à Burgundis ad Austriacos serie continuata peruenit, tredecim numerantur gubernatores, qui eum Principum nomine administrarunt, facta nunc mutatione, vt in Archiduce præfectura desinat in dominium conuersa, operæpretium erit omnium præfectorum nomina recensere, ipsosque vt in tabula spectandos hîc proponere.

Postquam igitur Belgium à propriis priuatisq; quos singulæ ferè ditiones habuerunt, in vnum Principatum sub Ducibus Burgundiæ consolidatione quadam coaluit, ab iisdem præsentibus administratum fuit, donec Maximilianus Austrius Augustus post coniugis Mariæ Burgundæ obitum, primum externorum Principum Georgium Saxoniæ Ducem, suo & Philippi filij sui nomine, cuius ipse tutelam gerebat, legatum Belgio præfecit. Altera gubernatio Margaritæ est delata Maximiliani filiæ, quæ pro nepote suo Carolo in ætate pupillari prudenter & quietè, viginti tribus annis Regentis nomine prouincias obtinuit. Successit in hoc munere Maria Austriaca Hungariȩ Regina Caroli quinti soror, heroïna singularis, quæ forti supra sexum animo, bellis Cæsarem per orbem euocantibus, Belgicas ditiones viginti quinque annis tranquillè rexit, feliciter conseruauit. Prouinciis ad Philippum Catholicum delatis Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ quadriennio illis præfuit; Eique Margaritam Octauij Parmæ & Placentiæ Ducis coniugem in administratione Belgij suffecit, Principem lectissimam, quæ consilij grauitate & moderatione nascentes hosce motus videbatur repressura, nisi octo annis quibus præfuit, elapsis, reuocata fuisset, misso illi successore Ferdinando Aluaro à Toledo Duce Albano, qui cum fascibus imperij exercitum in Prouinciam intulit; bellumq. inceptum & sexennio gestum, Ludouico Requesenio magno Castellæ Commendatori, militiæ nomen est, perficiendum tradidit cum imperij gubernaculis; quȩ Dux Medinacelius cum classe militumque supplemento aduectus, cùm in tanta rerum perturbatione, tot difficultatibus, diuersas in prouincia procuranda rationes ab Albani consilio requiri existimaret, suscipere detrectauit. Imperium Requesenius triennio exacto cum vita reliquit. Exorta deinde interregni tempore, importuna militum Hispanorum seditione, generales Belgij Ordines ex mandato regio remp. administrant, donec Ioannes Austrius præfecturam iniit, quam non obtinuit vltra biennium, morte immatura cursum gloriæ sistente. Is imperij lampada Alexandro Farnesio Parmæ Duci tradidit. Cuius Principis laudes, & res fortissimè gestas quatuordecim annorum, quibus Belgium rexit spatio, nec attingendas esse nec delibandas censeo, sed pro virtutum eius militarium dignitate ac materiȩ vbertate luculenter describendas. Quam Spartam ornaturi sunt qui melius feriati, res Belgicas ab

origine ad nostra vsque tempora in lucem edituri sunt,& memoriæ produturi. Non enim æquus scriptor in gratiam æmulorum,qui egregiæ Alexandri florentisq; fortunæ inuidia torquebātur, gloriæ ejus luminibus obstruere volet aut poterit,nec splendorē eius nominis,qui radios per orbem vniuersum diffudit,silentio obtuere. Siquidem fumo comparatur inuidia,qui ingens erumpit,priusquam flagrat ignis, vbi cœpit relucere euanescit, auctore Plutarcho in opusculo εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον. Virtutis hæc sunt præmia quam liuor comitatur,qui summa semper petit. Et Themistocles adolescens se nihil præclari gessisse dicebat,quòd ab inuidia immunis esset. Etenim vt scarabei frumenta non erodunt nisi iam adulta, nec rosas inuadunt nisi floridas & vernantes; sic probatos maximè viros, & virtute inclarescentes personas liuor appetit: eodem teste περὶ φθόνου καὶ μίσους. Denique irrita sunt in Alexandrum nostrum inuidiæ flabra, quippe cuius memoriā inter maximorum heroum imagines princeps vrbium Roma cum sua æternitate posteris consecrauit,& ciuis sui statuæ in Capitolio positæ hoc elogium subscripsit:

QVOD ALEXANDER FARNESIVS PARMÆ ET PLACENTIÆ DVX III. MAGNO IN IMPERIO, RES PRO REP. CHRISTIANA PRÆCLARAS GESSERIT, MORTEMQVE OBIERIT, ROMANIQVE NOMINIS GLORIAM AVXERIT,

S. P. Q. R.

HONORIS ERGO MAIORVM MOREM SECVLIS MVLTIS INTERMISSVM, REVOCANDVM CENSVIT, STATVAMQVE CIVI OPTIMO IN CAPITOLIO VIRTVTIS, SVÆQVE IN ILLVM VOLVNTATIS TESTIMONIVM

EX S. C. P.

CLEMENTIS VIII. P. M. ANNO II.
GABRIELE CÒSARINO PR. V. C.
IACOBO RVBEO.
PAPYRIO ALBERO COSS.
CELSO CELSO CAP. REG. PR.

Farnesio rerum Belgicarum gubernaculis per mortem excusso,ad habenas accessit Petrus Ernestus Mansfeldiæ Comes, cuius supra meminimus, consilio, experientiâ, ætate venerabilis,

Et cruda ducem viridisque senectus,

præter cetera commendat. Ætatis enim annum octogesimum excesserat (septennio hodie maior,superstes & incolumis)cùm explero anno præfecturæ suæ Ernestum Archiducem Belgij gubernatorem & exercitus Regij ducem salutauit. Huius Principis virtutes & præstantiam singularem, concepta de illius in prouinciam aduentu edocuit exspectatio. Qua de re quia librum peculiarem euulgauimus, post annalem potestatem ingenti sui relicto desiderio morte abrogatam,hanc doloris cicatricem refricare vt luctuosum,ita foret & superfluum. Simili ferè spatio Comes Fontanus legati vices obiit. De quo præter res gestas supra memoratas verè dicere possumus,eum breui tempore multas magnasque expeditiones susceptas perfecisse, & cum summa gloria prouinciā excessisse. At Albertus serenissimus gubernatorum numerum augusti sui generis claritate & amplitudine expleuit & ornauit,imperij primordia à salutationibus publicisque legationibus admittendis auspicatus. Senatus Antuerpiensis per legatos suos Bruxellam quoque missos,aduentum gratulatus est, vrbis eius Pensionario in hæc verba perorante.

Quod ab omnium bonorum largitore Deo votis nostris optandum,à Regia Ma[te] Principe nostro clementissimo restabat flagitandum, Princeps Serenissime, Cardinalis amplissime,hoc diuinam prouidentiam Belgio concessisse,hodierno die gratulatum nos misit ciuitas Antuerpiensis. Nam quantò maioribus belli diuturnitate, præter ceteras vrbes cladibus est affecta, sublato cum exteris nationibus commercio,quo illa solo nititur,tantò magis necessariam atque certiorem ex tuæ Celsitudinis aduentu optatissimo spem illa

concepit.

 187

concepit. Et vt fuit incredibilis de fratris Serenissimi virtutibus exspectatio, quam ardore animorum, publicisque officiis pro nostrarum rerum statu, sin minus pro ipsius dignitate declarauimus; sic delata fraterni imperij successione, inchoatam breui temporis curriculo fiduciam, & præpropero eius obitu cum bonorum omnium mœrore interceptam, Celsitudinem tuam suscepisse adimplendam ex eo percipimus, quòd ad regiæ Mat[is] diuinum consilium, tam citò, tam beneuolè tuam quoque voluntatem adiunxeris. Si enim potentissimæ monarchiæ domicilium educatrix illa tua, nec Hispaniæ quę in oculis te ferebat tranquillitas, neque maxima amplitudinis & honoris ornamēta, quæ in te sunt omnia, remorari nequiuerunt, quin ad Belgicam difficillimis temporibus impeditam in hac anni cæliq́ue grauitate aduolares, & ad clauum in mediis tempestatibus accederes; in ista tam excelsa animi magnitudine suam omnes salutem collocatam esse vident: eo maximè argumento, quòd vt duo malorum quibus angimur sunt genera, nefariæ nimirum contra religionem orthodoxam sententiæ, & à Regis obsequio perduellium secessio; sic vulneris vtriusque à nemine remedia, quàm à tua Celsitudine aptiora peti queunt. Verus siquidem Dei cultus, & religio catholica, eum vindicem habebit, qui hoc nomine in sanctissimum purpuratorum patrum collegium cooptatus est; resp. defensorem, qui bellicæ virtutis, fortitudinis & gloriæ maxima & amplissima apud Lusitanos reliquit monimenta. Ad quæ laudum insignia vt Belgium restitutum quamprimum accedat, ciues Antuerpienses ad quæuis imperata, quocunque fortunarum vitæque discrimine exsequenda sese dedunt, tuæque Celsitudinis clientelæ fideique clementer commendatos sese esse cupiunt; dum pro rerum virtutibus tuis gerendarum successu felicissimo, & incolumitate publicè priuatimque vota suscipiunt, quæ vt rata sint faxit Deus Opt. Maximus. Hæc Pensionarius; Ad quæ Cardinalis breui quidem responso gratum sibi esse hoc officium declarauit, vrbemq́; Antuerpiensem pro loco quē inter ceteras illa obtinet commendatam sibi fore. Tum rebus nonnullis ex nouo imperio constitutis, vt experiretur, an consilio & sapientia qua nihil est potius, non armis bellum posset confici, litteras ad Hollandos dedit, aduentus sui causam potissimam esse indicans, vt si fieri queat, omnem controuersiam sine vi componeret, bellumq́ue diuturnum, perpetua in posterum concordia exstingueret. Gratum itaque sibi fore si parem voluntatem ad pacis rationes ipsi quoque adferant. Princeps etiam Auraicus eodem exemplo ad illos litteras misit, sequestrem quoque operam ad transigendum obtulit. Verùm omni pactione malignè & indignè reiecta, explosisque sanioribus de pace consiliis, Archidux officio benigni Principis functus, quippe qui se non dimicare malle quàm vincere declarauit, cogitationibus ad bellum conuersis sese parat. Et ne quis à Gallia metus sibi impenderet, prouinciæ securitatem, cuius fundamenta Dorlano aliisque opidis expugnatis, & recepto Cameraco Fontanus Comes iecerat, ab illa quoque parte communiendam censuit, sumpto à Ferensibus commeatus penuria laborantibus exordio. Hos obsidione quinque mensium conclusos, arcteque à Gallis pressos, frumento per equites importato subleuauit. Paucis post diebus cùm exercitus sui parte ad fines Veromanduorum profectus, tāquam obsidione Feram liberaturus, quod Galli suspicantes vires suas colligebant, eoque conuertebant, strategemate hostem lusit. Copiis siquidem præmissis ad Audomari fanum, inde in agrum Caletensem, locisque ad id opidum expugnandum opportunis festinatione admirabili occupatis portuque intercluso, castra vndique eò mouit; Caletum obsedit, triduo vrbem cepit, arcemq́ue munitissimam datis sex dierum induciis, deditionem tempore pacto facere recusantem, ad VIII. Kal. Maias expugnauit. Exercitum deinde Ardam deduxit, situ loci & opere firmissimum Caleti propugnaculum, validoque præsidio à Rege Galliæ munitum. Verùm locis suburbanis ex improuiso captis, omnique ad oppugnandum apparatu comportato, milites præsidiarij recentis exempli clade perterriti, exercitum victorem ab oppugnatione pacto auerterunt, opidumq́ue fortunis vitaque incolumi Archiduci dediderunt. Exercitu lustrato vtrumque hostem Princeps cōsilij ambiguum aliquandiu detinuit; Bononiæ Galli, Ostendæ metuebant Hollandi: donec copias simulatè huc illuc ablegatas ad Hulstanum in Flandris agrum reduxit, rem omnium iudicio æquè ar-

duam

duam aggressus, ac toto belli tempore tentata vsquam fuit. Enimuerò Zelandi qui ante sexennium hoc opidum interceperant, tot illud propugnaculis, tam firmis præsidiis, commeatu omnique bellico apparatu, & immissis per aggeres perfossos æstuariis ita communiuerant, vt nec obsideri, nec accessum impediri, vel auxilia intercludi marini æstus beneficio, neque vllo modo capi posse existimarent. Sed fortunæ Archiducis, virtutique militum nihil fuit inuium. Superatis enim Oceani æstuariis, & in agrum Hulstanum irruptione facta, propugnaculis expugnatis, tormentisque maioribus ad mœnia admotis, murisque conquassatis, cùm interea Zelandi, arma, supplementa, integrosque pro sauciis & peremptis militibus quotidie subueherent, obsessos ad deditionem compulit, gloriosam mensis spatio victoriam consecutus. Nec minus feliciter consiliis imperatoriis sequentis anni fortuna obsecundauit. Sexto Id. Martias equestres & pedestres Dorlanum copias misit, magnæ expeditionis postero die effectrices. Ambianum enim intempesta nocte ductę, in loco vrbi proximo summo mane substiterunt, trecentis militibus in leprosaria portæ vrbis vicina in insidiis collocatis, ad signum quod daretur festinanter accursuris. Octodecim rectà ad portam contenderunt habitu rustico personati, arma veste occultantes, quorum septem præcesserunt, plaustrum fœno onustum ad forum acturi. Vehiculum ab auriga in porta inhibetur, eo loco quo conuenerat cui imminet cataracta. Cæduntur primo impetu vigiles, ciues in propinquo portæ habitantes arma corripiunt, ad tumultum accurrunt, sed trecentis illis ex insidiis aduolantibus intra vrbem repellũtur. Hos sequuntur è vestigio reliqui equites peditesque, hi ad forum penetrant quod vocant frumentarium, illi tota vrbe viis omnibus discurrentes, ne qua fiat armatorũ coïtio impediunt. Ita vrbem celeberrimam, Galliæque munitissimam vnius horæ spatio, sine impendio, sine strage, viginti sex ciuium Ambianorum iacturâ, militumque duorum, non solùm in potestarem redegit, verùm etiam permagna bellici apparatus, quem in proximam æstatem Rex Galliæ huc congesserat, copia potitus est, atque expeditionem, quam meditabatur Gallus, penitus interuertit. Dum enim ex subita trepidatione, quam rumor de capto Ambiano iniecerat, Gallia sese colligit, dum exercitum Rex parat, aliquot menses extrahuntur, dum longa obsidione recipere vrbem nititur, opportunitas in Belgium ducendi elabitur, obiecto Ambiano vice propugnaculi, quod pacis componendæ occasionem tandem præbuit.

Interea Rex Catholicus valetudine in dies cum ætate ingrauescente, aliisque de causis quas mox referemus, consilium quod de Belgicis ditionibus ceperat, aperiendum esse censuit, per litteras quas ad Ordines prouinciarum dedit in hanc planè sententiam.

Reuerendi in Christo patres, venerabiles, charissimi, fideles & dilecti.

Quo animo & propensa in patrimoniales Germaniæ Inferioris prouincias nostras, vniuersas & singulas, voluntate affecti fuimus, ex solicitudine quam de illarum cõmodis & quiete habuimus, ex laboribus quos suscepimus, & ex sumptibus immensis, quos pro earum contra hostes defensione impendimus, nulliq; rei pepercimus ad eos reducendos ad obsequium nostrum, qui & ab obedientia & à recto deerrarunt, rebellantes contra quem Deus & natura Principem ipsis dedit, animaduertere potuistis. Id multò manifestius modò cognoscetis, ex benigno consilio quod in rem vestram cepimus, cuius frater noster nepos & cognatus Archidux Albertus vos faciet certiores, cui vt plenam fidem, non secus ac nobis, adhibeatis cupimus & seriò mandamus; quandoquidem permagni vestra interest, & communis reip. Quod cùm vos facturos confidimus, gratumque vobis fore, quod vobis ille proponet. Reuerendi, &c. Deus Opt. Max. vos seruet incolumes. Ex fano D. Laurentij IV. Id. Septemb. anno CIƆ. IƆ. XCVII. N. D. V. Eratque subscriptum manu regia, Philippus, & infrà signatum, A. de la Loo. Superscriptio erat huiusmodi; Reuerendis in Christo patribus venerabilibus, charissimis, fidelibus nostris & dilectis, Prælatis, Nobilibus, & ciuitatibus ditionis nostræ & ducatus Brabantiæ Ordines eiusdem prouinciæ referentibus aut eorum delegatis. Eodem exemplo ceteræ quoque prouinciæ litteras

teras acceperunt. Redditæ autem lectæque fuerunt Ordinibus Brabantiæ v. Non. Decemb. Princeps Hispaniarum Philippus III. Regis filius & hæres haud absimili tenore ad eos quoque scripsit: Reuerendi, vt suprà: Vt in omnibus rebus paternæ magnanimitatis virtutumq; vestigiis insistere sum conatus; sic & eius benigni erga vos affectus imitator esse volui, idque in rem vestram, quam ex animi sententia promoueri vobis cupio. Quemadmodum reipsa comperietis ex his quæ meo nomine auunculus cognatusque meus dilectus Archidux Albertus vobis significabit, cui fidem adhibebitis, eaque quæ vobis declarabit præstabiris. In quo mihi non solùm rem gratam facietis, sed præcipuos fructus vos ipsi percipietis. Reuerendi, &c. Deus vos seruet incolumes. Ex fano D. Laurentij die & anno eodem. Subscriptum, Philippus, & reliqua, vt suprà.

Regia porrò mandata per prædictas litteras fidei suæ commissa Archidux Albertus Ordinibus exposuit, & huiusmodi esse palàm declarauit. Christianæ reip. vniuersæ gratia harumque prouinciarum, Regiæ Ma^ti expedire visum esse, serenissimæ Infantis filiæ suæ nuptias diutius differri nequaquam oportere. Regem verò ad familiam Austriacam conseruandam & amplificandam, aliisque de causis, eius rei nomine in se Albertum oculos conieciſſe, Beatissimo patre Pontifice auctore, regia item sorore Augusta, & Cæsare consentientibus. Atque vt maiore filiam suam beneficio & matirum afficiat, propensumque in has prouincias animum suum demonstret, eas ipsi in dotem cum Burgundiæ Comitatu & subsidium matrimonij sine vlla exceptione conferre voluisse. Benignum hoc consilium Ordinibus gratum fore, Regi dubium non esse, vtpote quod ad rem & eorum omnium vtilitatem pertinet, rectamque hâc viam esse, quâ ad pacem perueniri, belloque funestissimo imponi finis queat, quod Ma^tas eius Regia tantopere exoptauit. Quod ad se quidem attinet, qui Regis beneficium in ipso prę ceteris Principibus eligendo reuera magni faciat, atque eo nomine incredibili gaudio affici ipse debeat; eò tamen maiorem hinc lætitiam sese capere, quòd hac occasione, optimæ suæ voluntatis testimonium dare poterit, & Burgundicorum ac Austriacorum maiorum suorum vestigiis insistendo, ad salutem Belgij omnem operam conferre. Se enim has prouincias singulari iampridem amore complecti, eiusque à primo in eas ingressu specimen aliquod dedisse, tametsi ea in re votis suis satisfacere temporis impediti necessitas haud permiserit. Adhęc exploratum compertumque sibi esse, quàm insuetum onus humeris subiturus sit; verùm Ordinum consilio & subsidio confisum, quibus eum alleuabunt, lætissimi propitio Dei numine successus spem animo concepisse. Has denique prouincias pristinæ amplitudini, prosperitati & splendori, quo olim maiorum æuo floruerunt, restitutas se visurum, populosque perspecto Infantis serenissimæ suoque in eos animo, parem beneuolentiam ipsis præstituros, qua inclytos suarum Celsitudinum maiores, auos proauosque ipsarum sunt demeriti.

Quibus intellectis, petunt diem ampliari iidem Ordines Brabantiæ, quo seorsim deliberent; se verò incredibilem lætitiam percepisse ex benigno Regiæ Ma^tis consilio, quod vt ad Dei gloriàm, in rem Archiducum, ad quietem cedat & salutem Belgij, conceptis votis precari, in quam ferè sententiam litteris Regiæ Ma^ti ab Ordinibus responsum est.

Potentissime Rex, Princeps noster clementissime:

Maiestatis tuæ litteras IV. Id. Septemb. ad nos datas accepimus v. Non. Decembris: earumque rerum quas in mandatis habuit Archidux Albertus, & consilij tui Regij, cum Principis serenissimi filij tui interuentu, de his Inferioris Germaniæ prouinciis serenissimæ Infanti in dotem conferendis, & de eius cum ipso Archiduce nuptiis certiores facti sumus. Ingenti profectò mœrore afficeremur, obsequij & amoris quo Deus & natura nos tuæ Ma^ti obstrinxit ratione, & beneuolentiæ causa, qua nos illa à prima in his prouinciis suis patrimonialibus inauguratione, prosecuta semper fuit; nisi ista cessio in eam Principem fieret, quæ præter quàm plurimas perfectasque virtutes eundem affectum & benignitatem erga subditos suos proculdubio secum feret, maximè cùm Alberto iisdem præditio virtutibus, quarum specimen nobis dedit, matrimonio iuncta erit. Quamobrem

D spetamus,

ſperamus, quandoquidem eo caſu continuatio potiùs eiuſdem principatus quàm mutatio fiet, Ma^tem^ tuam de ſua pietate, & paterno in nos affectu nihil remiſſuram, ſed haſce prouincias benignè commendatas ſemper habituram, ſolitoq; auxilio difficillimis temporibus, iiſdem ſubuenturam, vt poſt tam diuturnum luctuoſumque bellum & ciuilem motum, reique publicæ euerſionem pacari tandem & tranquillari queant. Quod vt procuretur, Ma^tem^ tuam obnixè rogamus, effectu maturè conſilium eius ſequente, ne longa nimis morâ vel dilatione remedij, quod adferre malis noſtris meditaris, fructus amittatur, non minus exoptatus, quàm ad conſeruationem Belgij neceſſarius. Non enim ab hoſtibus modò belli diuturnitate hæ prouinciæ ſunt exhauſtæ, ſed à domeſtico etiam milite, qui ſtipendiis non ſolutis, corruptâque diſciplinâ, ad eas diuexandas & diripiendas flagitiosè eſt prolapſus. Cui quidem malo cùm hinc peti remedium nullo modo poſſit, vt per tuam Ma^tem^ ærario militari largiter proſpiciatur ſimiliter ſupplicamus. Quoniam autem quantum ad nos attinet, quemadmodum nihil prius nec antiquius nobis fuit, quàm pari fide & obſeruantia quâ maiores tuos legitimos Principes noſtros coluimus, mandatis tuis obſequi, & ex iuriſiurandi quo tibi obſtricti ſumus formula ſatisfacere; exploratum compertumque Ma^tas^ tua habeat, nos huic quoque officio nequaquam defuturos, vt eam deſiderij nos ad voluntatem ſuam comparandi, certiorem faciamus. Reliquum eſt, Deum votis obteſtari, vt ſanctum iſtud conſilium eiuſque progreſſum, ad gloriam ſui nominis, Religionis Catholicæ propagationem, in rem tuæ Ma^tis^ eiuſque poſterorum, ad ſolamen denique & ſalutem populi, prouinciarum ac Brabantię benè vertat, ac Ma^tem^ tuam compotem votorum regiorum faciat. Bruxellæ III. Non. Decemb. anno nonageſimoſeptimo; ſubſcriptum erat: Ma^tis^ tuæ Regiæ obſequio deditiſſimi ſubditi & vaſſalli, Ordines prouinciæ & Ducatus Brabantiæ; ſubſignatum P. Maſius.

Ad Hiſpaniæ Principem huiuſmodi litteras ſcripſerunt.

Nihil nobis fuit gratius, Princeps clementiſſime, litterarum tuarum, quas primas dediſti iucundiſſimo conſpectu, quòd eas benignæ erga nos voluntatis plenas deprehēdimus; hoc maximè ſtatu rerum quàm calamitoſiſſimo, qui niſi conſilio ſuæ Ma^tis^ maturè fulciatur, quemadmodum & ipſius, tuæque ſereniſſimæ Celſ. nomine Archidux Albertus nobis declarauit, ruinam toti Belgio impendentem minatur. Quamuis autem iamdudum Celſ. tuæ præſentiam exoptauimus, vbi tamen & regiam & tuam voluntatem aliter ſe habere, relatu eius intelleximus, nos eidem ſubſcribere, & propoſiti remedij effectum exſpectare, conſentaneum eſſe duximus. Quod Ma^tem^ eius reſponſo ad illam dato tuamque Celſit. ſuppliciter obſecramus, vt quam perturbatus reip. ſtatus poſtulat, celeritate promoueant. Atque vt interea ærarij militaris viribus confirmatis, eorum qui ſtipendia pro tuendis nobis merent, vexatione liberemur, ne de omni remedio rep. deplorata, poſtmodum deſperandum ſit. Qua quidem ſpe confiſi Deum precamur, vt Celſit. tuam incolumem, proſperam, florentemque diu conſeruet. Bruxellæ III. Non. Decembr. anno CIↃ. IↃ. XCVII. ſubſcriptum erat: Sereniſſimæ Celſitudininis tuæ obſequio addictiſſimi Ordines Brabantiæ; ſignatum vt ſupra.

Paucis pòſt diebus III. Idus Decembr. iidem Ordines Brabantiæ rationes quaſdam, certum modum alleuandæ calamitatis continentes Archiduci exhibuerunt:

Cum ingenti enim gaudio ſeſe intellexiſſe, quæ Regiæ Ma^tis^ nomine propoſuerat, ceu aptiſſima malorum quibus diuexamur remedia, dicebāt. Augeri in dies pericula, cum ingenti detrimento, & panolethriæ metu, niſi & maturè & prudenter caueatur. Se propterea, ne officio ſuo defuiſſe præſertim ab ipſo admoniti videantur, prætermittere nequiuiſſe, quin conſilia ad præſentem rerum ſtatum idonea, bona eius gratia proponant:

Primùm hæ prouinciæ, non cum illis ſolùm qui Regię Ma^tis^ obſequium eiurarūt, ſed cum Regibus etiam Galliæ & Britanniæ potentiſſimis, exitioſa bella gerunt. Quæ eas vſqueadeò imò funditus exhauſerunt, & fortunis euerterunt, vt in continuandis ad domeſtica bella & externa ſumptibus, pares eſſe nequeant; præſertim cùm ſubſidia quæ ſuppeditat

ditat Hispania ob locorum longinquitatem,aliasque difficultates, tardius ad nos veniat. 189
Quibus benè perpensis & tot hostium regiæ magnitudinis æmulorum,externumque dominatum suspectum habentium,concursatione,insignis in aliquam Belgij partem inuasio est pertimescenda, hoste opportunitatem ex statu perturbato diligenter obseruante, sicubi fortè populus tot mala,tot clades, & damna perpessus,& ad extremam inopiam redactus, insolentiæ militaris aliquando pertæsus, quæ ex dissoluta stipendiis non solutis disciplina nascitur, cùm nec adhibendi remedij tempus esset, sed seditio militaris magis etiam magisque passim inflammaretur,captandæ occasionis fomitē illi daret. Quoniam autem Belgicarum regionum felicitas à tua pendet Celsitudine, quæ fidelis illarum operæ & obsequij percipere fructus debet, Ordines Brabantiæ primam inter septemdecim prouinciam referentes,qui conceptam de rep. restituenda fiduciam, viua ipsius voce intellexerunt,orant,obsecrantque,vt ipsis sibique Celsitudo tua consulat,prouincias in statu suo conseruet,& det operam ne quid illæ detrimenti capiant:sed vt iusta per correctam militum disciplinam earum defensione optimæ huius spei effectum fructumque exspectare queant. Quod vt sine paratis pecuniæ subsidiis perdifficile esse scimus,ac metuendum esse ne defensione huiusmodi dilata,aliquæ ciuitates vel loca munitissima ab hoste inuadantur:quemadmodum cum magna animi ægritudine non ita pridem vidimus,vnde ingens perturbatio,aut prouinciarum secessio oriri posset; consultum videtur,imò necessarium(saluâ reuerentiâ) vt aliquam rationem tua Celsitudo pacis cum Gallia & Britannia ineundæ quàm primùm inueniat; vt cùm illa regna Batauorum partes deserent, illi etiam ad pacem propensiores fiant. Præterea cùm & salus & incommoda prouinciarum ad eas omnes spectant, Celsitudo tua secum potest expendere an Ordines generales obsequio Regis addictos conuocare non expediat; qui sub tua auctoritate de remediis huic malo quod præsentem reip. interitum minatur, commodè inueniendis deliberare possint: vt vel congressus veniâ cum Batauis nobis datâ, & consilio Regio ipsis communicato,vel ad proponendas pacis conditiones vel ad inducias sternatur primùm via, aut aliquo saltem pacto arma suspendantur. Qui reuera modus est Catholicæ religionis & Belgij conseruandi: Deinde præter fructum quem ex Ordinum comitiis procul dubio exspectamus,tua Celsitudo quo loco apud illam ipsorum fides sit,his auspiciis declarabit, quod etiam apud hostes haud exigui est momenti. Adhæc si vel illi,quod Deus auertat, rationibus non flectentur,aut fortunâ sua ebrij,quam blandiri sibi putant,res iniquas postulabunt, aut in detrimentum Catholicæ religionis in tractando prolabentur, ad maiorem reip. securitatem præstat, vt à tua Celsitudine prouinciarum nomine cum vicinis regionibus,populis & principibus eandem religionem & cultum amplectentibus,societas ineatur & fœdera sanciantur: vtpote cum VII. viris S.R. Imperij Electoribus, Moguntiaco,Coloniensi & Treuirensi,cum Principe Episcopo & ditione Leodiensi,cum Ducibus Lotharingiæ, Iuliacensi, & aliis: vt eorum auxilio ad æquas conditiones inflecti tandem queant. Quod prædictos Principes vicinasque prouincias non putamus reiecturas,Regiæ magnitudinis suspicione hîc cessante & periculo communis religionis admonēte. Tuam denique Celsitudinem obnixè orant & obsecrant, vt quæ hîc tuo iussui obtemperantes exposuerunt,in bonam partem accipiat, quippe ab ingenuis horum animis profecta, obsequio tuo deuotissimorum & paratissimorum, ad vitam & fortunas vbertim profundendas,vt prouinciæ legitimis Principibus & splendori pristino restituantur.

Nec successu caruit Brabantiæ Ordinum oratio. Etenim graues admodum causæ extiterunt, quæ summum Pontificem, ad Reges, Philippum II. Catholicum, & Henricum IV. Christianissimum conciliandos permouerunt. Dum enim regnum Galliæ & prouinciæ Belgicæ incendiis domestici & externi belli ardent, mutuis cladibus atteruntur,& tot iam annis diuexantur,diripiuntur & vastantur, & dum amplissima Hispaniæ regna,Britannia & Sabaudia in damni & periculi societatem veniūt; Immanis ille Christiani nominis hostis, occasione à nobis ipsis petita, & opportunitate ex his dissensionibus,in prouincias Christianas longè lateque progressus inuasit. Quod cùm animaduerteret Beatissimus Pater summus Pontifex Clemens octauus huic malo mederi & tanquam

quam à radice euellere cupiens, per nuncium Apostolicum apud Regem potentissimum Philippum Catholicum pluribus verbis egit,& ad pacem, amicitiam & concordiam ineundam cum Galliæ Christianissimo Rege Henrico IV. sanctissimis suis suasionibus adhortatus est. Ipsum quoque Galliæ Regem Pontifex per suum & sedis Apostolicæ legatum Cardinalem Illustrissimum, Mediceæ familiæ Alexandrum, ad pacem amplectendam seriò admonuit. Cùm autem sanctissimus pater intellexerat Regem Catholicum pacis ineundæ & tractandæ negotium Archiduci Cardinali Alberto demandasse, cuius fidem,animumque pacis studiosissimum iamdudum perspexerat, Reuerendum patrem Bonauenturam Calatagironem ordinis diui Francisci Ministrum generalem ad eum ablegauit,vt & sui desiderij,& Regis Catholici de pacis rationibus quas ab eo intellexerat, voluntatē declararet,quę Pontificis mandato idem generalis Christianissimo Regi etiam exposuerat. At Reges studio pietatis,commiseratione, & dolore permoti, quem ex graui & diuturna oppressione capiunt, qua ipsorum regna, prouinciæ subditique his bellis affliguntur,ac nihil de officio optimorum Principum, Deumque timentium & subiectos diligentium,remittere cupientes,quin solidam & securam, quod ex eorum nutu pendet, orbi Christiano & iis maximè prouinciis,quarum ipsis curam Diuina prouidentia cum sceptro commisit,restituant & stabiliant: Ad paternas etiam prudentesque Pontificis admonitiones,vti par est,seriò respicientes, illisq; acquiescentes,socios denique Principes & amicos adhortati,vt ad pacem & concordiam,ad diuini nominis gloriam, securitatem & quietē orbis Christiani, & ad subditorum sibi populorum alleuamētum & tranquillitatem, suas quoque volūtates,sua studia adiungerent: & vt eò tandē perueniri posset,atque ad paciscendum,transigendum,actumq; confirmādum ab Archiduce Cardinale Catholici Regis nomine mandati expressi vigore delegati essent Amplissimi domini Ioannes Richardottus eques,sanctioris Consilij regij pręses,& à consiliis status; Ioannes Baptista de Tassis eques, ordinis militaris D. Iacobi Commendator, à status item & belli consiliis, & Ludouicus Verreycken eques,audientiarius,primusque Secretarius & Chartophylax siue sanctiorum scriniorum præfectus, quem chartarum thesaurarium vocant; Nomine verò Christianissimi Regis, Amplissimi item domini Pomponius de Bellieure eques,dominus de Grignon,status in Gallia consiliarius, & Nicolaus Brulart eques, D. de Sillerij eiusdem status consiliarius,& parlamenti apud Parisios præses: omnes idoneis mandatorum instrumentis constituti & muniti, præsente Illustrissimo Cardinale legato,qui piam & insignem pro conciliandis Regibus operam interposuit, Veruini in Veromanduis in has conditiones pacem pepigerunt.

Placuit imprimis & vtrinque conuenit, vt pacis & concordiæ pactio inter Reges Philippum II. & Henricum IV. ineatur & concludatur iuxta tenorem,& in approbationem conditionum pactionis Cameracesiæ inter prædictum Regem Catholicum, & Henricum II. Christianissimum anno quinquagesimo nono supra sesquimillesimum initæ & confectæ. Quam quidem pactionem dicti delegati denuo confirmarunt, & in omnibus articulis ratam habuerunt, non secus ac si esset ad verbum hîc inserta,sine vlla innouatione eiusdem pactionis & omnium pactorum conuentorum præcedentium, quæ omnia integra manebunt, exceptis iis quibus per hanc pactionem expressè derogatur.

Inter dictos Reges,liberos eorum natos vel nascituros,hæredes & posteros,regna, prouincias,& subditos eorum,bona,secura, firma & stabilis pax erit, confœderatio, societas & amicitia perpetua, & amore fraterno se mutuò complectentur, ac alter alterius saluti, honori & existimationi quantum poterit consulet, & alterius damnum pro viribus suis, fideliter auertet,nec in alterius detrimentum,gratia quemquam aut fauore iuuabit. Inimicitiæ conquiescent,præteritis iniuriis qualescunque fuerint obliuioni traditis, abolitis & exstinctis,adempta de iis in posterum inquirendi,vel mentionem faciendi omni facultate: Quibusuis pactionibus, fœderibus, societatibus & commerciis quæ in partis alterius detrimentum possent verti,per præsentem pactionem nuncium remittentes. Ac nihil vnquam se facturos promittentes, nec vt fiat per alium procuraturos, quod alteri nocere aut damnum dare posset,nec hoc per vassallos subditosque suos directè aut indirectè fieri

fieri permissuros. His qui secus faxint, cuiusmodi personæ vel conditionis fuerint, vel stipendia alicuius, terra aut mari mereant, aut auxilium cuiquam aut operam suam pręstent in rebus quæ nocere alteri Regum possent, alter se opponere & impedire tenebitur, illosque ceu huius pactionis violatores & quietis publicæ perturbatores punire. 130

Quo pacis & necessitudinis beneficio quilibet vtriusque partis subditi, sub legibus & consuetudinibus regionis ire, redire, manere, habitare, versari in alterius prouincia & regno poterunt, mercaturam exercere, & prout videbitur terrestri, maritima ac fluuiatili nauigatione negotiari ac frequentare: iidem quoque subditi in regnis & regionibus alterius Regum hospites ibidem defendentur, modò soluant consueta vbique vectigalia, & alia per Reges, & eorum successores in posterum imponenda.

Litteris de marca & represaliarum quę quacunque de causa cuiuis sunt concessæ, omnes suspendentur, nec posthac à Regum altero in damnum alterius subditorum concedentur, exceptis violatæ pacis auctoribus & eorum bonis & criminum sociis, idq; solùm in casu manifesto iustitiæ denegatæ, de qua & de litteris denuntiationis & earum requisitionis ij qui represalias vel litteras de marca postulabunt formâ iuris consuetâ docere tenebuntur.

Ciuitates, subditi, ciues & incolæ Comitatuum Flandriæ & Arthesię aliarumque Belgicarum prouinciarum, & regionum Hispaniæ, priuilegiis & libertatibus fruentur, à Regibus Galliæ maioribus Regis Christianissimi indultis. Similiter ciuitates, ciues, incolæ & subiecti regni Galliæ, iisdem priuilegiis & libertatibus in Belgio & Hispania concessis fruentur, quemadmodum eorum vnusquisque olim vti frui que ibidem illis solent, maximè virtute pactionis anni quinquagesimi noni, & aliarum præcedentium.

Pactum præterea & concordatum est, si Rex Catholicus, testamento, dotatione, resignatione aut alio quouis titulo, omnes Belgij prouincias cum Comitatibus Burgundiæ & Carolesij serenissimæ Infanti Isabellæ filiæ suæ vel alteri donauerit, cesseritve; easdem omnes prouincias & Comitatus sicut erãt dicto anno quinquagesimo nono; Ipsam quoque serenissimam Infantem Isabellam filiam Regis natu maiorem, vel eam eúmve in cuius fauorem Rex Hispaniæ disposuerit, hac pactione comprehendi, vt non alia in hunc finem vel noua pactio requiratur.

Sùbditis & ministris alterutram partem secutis, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, tametsi partis aduersæ stipendia meruerint, reditus in beneficia & officia patebit, de quibus sub finem Decembris anni octogesimi octaui prospectum illis erat; exceptis curionatibus siue pastoratibus regulariter in alios collatis. Vniuersi etiam & singuli bonis suis immobilibus, reditibus perpetuis, vitalibus, & redimibilibus, quorum fructu & pensionibus belli causa sub finem anni octogesimi octaui exorti caruerunt, hac pace promulgata vtentur & fruentur, sicut & iis fructibus & pensionibus, qui quæve postea ceciderunt aut successione aliòve modo obuenerunt, sine controuersia aut impedimento, exceptis fructibus à publicatione bonorum immobilium perceptis, quos repetere non licebit vsque ad diem promulgatæ pacis, nec æs alienum ante dictum diem fisco illatum. Eritque valida iam facta alienatio vel adhuc facienda per Principem, eiúsve procuratorem vel constitutum, sub cuius Iurisdictione arrestum factum fuerit. Nec huiusmodi æris alieni creditores au actionem eorum habentes, ad eius prosecutionem quouis modo admittentur, nec actionis qualiscunque nomine experiri in eos poterunt, quibus huiusmodi donatio facta fuit, nec in eos qui vigore donationis & confiscationis eadem debita ex quacunque causa orta, exsoluerunt, quibusuis insttumentis obligatoriis, quæ creditores de iis debitis habent iure fisci & præsenti pactione antiquatis & exstinctis.

Dicti porrò subditi, & ministri partis vtriusque in bona immobilia reditusque suos reuertentur, vt supra, cessantibus quibusuis donationibus, concessionibus, declarationibus confiscationum, & sententiis in contumaciam per eremodicium parte absente vel nõ audita belli causa latis. Quæ sententiæ & res iudicatæ, tam in ciuili quàm criminali iudicio, inualidæ, sine effectu & pro non datis vel iudicatis erunt. Eam in rem prædictos subditos in integrum restituentes, quibusuis impedimentis & contradictionibus contra ius, quod

ante indictum bellum habebant,cessantibus. Nec in quemquam causa muneris aut functionis publicæ,commeatus,ærarij, aut alterius negotij belli causa gesti, & cuius rationes coram illis reddiderit qui tum temporis disponendi habebant facultatem, inquirere licebit: modò iidem subditi & ministri,haud aliis delictis vel criminibus obnoxij, quàm aduersæ partis ministerio deprehendantur. Nec in prædictas regiones, prouincias vel dictorum Regum dominia redire licebit,nisi Regio indulto cum diplomate impetrato, Regiis quoque sigillis communito; cuius verificationem in curiis apud regios officiarios prosequi minimè tenebuntur.

Ecclesiastici qui beneficia obtinuerunt, quorum ad Reges vel alios laicos spectat donatio,præsentatio aut dispositio,in possessione in posterum iisdem fruituri permanebunt, tanquàm benè & legitimè collatis.

Et in pacis huius promouendæ gratiam,& vt vtriusque Regis votis satisfiat, pactum & concordatum est, vt alter alteri cum effectu & bona fide reddat & restituat,ea quæ per ipsos,aut eorum mandato vel nomine adempta,occupata & detenta ab altero in alterius regno aut ditione deprehendentur. Dictus nimirum Rex Christianissimus Catholico Regi reddet possessionem & dominium comitatus Carolesij, cum omnibus eò spectantibus proprietatibus, ab ipso & hæredibus absolutè & pacificè possidendum & fruendum, & sub summo Regum Galliæ imperio retinendum. Et si qua alia sunt loca à Rege Christianissimo vel suis occupata ab anno quinquagesimo nono, bimestri à præsenti die spatio restituentur.

Eodem quoque modo Rex Catholicus Christianissimo restituet loca per ipsum vel eius nomine aut mandato à tempore dictæ pactionis Cameracesiæ,adempta, occupata & detenta,vtpote Caletum, Ardam, Montem Hullinum, Dorlanum, Capellam,& Castelletum in Veromanduis, Blauetum in Aremoricis, & omnia alia loca quæ Rex Catholicus in Gallia occupauit,à dicta pactione,ac per eum aut suos detinentur.

Dictum autem Caletum, Arda, Mons Hullinus, Dorlanum, Capella & Castelletum, à Rege Catholico vel eius ministris,cum effectu & bona fide, sine dilatione aut recusatione quacunque de causa vel prætextu Regi Christianissimo aut eius constitutis intra duos iustos menses, à die huius pactionis, in eo statu quo nunc reperiuntur restituentur & reddentur, sine vllius rei demolitione,infirmatione,aut deterioratione quouis modo: & sine repetitione aut prætensione compensationis vel satisfactionis pro munitionibus in dictis locis excitatis aut factis, nec pro stipendiis quæ habentibus ibidem præsidia militibus debentur. Caletum & Arda primò restituentur, & deinde loca reliqua, vt omnium restitutio bimestris dicti spatio plena & absoluta sit.

Blaueti restitutio eodem quo supra pacto sine mora aut recusatione intra trimestre, à die præsentium fiet. Et si quid Rex Catholicus vel ibi vel in aliis locis Aremoricis per ipsum reddendis communiuit,id demoliri poterit.

Cùm locorum prædictorum fiet restitutio, omnia bellica tormenta puluerem nitratum, globos, arma, commeatum & reliquum belli apparatum qui restitutionis tempore ibidem reperientur, Catholico Regi auehere erit integrum. Milites etiam & quicunque ex his locis excedent, omnem suam supellectilem asportare licebit; quibus non permittitur à locorum vel vicini agri incolis quicquam exigere, nec eorum ædibus damnum aliquod dare,aut inde auferre quod ad illos pertinet.

Et vt commodè milites Blaueto in Hispaniam peruenire possint, Rex Christianissimus,nautas & nauigia præberi illis faciet, quibus bellicas machinas, commeatum, reliquumque appatatum cum impedimentis onerare poterunt;data cautione de nauium restitutione,& nautarum tuto reditu tempore præstituendo.

Pro restitutionis locorum securitate, dicti Regij legati post hanc pactionem à Rege Christianissimo approbatam, quatuor obsides Catholici Regis subditos datum iri spondent,qui benè & honorificè pro decoro personarum in Gallia excipientur: factaque restitutione,obsides sine mora,bona fide liberabũtur. Sex verò locis in Veromanduis restitutis duo obsides remittentur,duobus aliis retentis donec Blauetum similiter restitutũ sit.

Quod

Quod ad ea attinet quæ pactione continentur anni quinquagesimi noni, eorum defectus in conditionibus quarum executio desideratur, explebitur; vtpote de feudo Comitatus Fani S. Pauli, de regionum vtriusque Principis limitibus, & de agris quorum est suspensa decisio, de immunitate vectigalium & externarum impositionum à subditis Comitatus Burgundiæ prætensa; & ab Episcopo Terouanæ de Abbatia S. Ioannis ad montem Ducatus Bullonienfis; de quorundam locorum hinc inde restitutione quæ ex formula prædictæ pactionis fieri debuit; & de omnibus aliis controuersiis, nondum vti pactum erat definitis.

Ad quarum rerum decisionem, arbitri nominabuntur & recipientur iuxta dictæ pactionis tenorem, qui proximo semestri, loco per dictam pactionem designato de consensu partium conuenient, sin minus, alium locum eligent.

Et quemadmodum in locorum diuisione diœcesibus Atrebatensi, Ambianensi, Sanctaudomarensi & Bononiensi attributorum, pagi Gallicæ ditionis Episcopis Attebatensi & Sanctaudomarensi, alij Flandriæ & Arthesiæ ditionis, Episcopis Ambianensi, & Bononiensi attributi reperiuntur, quæ res sæpe controuersiam & confusionem parit: Conuenit vt consensu à Pontifice impetrato, commissarij vtrinque constituantur, qui intra anni spatium loco designato de commoda in rem partium permutatione transacturi, conuenient.

Bello capti, & adhuc vtrinque detenti, expensis persolutis & legitimis debitis, sine lytro liberabuntur, nisi de eo soluẽdo conuenerint: quod si quis modum excedere conqueretur, Princeps regionis vbi captus detinetur, illud moderabitur.

Omnes alij captiui dictorum Regum subditi, qui ob calamitates quas bellum secum adfert, ad suarum Ma^tum triremes relegati sunt, sine mora quacunque de causa vel prætextu iniiciendo sine lytro aut expensis soluendis dimittentur.

Regi Hispaniarum & Infanti serenissimæ filiæ eius maiori, eorumque hæredibus aut actionem habentibus, iura omnia, actiones & prætensiones, quas dictorum regnorum, prouinciarum & dominiorum ratione, vel aliter aliundè quouis modo ad se pertinere existimant, integræ reseruantur, quibus nec ipsi nec eorum maiores, expresè renunciatunt; vt de iis experiri amabiliter vel iudicialiter, non vi aut armis possint.

Quemadmodum etiam Christianissimo Regi Galliæ & Nauarræ, eiusque hæredibus & actionem habentibus, reseruantur quæuis iura, actiones, & prætensiones, quas ad se spectare putat, dictorum regnorum, prouinciarum & dominiorum nomine, vel alia qualicunque ratione, quibus nec per ipsum nec per maiores eius expresè renunciatum est; vt de iis etiam amabiliter vel iudicialiter non armis experiri possit.

Ad legatorum quoque propositionem, ex parte Catholici Regis factam, qui serenissimum Sabaudiæ Ducem in hac pactione cõprehendi petit, cuius vtilitatem & conseruationem nõ secus ac suam cõmendatam sibi habet, causâ cõsanguinitatis & affinitatis quæ ipsis intercedit, vti se in mandatis ab Archiduce Cardinali habere exposuerũt: sicut etiam declarauit Illustris D. Gaspar de Geneua marchio Lullini, à consiliis status, cubiculo & Ducali satellitio præfectus, Ducatus Augustæ & ciuitatis Ivreæ gubernator, eiusq; constitutus & orator, vt ex procuratorio instrumento eius liquet: dictum Ducem in honorem suæ originis quam ex fratre proauiæ Christianissimi Regis & ex Reginæ matris eius cognata ducit, Regem sibi conciliare decreuisse, & vt suæ Ma^tis consanguineum deuotissimum, eandem cum omni reuerentia, cultu & obseruatione quantum potest maxima agnoscere, vt se suasque actiones in posterum melius illi probet, quàm temporis præteriti occasio non permisit. Eam quoque fiduciam de Rege se habere vt boni sui affectus habita ratione, eadem bonitate & amicitiæ declaratione ipsum prosequatur, quâ postremi quatuor Reges inclytæ memoriæ patrem suum sunt complexi.

Conclusum itaque & concordatum est, vt dictus Dux Sabaudiæ in hac pactione comprehendatur: Qui vt suum desiderium testetur de satisfaciendo Regiæ voluntati, opidum cum castro Berrensi intra bimestre à die huius pactionis cum effectu bona fide, sine dilatione vel recusatione quouis modo aut prętextu sumenda suæ Ma^ti vel constituto eius restituet

ſtituet in huiuſmodi ſtatu quo nūc deprehendentur, ſine demolitione aut detrimento vllo, & ſine expenſarum in munitionibus tam in opido quàm arce exſtructis repetitione, & ſine vlla ſtipendij militaris quod deberi poſſet ſolutione, machinis bellicis ibidem relictis quæ expugnationis tempore in opido & caſtro inueniebantur; euehendi eas machinas, ſi quas Dux inuexit, conceſſa facultate.

Hac pactione etiam concordatum eſt, vt idem Dux Sabaudiæ tribunum militarem cognomine Fortunam opidum Seurram in Burgundia occupantem, deſerat & dimittat, neque eum alioſque iniquè illud opidum inuito Rege Chriſtianiſſimo vſurpantes auxilio aut gratia iuuet.

De aliis verò inter Regem Chriſtianiſſimum & Sabaudum controuerſijs prædicti legati promouendæ pacis gratia conſentiunt & conueniunt, vt ad Pontificis Clementis octaui arbitrium deferantur, vt per eum componantur & decidantur intra annum à die pactionis iuxta Regium reſcriptum, pridie Nonas Iunij ea de re datum. Et quicquid decreuerit beatiſſimus pater bona fide adimplebitur & executioni vtrinque mandabitur, citra dilationem vel recuſationem quouis prætextu, aut colore quæſitam. Interea res omnes in eodem quo nunc ſunt ſtatu permanebunt, donec Pōtifex pronunciauerit, ſine mutatione aut innouatione, & eodem modo quo vtrinque poſſidentur: ſublata facultate vlterius progrediendi aut tributa in alterius ditione exigendi.

Quocirca pactum & conuentum eſt, vt à præſenti die pax firma, ſtabiliſque amicitia & vicinitas exiſtat inter dictos Regem & Ducem, eorumque liberos natos vel naſcituros, hæredes & poſteros, regna, prouincias & ſubditos eorum: neque alteri in alterius ditionem vel ſubditos, quacunque de cauſa vel quouis prætextu moliri quicquam liceat.

Omnes ſubditi & miniſtri tam Eccleſiaſtici quàm ſeculares, etiamſi parti aduerſæ inſeruierint, in bonorum ſuorum omnium & ſingulorum officiorum & beneficiorū vſum reuertentur, vt ante de Regum ſubditis & miniſtris cautum eſt, quod tamen ad Præfecturas aut gubernationes non extendetur.

De militibus bello captis, eodem modo, quo inter Reges ſupra actum eſt ſtatuetur.

Omnes denique pactiones præcedentes in omnibus conditionibus & articulis confirmantur, quæ olim factæ ſunt inter Reges Chriſtianiſſimos Henricum II. anno quinquageſimo nono in arce Cameraceſia, Carolum nonum & Henricum III. & prędictum Ducem Sabaudiæ defunctum: exceptis iis quæ vel hac vel alia pactione abrogata ſunt. Dux itaque Sabaudiæ cum ſuis prouinciis, ciuitatibus & ſubditis neutrarum partiū Princeps erit, & communis Regis vtriuſque amicus. Et à die promulgatæ præſentis concordiæ libera inter ſubditos & prouincias commercia iuxta dictas pactiones & receptam conſuetudinem ſecurè exercebuntur. Et conditiones in illis contentæ obſeruabuntur, etiam reſpectu officiariorum qui dictis Regibus operam præſtiterunt, niſi aliis pactionibus antiquatæ fuerint.

Similiter ex pacto & conſenſu communi in hac pactione ſi viſum ipſis fuerit comprehendentur, Primùm pro parte Regis Catholici, Beatiſſimus pater ſummus Pontifex & Sancta ſedes Apoſtolica, Romanorum Imperator, cum Archiducibus fratribus & cognatis, regnis & prouinciis eorum, Septemviri Electores, Principes ciuitates & Ordines Imperij, eidem obſequentes. Dux Bauariæ, Dux Cliuię, Epiſcopus & prouincia Leodienſis, maritimæ vrbes Hanſeaticæ & Comites Friſiæ orientalis. Dicti etiam Principes omnibus clandeſtinis ſocietatibus in detrimentum Cæſareæ Ma^tis membrorū & Ordinum Imperij tendentibus renunciant, nullas ſe in poſterum nec in orbe Chriſtiano nec extra, quouis loco inituros promittentes, ſed commoda & quietem Sacri Imperij pro viribus promoturos. Ea lege ne vel Cæſar nec Imperij Ordines cum Regibus Catholico & Chriſtianiſſimo amicitiam foueant, neque quicquam in eorum detrimentum faciant. Comprehendentur ſimiliter Domini confœderati ſuperioris Germaniæ & confœderata Griſonum reſp. cum ſuis ſociis, Rex Poloniæ & Sueciæ, Rex Scotiæ, Rex Daniæ, Dux & Senatus Venetorum, Dux Lotharingiæ, magnus Dux Hetruriæ, reſp. Genuenſium & Lucenſium, Dux Parmæ & Placentiæ cum Cardinali Farneſio eius fratre, Dux Mantuæ,

Dux

Dux Vrbini, Principes familiarum Columnensium & Vrsinorum, Dux Selmonetæ, Dominus Monaci, Marchio Finalij, Marchio de Masca, Dominus Plombini, Comes Salæ & Comes Colorini, vt præsentis pacis beneficio fruantur, cum expressa declaratione Regem Christianissimum, directè aut indirectè per se vel per alios quemquam ipsorum non lacessiturum: sed si aliqua cum ipsis controuersia incidat, iudicio cum ipsis coram iudice competente, & non vi aut alio modo ius prosecuturum.

Ex parte verò Regis Christianissimi in hac pactione, si videbitur, comprehendentur, summus Pontifex, cum sancta Sede Apostolica, Imperator, Septemuiri Electores, Principes Ecclesiastici & seculares, ciuitates, vniuersitates, & ordines Sacri Imperij, & nominatim Comes Palatinus, Marchio Brandenburgensis, Comes VVirtembergensis, Lantgrauius Hassiæ, Marchio de Anspach, Comites Frisiæ Orientalis, ciuitates Hanseaticæ secundùm fœdera antiqua, Rex cum regno Scotiæ iuxta veteres pactiones & confœderationes quæ regno Galliæ cum Scotia intercedunt, Reges Poloniæ, Daniæ & Sueciæ, Dux & Senatus Venetorum, tredecim Cantones confœderatorum Heluetiorum, tres confœderatæ Grisonum respublicæ, Episcopus & Dominus regionis Valaiæ, Abbas & opidum sancti Galli, Touckemberg, Milhausen, Comes Nouicastri, aliique eiusdem confœderationis socij, Dux Lotharingiæ, magnus Dux Hetruriæ, Dux Mantuæ, resp. Lucensium, Episcopus & collegia Metensium, Thulensium & Verdunensium, Abbas Gozzæ, Domini Sedanenses, Comes Mirandæ. Ea tamen lege vt consensus Regis Catholici de Comitibus Frisiæ Orientalis hac pactione comprehensis sine iuris præiudicio sit quod Rex in eorum ditionem prætendit, saluis quoque dictorum Comitum defensionibus, iuribus suis & exceptionibus. Cum declaratione dictum Regem Catholicum per se vel per alios directè nec indirectè, neminem ipsorũ quos Rex Christianissimus in hac pactione comprehendit lacessiturum; sed si quam in eos actionem habere se existimat, eandem iudicio non vi instituturum.

Comprehendentur similiter præsenti pactione, vniuersi qui communi Regum consensu nominatim inserentur, modò post semestre à die pacis promulgatæ, nomina sua per litteras profiteantur, & consuetas hoc casu obligatorias tradant.

Atque ad maiorem huius pacis conditionum in hac pactione contentarum securitatem, hæc pactio confirmabitur, promulgabitur, & referetur in regesta curiæ Parlamenti Parisiensis, & aliarum regni Galliæ curiarum, ac cameræ rationum Parisiensis. Quemadmodum confirmatio, promulgatio, & in regesta fiet relatio in sanctiori & aliis Catholici Regis consiliis & camera rationum in prouinciis Belgicis, iuxta formam & tenorem pactionis anni quinquagesimi noni. Quæ vtrinque expedita intra trimestre post huius pactionis promulgationem tradentur.

Quæ conditiones & articuli supra comprehensi, & quæ in iis vniuersa & singula continentur, pacta conuenta & recognita sunt, interposita à dictis legatis, eorum qui eos constituerunt nomine, stipulatione, qui mandatorum suorum vigore, promiserunt & promittunt per præsentes, sub omnium & singulorum bonorum constituentium suorum præsentium & futurorum obligatione, eos hanc pactionem inuiolatam obseruaturos & completuros, & authentica documenta approbationis subsignata & sigillata, inuicem udituros præsenti pactione ad verbum inserta, idque infra mẽsis à præsenti die spatium, quantum ad Regem Christianissimum; Archiducem Cardinalem & Sabaudiæ Ducem attinet. Promittens porrò Archidux Cardinalis se intra trimestre, similes approbatorias à Catholico Rege litteras suppleturum & daturum. Præterea promiserunt dicti delegati nominibus supradictis & promittunt per præsentes prædictis litteris approbatoriis Regis Christianissimi, Archiducis Cardinalis, & Sabaudiæ Ducis traditis & exhibitis eosdem solemniter super Cruce Domini, & super sancta Euangelia & sacrosanctæ Missæ canone coram iis quos delegare cupiet, & pro nominis sui existimatione iuraturos se plenè, reuera & bona fide, omnes conditiones huius pactionis obseruaturos & completuros. Simile etiam iusiurandum à Catholico Rege post trimestre aut cùm fuerit requisitus præstabitur. In quarum rerum fidem dicti delegati huic pactioni nomina sua subscripserunt

Veruini in Veromanduis postridie Calendas Maij anno millesimo, quingentesimo nonagesimo octauo: Præses Richardotus. Io. Bap^ta de Tassis. Verreycken. P. Belieure. N. Brulart. G. de Geneue.

Transactis hoc modo Galliæ pactionibus, cum ingenti Christiani orbis applausu, & populi vtriusque Gallorum & Belgarum incredibili gaudio, pax fuit promulgata vno eodemque per vniuersum Belgium die, ad VII. Id. Iun. prędicti anni cIↃ.IↃ.IↃ.ignesque, vt in publica lætitia fieri solet, certatim vbique excitati. Missi sunt in Galliam Archiducis nomine Dux Arschottanus, Carolus Franciscus Mendozius Aragonię Almirantius, Comes Arembergius Carolus, aurei velleris eques, Ioannes Richardottus sanctioris consilij præses, Ludouicus de Velasco bellicarum machinarum præfectus generalis, & Ludouicus Verreycken Audientiarius. Dicti nempe Dux Arschottanus, Almirantius, Arembergius & Velascus, obsides vt conuenerat dati, cum domesticorum tam numeri quàm amictus splendido comitatu proficiscebantur, Præses Richardottus & Audiētiarius vnà cum obsidibus, vt Regem Christianissimum pacta conuenta iureiurando sancientem præsentes conspicerent, in mandatis habebant. Magna populi frequentia lætis acclamationibus, omnis honoris à Rege humanissimo amplitudine excepti, ornatique fuerunt. Victus etiam publicè ceu in Galliæ prytaneo lautissimus præbebatur. Nec minus honorificè quàm largè & liberaliter à Rege munifico donati discesserunt. Parem quoque humanitatem, parem beneuolentiam, ac hospitalitatem, Dux Bironius & amplissimi Domini de Bellieure & Sillery apud nos sunt experti, cùm ad iurisiurandi pace confirmata ab Archiduce præstiti testimonium mitterentur, extremumque actum in hoc pacis dramate gratissimâ legationis catastrophe concluderent. Vtrique enim populo velut in theatro ob oculos versabatur heroïca pacis actio, tam ab ipsis exoptatæ, quàm orbi Christiano salutiferæ & necessariæ, indictisq; publicè supplicationibus gratiæ Deo sunt actæ, qui eam Regibus mentem dedit, vt mutata repentè voluntate, à bello teterrimo cogitationes ad quietem conuerterint. Cum amplissimis honorariis legati sunt dimissi.

Rebus Galliæ sic compositis, Archidux Albertus acceptas à Regia Ma^te litteras, eius de dotalis negotij progressu, voluntatem continentes, Ordinibus Brabantiæ prid. Cal. Aug. communicat, missoque earum exemplo, vnà cum iis litteris quas Rex ad Ordines dederat; quàm ipsorum responsum ad priores quas scripserat de Infantis serenissimæ filiæ suæ nuptiis, gratum illi fuerit, ipsos ex iisdem percepturos significat. Porrò suam Ma^tem omnes suas Belgicas & Burgundicas prouincias eidem filiæ suæ, Principe filio assentiente & rem omnem comprobante, Pridie Non. Maij cessisse & donasse: Illam autem mandatum ad harum ditionum possessionem capiendam & ad consueta maiorum more sacramenta vltrò citróq; recipienda & præstanda, procuratorio nomine sibi transmisisse. Reliqua eò spectantia spectabilē D. Ioannem de VVingene equitem primum consiliarium & sigillorum Regiorum in Brabantia custodem, ipsis declaraturum, cui vt fidem adhibeant, & vt constituros suos mandatis idoneis iuxta formulam præscriptam tradendamque munitos ad XIX. Cal. Septemb. conuocandos curent, die Beatæ Virginis assumptioni sacro Ordinum comitiis adfuturos, cum reliquarum prouinciarum similiter constitutis, magnopere se requirere. Rebus enim illis quas præ manibus habebat, moram haud admittentibus, cunctationem dilationemque omnem non modò inutilem, sed & noxiam esse posse. Ab ipso denique Hispaniarum Principe in eundem sensum litteras se illis vnâ transmittere.

Regiæ autem Ma^tis ad Archiducem litteræ hæc ferè continebant:

Quamplurimos litterarum fasciculos sibi redditos ab equestribus sui ordinis viris, consiliis & præfectis, & à prouinciarum ipsius imperium agnoscentium Ordinibus, responsiones esse ad eas quas mense Septembri anno pręterito ad illos scripserat litteras, de rebus quas commiserat Archiducis fidei iisdem declarandas. Se verò intellecta ex ipsorum responsis singulari lætitia, quam eorum quilibet ex benigno hoc consilio accepisse fatebatur, tan-

tur, tanto magis propensum ac solicitum fuisse de progressu negotij sine dilatione, quod cum tanta animi circumspectione decreuerat, promouendo, & de Belgicis suis omnibus ac Burgūdicis prouinciis, dilectissimæ & charissimæ filię suæ maiori cedendis & donādis, & de tribus instrumētis Pridie Non. huius Mensis, dilectissimo & charissimo filio Principe præsente & expresse assentiente, approbante, & ratum habēte, ipsa etiam Infante præsente & acceptante, in rem eius stipulandis & expediendis. Hæc se illi transmittere, vt quę continerent in fauorem matrimonij inter dictam Infantem illumque contrahendi certior ipse fieret, & vigore mandati quod ipsa ei dederat in dictarum prouinciarū omnium & singularum integram plenamque possessionem iret, iuxta eiusdem mandati tenorem, quo sicut expedire existimaret, vteretur. Et vt suæ voluntati votisque subditorum plenè satisfiat, se & Principem filium ad Ordines aliosque litteras iterum dare; & earum exemplum ad Archiducem mittere. Et licet à Præfecto, sanctiore consilio, & tribus Ordinibus Comitatus Burgundiæ nullum ad priores Septembri mense ad eos scriptas litteras responsum accepisset, se tamen ad eosdem iteratò scribere, gratumque sibi fore, si de omnium litterarum traditione, rerumque gestarum successu certior fiat. Hæc Prid. Cal. Iunij exarata sunt cIↃ. IↃ. IIC.

Ad Ordines autem his ferè verbis scripsit:

Pergratum sibi fuisse quòd per ipsorum litteras tertio Non. Decembr. præteriti anni scriptas magnam ipsos voluptatem ex benigno Ma^tis suæ consilio gaudiumque accepisse ex eorum relatione quæ Archidux Albertus in mādatis habuerat, intellexisset. Quoniam verò non alius consilij scopus esset, quàm Belgicas prouincias, per nuptias dilectissimæ filiæ suæ cum dicto Archiduce conciliandas paci & tranquillitati restituere, ipsorum maximè præsentiâ, ad operis tam pij perfectionem expedire visum fuit, vt eidem filiæ suæ omnes Belgicas & Burgundicas quas haberet prouincias donaret, cederet & transferret, iuxta parentium litterarum quas ad Archiducem mittebat tenorem, & earum quæ Principis Hispaniarum consensum, approbationem & ratihabitionem, filiæ quoque suæ acceptationem assensumque continerent: Quæ & grata ipsis fore, & amorem affectumque quo prouincias Belgicas prosequebatur, cognoscere, & per dictum matrimonium, ac præsentiam filiæ tempore opportuno quamprimum profecturæ, & per subsidiorum quauis necessitate continuationem, ipsos postmodum cognituros. Non enim vt quidam malè feriati coniecturam facere possent, deserere eos decreuisse, sed iisdem succurrere, & vti consueuerat ad defensionem opem omnem ferre, donec vel pace vel alio quouis modo ipsorum securitati prospectum benè esset.

Principis Hispaniarum in eandem sententiam epistola erat huiusmodi. Ordinum responsionem ad litteras anno elapso Septembri mense ad ipsos datas, gratissimam sibi fuisse, suæque exspectationi satisfactum esse, quòd paternæ voluntati tam beneuolè obtemperassent: quæ vti ad commune Belgij bonum dirigebatur, tanto citius progressum nuptiarum sororis cū Alberto Archiduce maturare voluisse, & sua ipsius interuētione, & expresso assensu & ratihabitione, facta stipulatione, dictarum prouinciarum donationem & cessionem in rem sororis perfecisse, sicut ex paternæ Ma^tis litteris plenius intelligerent: Et continuata benignitate sua & affectu quem experti in illo semper fuerunt, nihil illum de subsidio & defensione solita remissurum esse, donec pace confecta vel alio quouis modo ditionum securitati satis cautum foret, quod suo etiam nomine ob easdem rationes effecturum se spondebat.

Mandati instrumentum serenissimæ Infantis, quo Archiducem ad possessionem capiendam constituit, ad verbum tale fuit:

Isabella, Clara, Eugenia, Dei gratia Hispaniarum Infans, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, & Geldriæ, Comes Flandriæ, Arthesiæ & Bur-

gundiæ, Palatina etiam Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Zutphaniæ, Marchio S. R. Imperij, Domina Frisiæ, Salinarum & Machliniæ, ciuitatis & ditionis Vltraiecti, Transisselanæ & Groeningæ, Vniuersis & singulis præsentibus & futuris has litteras visuris vel legi audituris. Quandoquidem reip. Christianæ bono, & priuato Belgicarum prouinciarum commodo aliisque de caussis & considerationibus, Regi Domino ac patri meo visum est, & ad promotionē futuri nostri matrimonij cum Alberto Archiduce cognato nostro charissimo, præcedente Pontificis dispensatione, & Principe potentissimo Philippo fratre nostro consentiente, approbante & ratum habente, vniuersas Belgij & Burgundię ditiones nobis cedere, donare, & conferre placuit, iuxta patentium litterarum ipsorum manibus signatarum & prid. Non. Maij expeditarum tenorem; nobis quoque vti liquet ex eodem diplomate eam donationem cessionemque acceptantibus, vt eædem Belgicæ ac Burgundicæ prouinciæ, à nobis hæredibus & successoribus nostris, habeantur, & formâ modo & conditionibus in dictis patentibus expressis possideantur: Data quoque & concessa nobis facultate, absoluta & irreuocabili potestate, vt priuata auctoritate nostra, nulla alia permissione requisita, per nos vel nostro nomine per futurum sponsum nostrum Archiducem Albertum, misso ei procuratorio, dictarum Belgicarum & Comitatus Burgundiæ ac Carolesij integram plenamque possessionem, capere & apprehendere possemus, & in eo negotio omnia gerere & facere quæ in dictis litteris patentibus continentur. Notum facimus nos ob causas supradictas & vt Regiæ voluntati exactè obsequamur, eaque omnia præstemus quæ ante nostram in Belgium profectionem fieri omnino decet, ex certa nostra scientia & potestatis plenitudine auctoritatem & mandatum absolutum & irreuocabile cum omni facultate generali & speciali dedisse, concessisse, & per præsentes litteras dare & concedere marito nostro futuro Archiduci Alberto, vt nostro nomine & ex parte nostra, per se vel per alium quem substituet prout ipsi videbitur virtute præsentiū vna aut pluribus vicibus, vniuersa & singula faciat, quæ nomine & ex parte nostra de prouinciis Belgij omnibus & Comitatu Burgundiæ & Carolesij generaliter & per Ordines singularum prouinciarum requiruntur & necessaria erunt, ad capiendam, apprehendendam, habendam & tenendam nostro nomine, integram, realem plenamque possessionem omnium & singularum dictarum prouinciarum, omniumque rerum dependentium, vt integrè, pacificè, & sine cōtradictione aut impedimento iisdem frui possimus: Ad Ordines prouinciarum generales vel priuatos conuocandos & congregandos, ad præstanda nostro nomine iuramenta requisita, & ad eadem ab Ordinibus aliisque recipienda solita consuetudine: Et ad omnia per dictum futurum nostrum maritum Archiducem Albertum facienda & exsequenda quę in iis rebus personaliter præsentes facere & exsequi possemus, etiamsi res foret quæ mandatum requireret magis speciale quàm his litteris continetur. Quocirca verbo Principis, & quantum nostri honoris existimationem saluam esse cupimus, spondemus & promittimus, nos gratum, firmum, ratumque habituras, obseruaturas, ac obseruari facturas, & inuiolatè bona fide completuras in perpetuum quidquid per dictum Archiducem Albertum futurum maritum nostrum, ac per eius constitutos, vel vigore præsentium substitutos, quantum ad realem, integram & plenam prouinciarum Belgicarum & Burgundicarum possessionem forma & modo supradicto in litteris patentibus donationis, cessionis & translationis ad quas nos referimus, actum, gestum & confectum erit, quibus rebus nunquam aduersabimur, nec directè aut indirectè quemquam aduersari vllo modo patiemur. Ita enim nobis visum est. In quorum testimonium manu nostra præsentibus subscripsimus, & per infrascriptum secretarium status Regis patris nostri ad res Belgicas & Burgundicas subsignari fecimus, & Regiæ Ma^tis sigillo magno aureis funiculis appenso communiri. Madricij in regno Castellæ prid. Cal. Iun. anno cIↃ. IↃ. IIC. Paragrap. N. D. v^t. Sub plicatura scriptum, Isabella; Supra verò, mandato D. Infantis. signatum A. de la Loo. sigillatum vt supra.

Formula

Formula instrumenti procuratorij à tribus Brabantiæ Ordinibus membris suis tradendi, iuxta quod iusiurandum Archiduci præstaretur nomine Infantis serenissimæ, huiusmodi fuit:

Vniuersis præsentes litteras visuris vel legi audituris, Tres Ordines prouinciæ & Ducatus Brabantiæ Salutem. Notum facimus; Serenissimus Princeps Albertus Dei gratia Archidux Austriæ, Præfectus, gubernator & capitaneus generalis in his Belgicis & Burgundicis prouinciis nomine Regiæ Ma^tis nobis nuper significauit, quod orbis Christiani & communis boni causa, ac priuati Belgicarum prouinciarum commodi, aliarumq; rerum seriò considerandarum, maximè ad promouendum serenissimæ Infantis Hispaniarum Isabellæ Claræ Eugeniæ filiæ maioris suæ Ma^tis cum dicto Archiduce Alberto coniugium, cum summi Pontificis venia præcedente, Ma^ti Regiæ placuit, consentiente, approbante & ratum habente Principe filio eius vnico, hæredeque vniuersali has Belgicas prouincias, cum Burgundiæ & Carolesij Comitatibus donare, cedere & conferre dictæ Infanti serenissimæ per patentes litteras eorum manibus signatas prid. Non. Maij vltimò elapsi, & eiusdem Infantis patentes etiam litteras, quibus de sua dictæ donationis & cessionis acceptatione constat, vt dictæ Belgicæ & Burgundicæ prouinciæ ab ea habeantur & possideantur, & ab eius hæredibus & successoribus forma & modo ibidem expressis. Quibus litteris patentibus inter cetera continetur, suam Ma^tem potestatem absolutam & irreuocabilem serenissimæ Infanti dare, vt sua priuata auctoritate, sine alia concessione aut venia requisita, capiat & apprehendat per se vel per dictum Archiducem Albertum maritum eius futurum suo nomine constituẽdum, integram plenamque prouinciarum possessionem, & vt ea in causa omnia faciat & gerat quæ dictis litteris patentibus continentur. Dicta deinde Infans serenissima Isabella Clara Eugenia, ad promouenda ea omnia quæ ante suum in has regiones aduentum requiruntur, de certa sua scientia & potestatis plenitudine, mandatum absolutum & irreuocabile omnemque facultatem generalem & specialem dicto Archiduci marito suo futuro dederat & concesserat, ad finem in dicto instrumẽto declaratum. Quod mandatum exequi Archidux desiderans secundùm expressam Regis voluntatem, nos aliosque Ordines imperium eius agnoscẽtes, constitutos nostros ablegare ad eum iusserat ad XVIII. Cal. Septemb. Bruxellæ adfuturos cũ mandatis idoneis, ad eum recipiendum dicta qualitate, & ad agnoscendam serenissimam Infantem pro Domina nostra & Principe legitima, & ad ea exsequenda quæ erunt necessaria. Nos Regiæ voluntati obtemperare, eiusque desiderio satisfacere cupientes, vti bonos & fideles subditos & vasallos decet, & iuxta eorum tenorem quæ à mẽse Ianuario eidem responderamus, super huius consilij & voluntatis suæ significatione: Habita etiam ratione quòd hoc belli tempore, res non satis opportuna magnique sumptus esset & superuacanea, si dicto Archiduci serenissimæ Infantis nomine iusiurandum præstandum & recipiendum esset in singulis ciuitatibus locisque Brabantiæ. Deliberatione super ea re habita, ad dictum Archiducem constitutos nostros mittere decreuimus, electis scilicet & constitutis pro Ordine Ecclesiastico N. N. & N. N. pro Ordine Nobilium & N. N. nomine ciuitatum. Dantes iisdem & singulis eorum plenam facultatem, auctoritatem & mandatum speciale ac irreuocabile vt coram dicto Archiduce compareant, eumque cum reliquis Ordinibus Belgicis Ma^tis suæ obsequio addictis, in prædicta qualitate recipiant, & Infantem serenissimam pro Domina & Principe nostra legitima agnoscant, sub promissione nihilominus & iureiurando per dictum Archiducem publicè & solemniter coram reliquis Ordinibus Belgicis præstando, de obseruatione & præstatione omnium quę Regia Ma^tas dum inauguraretur iurauit & promisit generaliter & specialiter Bruxellæ & in omnibus Ducatus Brabantiæ ciuitatibus & locis; qua promissione & iuramento præcedente dicti nostri constituti iusiurandum reciprocum & promissionem facere nostro nomine poterunt, de obseruatione & præstatione omniũ quæ maiores nostri Ma^ti suæ olim promiserunt & iurarunt; eumque consequenter nostro nomine recipere dicta qualitate, & Infantem serenissimam posthac pro Domina & legitima Principe nostra agnoscere.

 Ad quam

Ad quam rem perficiendam dictis nostris constitutis auctoritatem dedimus, prout damus per præsentes: firmum ratumque quicquid eo in negocio per ipsos gestum, iuratum, promissumque fuerit, habituros promittentes. In quorum testimonium. &c.

Ad Brabantiæ Ordinum deinde postulata, reliqua instrumenta ipsis sunt exhibita, Primò cessionis à Regia Ma^te^ serenissimæ Infanti factæ: cuius talis erat sensus:

Philippus &c. Vt communi reip. Christianæ bono & priuato Belgicarum prouinciarum commodo consultum esse iudicauimus, dilectissimæ filiæ nostræ maioris Infantis Isabellæ Claræ Eugeniæ nuptias haud vlterius differre, idque tam ad familiam Austriacam conseruandam, quàm ob alias rationes, & amorem singularem quo afficimur erga dilectissimum & charissimum nostrum fratrem, nepotem & cognatum Archiducem Albertum nostrum in Belgio & Burgundia Præfectum & Capitaneum generalem, defixis in eum oculis pro futuro filiæ nostræ marito eundem eligentes, cum assensu & venia summi Pontificis, qui dispensationes requisitas indulsit, & consilio prius communicato cum Principe potentissimo, inuictissimoque fratre, nepote & cognato etiam nostro Rudolpho II. Romanorum Imperatore, & cum dilectissima & charissima sorore nostra Imperatrice eius matre. Quibus consideratis, & vt dictæ filiæ nostræ, de facultatibus, vti par est, largiamur, magnarum conditionum ac meritorum eius habita ratione; atque vt demonstremus beneuolentiam singularem qua prouincias Belgicas & Burgundicas nostras prosecuti semper fuimus; cùm ad promouendum dictum filiæ matrimonium easdem illi cedere cum suis appẽdicibus & donare decreuerimus modo infrà declarato; cum filij nostri charissimi dilectissimique Principis Philippi hæredis nostri vnici interuentione, consensu & voluntate, quemadmodum ea de re tam nos quàm Princeps filius, Belgij proceres, ac nostri Ordinis equites, Consilia & Ordines ditionum Inferiorum in obsequio nostro perseuerantium, & Comitatus Burgundiæ certiores fecimus: Qui lætitiæ & voluptatis quam ex benigno consilio nostro cœperunt, responso suo testimonium dederunt, agnoscentes & fatentes in rem & quietem prouinciarum cessurum, eamque rectam viam esse qua ad firmã solidamq; pacem perueniri, & à bello molestissimo quo, tot annis implicantur, liberari tandem queant, quam tranquillitatem votis nostris iisdem semper exoptauimus. Præterea cùm notissimum sit, summam cuiusuis prouinciæ felicitatem in eo consistere, vt à Principe suo vero & legitimo præsente & inspectante gubernetur & regatur; Deum testamur quantas solicitudines & labores sæpe sumpsimus, vt præsentes in Belgio facere id possemus, & reuera desiderauimus, nisi graues & seriæ Hispaniarum res nos continua in ipsis habitatione detinuissent, nec discedere permisissent; quẽadmodum nos etiamnum remorantur: Et quamuis ætas Principis filij nostri dilectissimi, magis ad profectionem quàm nostra sit idonea: Nihilominus quia placuit Diuinæ prouidentiæ tot regna & prouincias nobis dare & concedere, quibus benè administrandis nunquam deerunt negotia, quæ præsentiam sui Principis perpetuam postulabunt; Consultum nobis visum est in hanc ire sententiam, ne iisdem quibus antè incommodis & molestiis Belgicas nostras prouincias obnoxias relinquamus; dictante etiam æquitate, vt in portionem filia nostra veniat, secundùm eius merita & natalium magnitudinem: Et animaduertentes dictam filiam nostram post Principem filium (quem Deus multis annis prosperum, felicem & incolumem conseruet) primam esse & proximam quæ, filio nostro annuente, ad eum Principatum iam nunc admitti potest; nos hanc consilij rationem elegimus, ea spe & animo, vt prouinciæ nostræ Belgicæ pristino splendori, quieti & prosperitati hoc modo restituantur: In præsens itaque ea exsequi cupientes quę tam maturè serioque statuimus, habita etiam ratione consensus voluntarij quem Princeps filius noster liberaliter pro se dedit; Perspecta denique animorum submissione, qua Belgicarum ditionum Ordines ac prouinciales consiliis nostris acquieuerunt: Omnes nostras Belgicas & Burgundicas prouincias dictæ filiæ nostræ Infanti serenissimæ, ad nuptiarum suarum promotionem dare, cedere & conferre decreuimus: Quemadmodum eas damus, cedimus & conferimus

ſerimus per præſentes; Ita tamen vt Archiduci Alberto nubat, iuxta diſpenſationes à Pontifice indultas, & in dotem conferat dictas Belgicas prouincias, cum Burgundiæ Comitatu. ⁂ Quacunque igitur meliori via, modo & forma qua de iure fieri & valere poteſt, ita vt inutile vitiare vtile nequeat, dictæ Infanti Iſabellæ Claræ Eugeniæ dilectiſſimæ & chariſſimæ filiæ noſtræ maiori omnes & ſingulas prouincias noſtras Belgicas & Burgundiæ Comitatum, Caroleſio in eodem comprehenſo, cum Ducatibus, Principatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Baroniis, Dominiis, ciuitatibus, arcibus & propugnaculis in dictis prouinciis Belgicis & Burgundicis exiſtentibus, cum omnibus regalibus, feudis, hominiis, iuribus, libertatibus, franchiſiis, iuribus patronatus, reditibus & penſionibus, domaniis, ſubſidiis, confiſcationibus & mulctis, cum omnibus & ſingulis iuribus & actionibus, quæ à nobis in dictas Belgicas & Burgundicas prouincias prætendi queant, omnes præterea præeminentias, prærogatiuas, priuilegia, exemptiones, dynaſtias, præpoſituras, iuriſdictiones, ſublimitates, præfecturas, & alias qualeſcunque ſupremi imperij poteſtates, quacunque de cauſa vel occaſione ad nos illæ ſpectare vel pertinere poſſint, ſiue iure patrimonij, ſiue alio, quocunque titulo vel modo: damus, cedimus, relinquimus, transferimus, renũciamus, & in dotem filiæ noſtræ maiori concedimus. Vt iis ipſa & eius hæredes integrè fruantur, & eodem modo quo nos illas habuimus, iisque frui ſolemus, ſine vlla exceptione. Ea tamen lege vt inuiolatè obſeruetur pragmatica ſanctio Imperatoris Augusti patris noſtri æternæ memoriæ mẽſe Nouembri anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſiono, de coniunctione Belgij conſtituta; & adempta omni facultate diuiſionis vel ſeparationis dictarum prouinciarum quocunque caſu vel modo.

Filiam quoque noſtram Infantem facimus, creamus, inſtituimus & nominamus per præſentes, Principem & Dominam dictarum prouinciarum Belgicarum & Burgundiæ ac Caroleſij Comitatuũ. Concedimus præterea dictę filiæ noſtræ, vt pręter titulos ſingularum ditionum Belgij & Burgundiæ particulares, ipſa etiam Ducis Burgundiæ titulo vti & nominari poſſit; Tametſi etiam nobis & filio noſtro Principi, quoad nobis videbitur, dictum titulum Ducis Burgundiæ retinuimus cũ omnibus iuribus nobis in eo competentibus, vnà cum prærogatiua, Principatu ſummoque imperio in Ordinem noſtrum aurei velleris, poteſtate & facultate de eo in poſterum pro libito diſponẽdi. Conſentimus, concedimus, & permittimus dictæ filiæ noſtræ, & abſolutam poteſtatem ac irreuocabilem ei damus, priuata ſua auctoritate citra aliam requiſitionem aut veniam, per ſe aut per mandatum procuratorium futuro ſponſo ſuo mittendum, accipiendi & apprehendendi integram plenamque prouinciarum Belgicarum & Comitatus Burgundiæ & Caroleſij poſſeſſionem, & in eum effectum comitia conuocandi Ordinum generalium aut particularium cuiuſque prouinciæ, aut alia ea in re forma & modo vtendi, prout ad hanc noſtram donationem, conceſſionem & ceſſionem magis expedire putabit: Iuſiurandum etiam neceſſarium ſubditis & Ordinibus præſtandi, inueſtituram ditionum & dominiorum, quę requiritur perendi, ſacramentum quoque debitum ab ipſis recipiendi, illoſque ad omnia quæ ſecundùm dicta iuramenta reciprocè tenentur & obſtringuntur vel tenebuntur obligandi. Et donec dicta filia noſtra realem poſſeſſionem dictarum Belgij & Burgundiæ prouinciarum forma & modo ſupradictis acceperit, vel ſuo nomine accipere fecerit, nos earum poſſeſſores nos conſtituimus eius nomine. In quorum teſtimonium ſtatuimus & volumus, vt hæ noſtræ patentes litteræ ipſimet tradantur. Concedimus adhæc dictæ filiæ noſtræ & permittimus, præficere, committere & conſtituere in dictis Belgicis & Burgundicis prouinciis, præfectos, iudices, iuſtitiarios & officiarios, tam ad illarum defenſionem & cuſtodiam, quàm ad iuſtitiæ reique politicæ, domaniorum ac ſacri patrimonij aliarumque rerum adminiſtrationem, & ceteroquin omnia facere quæ legitima Princeps, Domina naturalis ac proprietaria dictarum regionum de iure, conſuetudine, & alio quouis modo facere poteſt & debet, & quemadmodum nobis facere integrum fuit aut foret, ſeruatis nihilominus conditionibus ſupradictis. Eamque ob cauſam remiſimus, abſoluimus & liberauimus, remittimus, abſoluimus & liberamus per pręſentes omnes & ſingulos Epiſcopos, Abbates, prælatos, alioſque Eccleſiaſticos, Duces, Principes,

cipes, Marchiones, Comites, Barones, Gubernatores & præfectos regionum & opidorum, toparchas, pręsides, Cancellarios, aliosque à consiliis nostris, à finantiis, à rationibus, iustitiarios, officiarios, tribunos militares, milites, propugnaculorum & arcium præsidiarios, eorumque legatos, equites, nobiles & vassallos, magistratus, ciues & incolas vrbium, municipiorum & pagorum, ac denique vniuersos & singulos subditos dictarū Belgij & Burgundiæ ditionum à iureiurando, fide, nexu & obsequio, promissione & obligationibus quas nobis Domino & Principi suo supremo debebanr. Volentes, statuentes & exprefse mandantes, vt iusiurandum dicant dictæ filiæ nostræ Infanti, eamque pro legitima Principe sua ac Domina recipiant, ipsique faciant & præstenr debita iuramenta, fidelitatem, obsequium, promissionem & obligationem, iuxta consuetudinem & naturam regionis, feudorum & dominiorum. Et vt ei ac futuro eius marito omnem honorem, reuerentiam, affectum, obedientiam, fidelitatem & obsequium exhibeant, sicut boni & fideles subditi legitimis Principibus ac naturalibus dominis suis exhibere debent & tenētur, quemadmodum nobis hactenus semper exhibuerunt: Denique suppletis omnibus defectibus, omissionibus tam iuris quàm facti, quæ in hanc nostram donationem, concessionem, & translationem possent incidere, & de motu nostro proprio, certa scientia, & de Regiæ absolutæ potestatis plenitudine, qua in hoc casu vti volumus & vtimur, derogauimus, & per præsentes derogamus omnibus & quibuscunque legibus, constitutionibus & consuetudinibus quæ his possent aduersari. Ea enim nostra est expressa voluntas & sententia. Vt verò de rebus supradictis manifestè constet, & vt firmæ & ratæ sint perpetuò, præsentibus manu nostra subscripsimus, magnumq; sigillum nostrum apponi fecimus. Volentes & statuentes, vt in regesta publica conferantur, & in omnibus & singulis consiliis nostris & rationum cameris, vbi par est comprobentur. Actum Madricij in regno Castellæ Prid. Non. Maij, anno salutis humanæ millesimo quingentesimo nonagesimo octauo, regnorum nostrorum Neapolitani & Hierosolymitani quadragesimo quinto, Castellæ, Aragoniæ & Siciliæ quadragesimo tertio, Portugalliæ decimo nono. Parag. N.D.V'. Subscriptum erat Philippus, & inferius, Per Regem, signatum de la Loo.

Sequitur approbatio Principis Hispaniarum.

Philippus Dei gratia Princeps, filius vnicus & hæres Hispaniarum, regionum & dominiorum Philippi II. Regis Domini ac patris nostri, Vniuersis præsentibus & futuris, hasce litteras visuris aut legi audituris. Quandoquidem Dominus ac pater noster Infantem serenissimam Isabellam Claram Eugeniam, dilectissimam & charissimam sororem nostram, Archiduci Alberto auunculo & cognato nostro nuptum dare decreuit, & Catholica sua Ma^tas nobis consultis & consentientibus, ob graues seriasq; boni publici caussas, maximè & specialiter quietis & tranquillitatis inferiorum ditionum Belgicarum, & vt prædictæ sorori nostræ secundùm eius amplitudinem & merita sit prospectum, eidem nostræ sorori dictarum Belgicarum & Burgundicarum prouinciarum donationem facere: Notum facimus, Nos rebus supradictis vniuersis & singulis animaduersis, considerato etiam communi Christiani orbis bono inde prouenturo, & amoris singularis quo dictam nostram sororem, vti par est, meritorum suorum ratione prosequimur, eadem laudamus, approbamus, & rata habemus per præsentes, non obstante quouis detrimento, quod vel nobis vel successoribus nostris nunc vel in posterum adferri inde queat. Et eadem de caussa assentimur & concedimus, vt dictæ prouinciæ Belgicæ cum Burgundiæ & Carolesij Comitatibus in rem sororis nostræ cedantur, transferantur & donentur, eo modo quo pater noster eas cessit & donauit, & quo melius valere potest. Atque ad maiorem securitatem, corroborationem & stabilitatem eorum quæ Ma^tas sua de iisdem in rem & fauorem sororis nostræ disposuit & decreuit, nos similiter, si necesse est, in fauorem eiusdem eâdem formâ & modo, ex certa & libera voluntate nostra, re nulla cogente aut vim adhibente, sine fraude & dolo, nec auctoritate aut reuerentia paterna moti: neque suspicione vlla vel metu, nec iuris vel facti ignorātia, disponimus & statuimus. Ea enim nostra est sen-

eſt ſententia & voluntas, vt dictæ prouinciæ ad dilectam ſororem noſtram Infantem Iſabellam Claram Eugeniam eiuſque ſucceſſores pertineant, iuxta dictam patris noſtri diſpoſitionem. Quod vt plenum & integrum effectum conſequatur, & in perpetuum firmum ſit & ſtabile, omni beneficio, quod vel nobis vel illis de iure competere, aut his aduerſandi materiam dare poteſt in fauorem ſororis noſtræ, noſtro & ſucceſſorum noſtrorum nomine reſtitutioni etiam in integrum, renunciamus per præſentes. Certa ſiquidem & determinata voluntas noſtra eſt, ne res vlla contra hanc donationem, conceſſionem & tranſlationem dictarum prouinciarum forma & modo ſupradictis factam, vim aut vigorem habeat. Quapropter iuramentum tactis manu noſtra ſacroſanctis Euangeliis diximus & præſtitimus, nos ea obſeruaturos, præſtaturos, completuros, & exactè obſeruari, præſtari & compleri facturos, nullamque excuſationem, vel exceptionem admiſſuros, nec quenquam noſtro nomine proponere permiſſuros. Quod Principis verbo affirmamus & promittimus, & nos omnem operam & auxilium neceſſarium ad integrum effectum executionemque prædictorum laturos, quia hæc, vti diximus, ſpontanea noſtra & deliberata eſt voluntas. In quorum fidem præſentes litteras patentes manu noſtra ſubſcriptas expediri, & per ſtatus rerum Belgicarum & Burgundicarum patris noſtri Secretarium ſubſignari iuſſimus, magno Regiæ Ma^tis ſigillo funiculis aureis appenſo, præſentibus teſtibus in eam rem vocatis, D. Gomeſio de Auila, Marchione de Velada iuuentutis noſtræ moderatore, magnóque œconomo noſtro, D. Chriſtophoro de Mora Comite caſtri Rodericij, magno militiæ Alcantaræ Commẽdatore, ſacri cubiculi Regij corporiſque cuſtode, D. Ioanne d' Idiaquez magno Legionis Commendatore, qui tres conſilio ſtatus interueniunt, & D. Nicolao Damant equite, qui & ipſe à cõſiliis ſtatus eſt, & ſigillorũ Regiorum ad prouincias Belgicas & Burgundicas ſpectantium cuſtos, ac Brabantiæ Ducatus Cancellarius. Actum Madricij in Caſtellæ regno Prid. Non. Maij, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo Paragr. N. D. V^t. ſignatum Philippus, & inferius, Ex mandato D. Principis ſubſignatum A. de la Loo.

Sequitur inſtrumentum quo Infans Hiſpaniarum prædictam donationem ceſſionemque ratam habuit.

Iſabella Clara Eugenia Dei gratia Hiſpaniarum Infans, Vniuerſis præſentibus & futuris, has litteras viſuris vel legi audituris. Quemadmodum pro affectu & amore ſingulari, quo Rex Catholicus clementiſſimus Dominus & pater noſter, nos ſemper proſecutus eſt, & pro omni fauore & beneficiis nobis præſtitis, iampridem illi placuit, ſereniſſimo Principe Philippo fratre noſtro aſſenſum ſuum præbẽte, prouincias ſuas Belgicas & Burgundicas nobis cedere, donare & concedere, iuxta formam & modum binarum litterarum patentiũ, pręſentibus inſertarum, quę ſunt huiuſmodi: Philippus Dei gratia Rex, &c. & Philippus Dei gratia Princeps, &c. Notum facimus, Nos magni, vti par eſt, beneficium æſtimantes, quo Rex & pater ac Princeps frater noſter nos afficere voluerunt, & pro eorum ſplendore & magnitudine ſe in rem noſtram munificos exhibere; Eandem donationem, conceſſionem & tranſlationem, noſtro & ſucceſſorum, quantum ad eos ſpectat nomine, acceptaſſe & recepiſſe, ac forma & modo, quibus de iure validè fieri poteſt, acceptare & recipere per præſentes, ex libera noſtra & vltronea voluntate, ſine vllius perſuaſione, & ſine iuris & facti ignorantia, nullo etiam reſpectu aut paterna reuerentia vel metu accedente, nos ad onera & conditiones quibus dictæ prouinciæ per patentes dictas litteras, nobis ceſſæ, donatæ & conceſſæ ſunt, obligantes per præſentes. Quare promittimus nos iiſdem nunquam aduerſaturas nec ſecus facturas in toto vel in parte, in præſens nec in poſterum, neque ſecus fieri conſenſuras aut permiſſuras. Sed nos eadem obſeruaturas, retenturas & exactè completuras ſine defectu aut diminutione; Imò ſi quid ſecus factum fuerit, nos pœnis in dictis patentibus expreſſis, iiſque quæ de iure in tranſgreſſores ſunt ſtatutæ, obnoxias ſubmittimus. Vt omnibus modis, ea quæ in litteris patentibus continentur, inuiolatè & integrè ſeruentur, teneantur & compleantur, ſicut apparet dicti patris

nostri & Principis fratris mentem esse, cui nostram etiam animo deliberato voluntatem adiungimus. Ad maiorem quoque securitatem & firmitatem, omnibus & quibuscúque iuribus & consuetudinibus, quæ prædictis aduersari queant, renunciamus per præsentes; neque quicquam validum esse volumus, nisi in euentum integri complementi & obseruationis omnium in dictis parentibus contentorum. Præterea considerato beneficio & fauore, à patre nostro & Principe fratre nobis præstito, nobisque satisfactum esse cognoscentes, plusquàm ob legitimam paternam portionem & dotem maternam nobis debebatur; dictæ paternæ portioni legitimæ & doti maternę renunciauimus & renunciamus expresse per præsentes, & non vltra, idque in patris nostri & Principis fratris fauorem: Ita vt eam ob causam nihil petere possimus, nisi in casu expresso, quem patri declarare placuit in dictarum prouinciarum donatione, concessione & translatione nobis facta. Iuramus denique per sacrosancta Dei Euangelia, quæ manu nostra tetigimus, nos neque iis, quæ hac declaratione acceptationis nostræ cõprehenduntur, nec in parte eorundem, nec præsenti nec futuro tẽpore, quauis de causa vel ratione aduersaturas vel secus facturas. In quorum fidem præsentes expediri manu nostra subscriptas, & per Secretarium status Regis patris nostri, quo in Belgicis & Burgundicis negotiis vtitur subsignari, magnóque Regio sigillo communiri fecimus, præsentibus & ad testimonium vocatis D. Gomesio de Auila, Marchione de Velada iuuentutis Principis fratris rectore, eiusque magno œconomo, & reliquis supra recitatis. Actum loco & die quo supra, & subscriptum, Isabella: subsignatum & sigillatum vt ante.

Die itaque dicto ad Ordinum generalium comitia conuenerunt ex omnibus prouinciis Regiæ Ma^tis imperium agnoscentibus, tam Ecclesiasticorum quàm Nobilium & ciuitatum nomine, vt Regis voluntati, Principis ac Infantis serenissimæ desiderio, & prouinciarum votis satisfieret, & vt mandatum quod sua Celsitudo à futura sponsa sua habebat effectui mandaretur, & ad exitum perduceretur, idoneis mandatis similiter constituti comparuerunt infrascripti,

ORDINES BRABANTIÆ.

PRIMI ORDINVM BRABANTIÆ MEMBRI, SIVE ECCLESIASTICORVM NOMINE.

Illustrissimus & Reuerend^mus D. Matthias Houius, Archiepiscopus Machliniensis, & Prælatus Affligemensis.

Reuerendissimus D. Gisbertus Masius Episcopus Siluæducensis.

Illustrissimus & Reuerend^mus D. Guilielmus de Bergis, Episcopus Antuerpiensis, & Prælatus S. Bernardi.

Reuerendus D. Libertus Scaloen, Abbas Vlierbecensis.

Reuerendus D. Robertus Horion, Abbas Villariensis.

Reuerendus D. Dionysius Feyten, Abbas D. Michaëlis.

Reuerendus D. Philippus de Rouvverghem, Abbas Grimbergensis.

Reuerendus D. Franciscus de Vlierden, Abbas Parcensis.

Reuerendus D. Ioannes Brase, Abbas in Heylichsem.

Reuerendus D. Matthias Valentinus, Abbas Euetbodensis.

Reuerendus D. Læuinus de Coudenberge, Abbas Diligemensis.

Reuerendus D. Arnoldus ab Eynhouts, Abbas sanctæ Gertrudis.

ALTERIVS MEMBRI, SEV NOBILIVM NOMINE.

Reuerendus & Illustris D. Ludouicus de Sombeque Prælatus & Dominus Gemblacensis.

Illustrissi-

Illustrissimus & generosissimus Carolus Dux Croiaci & Arschoti, Princeps sacri Imperij, Chimiaci & Porceani Comes Bellimontis, Seneghemi & Megemi, Borchgrauius Neoporti & Dorlaci, Baro Bierbecæ & Rosselaræ, Heuerlæ, Beueræ, Cominij, Montis orueti, Harchesij, Estraegij, Cauchiæ, VVallersij, Humbercourtij, Quevraniæ &c. Dominus terræ Auennensis, Haluini, Lillersij, S. Venantij, Esperliequesti, Agimontis, Orchimontis, Præfectus, Gubernator, capitaneus generalis, & magnus Bailliuus prouinciæ & Comitatus Han noniæ, capitaneus turmæ equestris ordinatæ.

Illustrissimus & generosissimus Carolus Ligneus Princeps Comes Arenbergius, Baro Seuëbergius, dominus Naetuici, Reemskerchiæ, Vorsselarij, Rethi, Lichtarti, Loenhouti, Humbecæ, VVeddæ, Noui castri, Haultbonæ, & terræ S^ti Huberti, Aurei velleris eques, consilij finantiarum Præses, capitaneus turmæ equestris ordinatæ.

Illustris & generosus Anthonius Rubempreus Dominus Vertanij, Euerbergæ &c. supremus Brabantiæ venator.

Illustris & generosus Gerardus de Hornes Baro Bassignij, Boxtelæ, &c.

Illustris & generosus Iacobus de Bergues Baro Grimbergensis.

Illustris & generosus Lancilotus Schets de Grobbendonc, Baro VVesenmalæ, hæreditarius mariscalcus Brabantiæ.

TERTII MEMBRI VEL CIVITATVM NOMINE.

LOVANII.

D. Richardus de Pulle Consul. D. Guilielmus de Angelis Senator.
D. Ludouicus de Schore à consiliis. M^r. Guilielmus Guilielmi Pensionarius.

BRVXELLÆ.

D. Henricus de Dongelberge D. Zellecæ Consul.
D. Antonius vander Hert Senator. D. Ægidius Buslidius Senator.
D. Carolus de Laethem eques D. de Court S^t Estienne thesaurarius.
Magister Ægidius Martini à consiliis & Pensionarius.

ANTVERPIÆ.

D. Blasius de Bejar eques D. VVestackeræ Consul.
D. Eduardus vander Dilft eques, D. de Leuerghem senator.
M^r. Ægidius Gerardi senator.
M^r. Henricus Schotti à consiliis & Pensionarius.

SILVÆDVCIS.

Arnoldus de Brueghel primus Senator. Gisbertus vander Stegen Senator.
M^r. Guilielmus van Reys à consiliis & Pensionarius.
D. & M^r. Philippus Masius à consiliis & Graphiarius dictorum Ordinum Brabantiæ.

PRO DVCATV LIMBVRGENSI.

Reuerendus D. Pacius Guillotus, Prior Theovallensis Ecclesiastici ordinis nomine.

VVinandus ab Imstenraet D. de Meyre, equestris ordinis & feudatariorum Ducatus nomine.

Laurentius Moreycken Consul, &

Guilielmus Caldenborch Graphiarius Ordinum & Ducatus Limburgensis.

Nicolaus Vernier Senator collegij & iurisdictionis Balensis, nomine eiusdem & VVaelhornensis collegij.

Antonius Magreau Senator municipij Heruæ, & Henricus de la Brulloir eiusdem etiam municipij & Charnesij Senator, vtrique vtriusque municipij constituti.

DOMINII VALCKENBVRGENSIS NOMINE.

VValterus Hoen ab Hoensbroeck D. de Gheil,feudorum & castri Valckenburgensis vicarius.

VVernerus de Boomgaert D. VVinantrodæ.

Fridericus de Schaesberch eius loci dominus,nomine ordinis equestris.

Martinus Mans Schultetus & Scabinus de Meersen,nomine opidi & collegij iurisdictionis Valckenburgensis.

NOMINE DITIVNCVLÆ TRANSMOSANÆ DAELHEMENSIS.

Reuerendus D. Pacius Guilotus Prior Theouallensis,Ecclesiasticorum nomine.

VVinandus de Imsteraet D.de Meyre, ordinis equestris & feudatariorum nomine.

Guilielmus Fronteari de Honsse,Consulum, Sculteti, Scabinorum & communium incolarum Comitatus,opidi & ditionis Daelhemensis nomine.

PRO DOMINIO TSHERTOGENRODÆ.

Franciscus ab Eynatten D.de Nieuvverborch, VVillier & Marcgraeten, Ecclesiastici & Equestris ordinis,feudatariorum,Cõsulum,iuratorum,Sculteti,Scabinorum & communium incolarum opidi & ditionis Tshertogenrodæ nomine.

DVCATVS LVXEMBVRGI.

PRO ECCLESIASTICIS.

Reuerendi Patres D. D. Reynerus Prælatus Abbatiæ Imperialis S^ti^ Maximini apud Treuiros, & Remaclus Abbas Dormalensis.

NOBILIVM NOMINE.

Illustrissimus & generosissimus Carolus Princeps Comes Arenbergius, Baro Seuenbergæ, &c. aurei velleris eques, &c.

Illustrissimus & generosissimus Florentius Comes Barlaymontius & Lalainius, Baro Hulgesij,D. Beauranæ, Aurei velleris eques,gubernator &capitaneus generalis Comitatus Namurcensis.

Nobilis & generosus Ioannes Baro & D. de VVets, Busij, &c. consiliarius suæ Ma^tis^, gubernator,capitaneus & præpositus Theonis villæ.

Nobilis & generosus Gerardus de Horst, D. Hammæ, Guresiæ & Bergæ,consiliarius suæ Ma^tis^ in consilio prouinciali Luxemburgensi, Præpositus Espernacensis & Biedburgensis.

Nobilis & generosus Petrus Ernestus de Bauille eiusdem loci dominus, capitaneus & præpositus opidi & marchionatus Arlunensis.

Nobilis & generosus Franciscus Dallemontius D.de Chauffour, de Brieux & Champuriville ad Mosam, de Mercy le Chasteau , de cincuilles & Iuppecourt, Gubernator, Capitaneus & Præpositus Dampuillerij.

PRO CIVITATIBVS.

Clarissimus D. Philippus Droncmannus I. V. Doctor, Senator & Syndicus ciuitatis Luxemburgensis.

Georgius Menchiuus Senator Luxemburgicus.

Ioannes le Grandmeyere Scabinus Dampuilleriensis.

DVCATVS GELDRIÆ ET COMITATVS ZVTPHANIÆ CONSTITVTI.

Nobilis & generosus Arnoldus de Boetbergen, prouinciæ Geldriæ hæreditarius Marischalcus.

Nobilis

Nobilis & generoſus Arnoldus Adriani de Bylandt, Baro de Reet, & D.de Vrempts.
Theodoricus de VVeſtrum. Godardus de Cruchten. Matthæus Butkens.
Ioannes Romerus, & Guilielmus Palantius.

FLANDRIÆ COMITATVS.

ECCLESIASTICORVM ET QVATVOR MEMBRORVM CONSTITVTI.

Reuerendiſſimus D. Petrus Simonis Epiſcopus Iprenſis.
Reuerendiſſimus D. Petrus D'ammant Epiſcopus Gandauenſis.
Reuerend.D. Franciſcus Scanteete Abbas Truneinienſis.
Reuerend.D. Carolus Philippus de Rodoan Decanus Eccleſiæ Cathedralis Gandauenſis, deſignatus Abbas Eenamhenſis.
Reuerendus D. Adrianus Varenſius Archidiaconus Gandauenſis.
Reuerendus D.Carolus van Houetee Archidiaconus Iprenſis,
Eccleſiaſticorum nomine.
D.Ioannes Bets primus apud Gandauenſes Scabinus collegij electorum.
D.Philippus Trieſt D.de Auvvegem primus Scabinus partitionum collegij.
D.Franciſcus Ryn D.de Hundelgem ſecundus Scabinus.
M^r^.Ioannes Vermandere I. V. Licentiatus, primus apud Gandauenſes Penſionarius,
nomine membri Gandauenſis.
D.Ioannes Breydele Conſul collegij Scabinorum.
D.Ioannes de Beer D.de Meulebeke Conſul plebis.
D.Ægidius de Boot primus Senator, &
M^r^.Franciſcus de Groote I.V.Doctor & Penſionarius, pro membro Brugenſi.
D.Ferdinandus de Achteruelde D.Beluarti.
D.Giſlenus Bulteel,D.de la Clite primus Senator.
M^r^.Henricus de Codt I. V. Licentiatus Conſiliarius ſuæ Ma^tis^, & Graphiarius ciuitatis Iprenſis, pro membro Iprenſi.
D.Philippus de Maldegem D.de Leyſchoot.
M^r^.Læuinus van Teſſele I.V.Licentiatus, Conſul.
M^r^.Cæſar Veranneman I.V. Licentiatus & Penſionarius ditionis & territorij Franconatus, pro membro Franconatus.

ORDINVM ARTHESIÆ DEPVTATI

ECCLESIASTICI.

Reuerendiſſimus D. Matthæus Moulart, Epiſcopus Atrebatenſis.
Reuerend.D. Michaël de Ghiers Abbas S^ti^ Iodoci in ſilua, quam Damp-Martini prope Heſdinum vocant.
Venerabilis D.du Ploich I. V. Licentiatus, Decanus Eccleſiæ Cathedralis Sanctaudomarenſis.

PRO NOBILIBVS.

Nobilis & generoſus Ioannes de Bouuieres, Baro d'Auchy eques, è conſilio prouinciali Artheſiæ, & Ordinum eorundem deputatus ordinarius.
Nobilis & generoſus Carolus de Bouuieres Eques D. Zonaſtræ.
Nobilis & generoſus Iacobus de Vrias Charle, D. dicti loci, & Gubernator Marienburgi.

PRO CIVITATIBVS.

M^r^.Nicolaus du Val I. V. Licentiatus, D.de Nattoy prædictorum Ordinum deputatus Ordinarius.
M^r^.Carolus Vignacourtius I.V.Licentiatus ciuitatis Atrebatenſis conſiliarius.
M^r^. Ioannes Richeuæus I. V. Licentiatus, ſecundus ciuitatis Sanctaudomarenſis conſiliarius.

HANNONIÆ DEPVTATI.

Reuerend.D.Iaſpar Abbas Altimontis.

Reuerend.D.Robertus Abbas Cambronenſis.

Illuſtris & generoſus Carolus de Gaure eques, Comes de Beaurieu, nobilis aulæ Regiæ Ma^tis^ aſſcriptus, gubernator & præfectus opidi & caſtellaniæ Athenſis, commeatus bellici in Belgico præfectus generalis.

Nobilis & generoſus Gabriel du Chaſtelier, aliàs de Moulbais eques, D. de Vadimpreau.

Theodoricus d'Offegnies D.Caluellæ, &

Nicolaus de Bruxella Senatores ciuitatis Montenſis.

Ioannes de la Croix D.de Mamrieu, Philippus Amandus à conſiliis, M^r^.Dauid de Hauchin D.de Remie Penſionarius, & Ioannes du Buiſſon, D. de Orſies, horum Ordinum Penſionarius.

DEPVTATI VALENTIANI.

D. Henricus D'Oultreman Præfectus ciuitatis.

D. de Roſel. D.de Raſoir. M^r^.Robertus Roze conſiliarius & Penſionarius.

ORDINVM ET CASTELLANIARVM CIVITATVM INSVLARVM, DVACI ET ORCIACI DEPVTATI.

D.Ludouicus de Landas D.de VVannehaing, nobilis ſcutatus, (ita eos vocamus qui inſignia quidem nobilitatis habent, verùm publicam equeſtris ordinis dignitatem necdum aſſecuti ſunt) Bailliuus generalis Baroniæ de Tiſoing.

D.Philippus du Chaſtel D.de Beauvilers, Bailliuus generalis, Baroniæ de VVaurain.

D.Ioannes de Halle eques D. de Heurnes, Bailliuus generalis ditiunculæ & Baroniæ Cominenſis.

D.Michaël Gomerus D.de Schoonenuelde, Maior.

D.Petrus de Croix D.du Bus Scabinus.

M^r^. Dionyſius le Gillebert I. V. Licentiatus primus conſiliarius & Penſionarius Inſulenſis.

D. Iacobus de Monceaux Scabinus.

M^r^.Philippus de Broide I. V. Licentiatus, conſiliarius & Penſionarius Duaci.

Anthonius Conſterinus primus Scabinus.

Simon Moreau Scabinus Orciaci.

ECCLESIASTICORVM ET NOBILIVM CIVITATIS ET CASTELLANIÆ INSVLENSIS DEPVTATI.

Reuerend.D.Carolus Abbas Fanopinenſis.

Venerabilis D. Florentius vander Haer Canonicus Eccleſiæ collegiatæ S^ti^ Petri Inſulenſis.

D.Claudius de Lannoy, nobilis ſcutatus, D.du Mollin.

D.Philippus de la Riuiere nobilis ſcutatus D.de VVarnes.

ORDINVM NAMVRCENSIVM DEPVTATI.

Reuerendiſſimus Dominus ac Magiſter noſter Iacobus Blaſæus ſacræ Theologiæ Doctor Epiſcopus Namurcenſis.

Reuerend.D.Henricus Iſſerez Ordinis Præmonſtratenſium Abbas Floreffienſis.

Nobilis & generoſus Henricus D'yue eques, eiuſdem loci dominus, de Neufuille, Tanuers, Vicarius præfecturæ Namurcenſis.

Nobilis & generoſus Guilielmus de Carondelet D.de Crupet, VVarniremont.

Nobilis & generoſus Philibertus de Marbaix dominus eius loci, de la Haye, Abrigode, Maior Namurcenſis.

NOMINE

NOMINE CIVITATVM ET COMMVNITATVM.

Clarissimus D. Ioannes de Rennet V.I. Doctor, patronus de Bouges & Vez.
M'. Nicolaus Tamison I.V. Licentiatus, Scabinus Namurcensis.

VRBIS ET CIVITATIS TORNACENSIS DEPVTATI.

D. Eligius Allegambe, D. de Basingien, Præpositus Communitatis dictæ vrbis.
D. Ioannes de Preys Maior scabinorum.
D. Guilielmus de Cordes I.V. Licentiatus, consiliarius.

ORDINVM BAILLIVATVS TORNACESII, MORTANIÆ ET S^TI AMANDI DEPVTATI.

Venerabilis D. M'. Laurentius Malort sacræ Theologiæ Licentiatus, Decanus & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis.
Reuerend. D. Iacobus, Prælatus Abbatiæ S^ti Martini, pro ordine Ecclesiastico.
Nobilis & generosus Maximilianus d'Ognies, D. de Beaurepar, terræ suæ & dominij d'Espiere nomine.
Nobilis & generosus Philippus Bernard D. de Bandegnies, Smerpont, Bourbeke, Bailliuus terræ & dominij de Rame, nomine Nobilium.
M'. Nicolaus du Bois I.V. Licentiatus, consiliarius dictorum Ordinum, & communitatis eiusdem ditionis nomine constitutus.

MACHLINIÆ DEPVTATI.

Nobilis D. Nicolaus vander Lanen Consul prior, quem communitatis magistrum vocant.
Nobilis D. Philippus Schooff primus Senator.
Nobilis D. Carolus de Leuerkercke D. de Bouuekercke secundus Senator.
Nobilis D. Lancilotus de Gottignies D. de Gottignies primus decanus.
M'. Guilielmus de Mierbeke primus ciuium Iuratus.
Nobilis D. Ioannes vander Lanen D. de Schrieck & Grootloo.
M'. Antonius Sucquet prior Pensionarius.

HIS omnibus ad edicta comitia congregatis decimo octauo Cal. Septemb. Archiepiscopus Machliniensis caussam huius congressus Latina breuique oratione exposuit, vt nimirum de noua prouinciarum cessione & translatione cōmuni consilio agerent & decernerent. Et prolatis lectisque litterarum patentium prædictarum exemplis, ipsarum litterarum originalium inspectio ab omnibus postulata est. Cumque de singulorum legatorum instrumento procuratorio exhibendo ageretur, plerisque refragantibus, quòd quædam peculiaria legationis mandata in iisdem instrumentis assererent contineri, omnibus ibi præsentibus de idoneo mandato & auctoritate prospectum esse declarantibus, placuit & conuenit, vt facta à singulis mandati sui editione Philippo Masio Ordinibus Brabantiæ à consiliis & ab actis, satis de omnium auctoritate constaret. Euicit quoque suffragiorum numerus, vt octo dierum spatium ad deliberandum à sua Celsitudine efflagitaretur.

Postero die frequenti omnium assensu quaternæ tabulæ patentes originales Regis donantis, filij Principis annuentis, Infantis donationem acceptam habentis, futurumque maritum Archiducem constituentis, à dicto actuario perlectæ sunt, & singulis legatis archetypus subscriptionum ostensus. Quibus ita peractis Præses Richardottus in concilium ingressus est, qui suam Celsitudinem haud vlteriorem quatriduo moram concedere illis posse certis de causis declarauit, & vt singuli mandatorum suorum instrumenta ipsi traderent postulauit: Cui inde egresso, & paulò pòst reuerso, graphiarius omnium nomine respondit, ad exhibendum procuratorium paratos omnes esse, Brabantiæ verò

tiæ verò Ordines si impar ari essent, ad manus tamen esse. Quibus seorsim vocatis Præses omnem difficultatis quo offendebantur, scrupulum exemit, vt sententiam suam de Principe recipienda, postero die prolaturos se promitterent; si reliqui legati idem facerent quamprimùm decerni de re summa posse. Post triduum denuò conuenerunt, ac singuli aliarum prouinciarum legati consilia cùm Ordinibus Brabantiæ contulerunt. Postridie cùm omnes iterum côuenissent coram dicto Præside Ordines Brabantiæ per suum Graphiarium sententiam protulerunt, qui palam pronunciauit Ordines ita censuisse: Se Alberto Archiduci, serenissimæ Infantis nomine, tanquam Principis legitimæ harum prouinciarum iusiurandum dicere paratos quidem esse, si mutuum ipsis iusiurandum præstetur, & de obseruandis patriæ priuilegiis, & de iis sarciendis, quæ contra maiorum instituta & auspicia innouata aut abrogata sunt, iuxta formam scripto exhibendam, promisso caueatur. Denique vt res quædam spectantes ad remp. quæ recensebantur, suæ Celsitudini per libellum declarentur. In hanc quidem sententiam omnes transierunt, & de legatione ab Ordinibus generalibus in Hispaniam mittenda similiter consenserunt, nisi quod nonnulli ampliori mandato à suis committentibus indigere se dicerent. Gratiæ à Præside Ordinibus sunt actæ, de propensa omnium ad dicendum iusiurandum & recipiendum voluntate. Dies huic rei proponendæ posterus, locus in magna palatij aula dictus est. Ibi tum exortis inter Ordines sermonibus de eo constituendo, qui ad propositionem omnium nomine responderet, Brabanti sui iuris hoc esse asserebant, tum quòd nostra Brabantia prima ordine sit prouincia, & proinde consessus prærogatiuam habet, rum quòd apud ipsos comitia agerentur, quod reliquis nihilominus detrimento esse nolunt, si huiusmodi ius haberêt, vt indictis in illorum prouincia comitiis, suffragij præ aliis ferendi prærogatiua ad illos pertineret, quod tamen Brabanti nondum admittebant: Omnium demùm assensu, relatuque Præsidis, partes respondendi Philippo Masio delatæ, & ab eo susceptæ sunt. Legati Antuerpiensium, qui vt diximus, intererant, Pensionarium suum Antuerpiam ablegarunt, vt Senatus iussu côuocato amplissimo ciuitatis consilio, ne quid ad perfectionem tanti actus deesset, mandatum absolutum ad præstandum iusiurandum peterent & acciperent, quod rogatis comitiis concessum & trâsmissum est. Die itaque dicto & loco conuenerunt Brabantiæ & aliarum prouinciarum Ordines. Archidux Albertus, qui deposita sacra purpura, ad vestem seculare pro dignitate sua splendidam redierat, cum familia palatina, aurei velleris equitibus, prouinciarum præfectis, consiliis status, priuato & finantiarum, Velleris item aurei, armorum primo, vt vocant, Rege & consiliario Francisco Damantio equite, Curtracensis opidi castrique præfecto, & magno eiusdem opidi ac Castellaniæ bailliuo, cum suis heroaldis seu caducearoribus, magnaque diuersarum nationum frequentiâ in consessum venit, solioque editiori, splendideque vti par est, apparato consedit.

Facto postea silentio, omnibusque ad atrentè audiendum compositis, Præses Richardottus hanc orationem habuit;

SI quæ vobis declaranda in mandatis habeo de congressus huius causa, Ordines amplissimi, ignota vobis essent, & si apud eos qui rerum quas agimus multò antè non essent facti certiores, verba facturus, primus nuntium afferrem, cuius nouitate magnoperè perculsos vos fuisse certò scio, magis equidem commouerer, aliumque oratorem ad dicendi munus eligi, & disertiorem præferri mihi optassem, qui eodem tempore cùm animis ægritudinem non vulgarem accepistis, lenire hunc dolorem eloquentia sua posset, & remedium adhibere. Hęc à me dicuntur, quòd cùm res, de qua agitur, tanta ac tam ardua sit, vt à multis seculis haud eiusmodi causa ad orbis vniuersi panegyrim delata sit, dubium mihi non est, quin prima statim fronte, re non satis intellecta, incredibilem affectuum concursationem in animo senseritis. Tales etenim motus quo magis repentini sunt è casibus improuisis, ita homines magis turbant, neque rationi locum relinquunt, vt bonum à malo, vtile ab inutili, facile à difficili discernere prorsus queant. Nuntio itaque ad nos perlato, sensus nostri præcipites

cipites rapti ceu excusso rationis freno, ingenti nos horrore, & veluti sudore frigido perfuderunt, quem in corporibus morbo debilitatis letalem medici iudicant. Quocirca in recenti perturbatione priusquam nos colligeremus, de totius reip. forma immutāda, quam prudentes viri vtpote spectantem ad euersionem semper reformidant, iam nunc cogitabamus. Adhæc Principis mutatio exspectatione euentus solicitos omnes reddit, & fideles subditos, quo nomine vos compello, eò magis facit trepidos, quò meliori Principe orbatos se existimant. Nam si cum exiguis magna comparemus, exemplum à priuata domo aliqua capiamus, in qua patrefamilias recenter vita functo, plena omnia fletu & dolore conspicimus; vxor, liberi, famuli, cognati & affines lacrymis consperguntur, in mœstitiæ partem vicini etiam veniunt, atrati omnes prodeunt, lugubrem amictum luminibus obstructis parietes ipsi sumunt. Hæc videmus quotidie, tametsi ad valdè paucos familiæ eius homines luctus ille pertinet. Verùm vbi Princeps, vbi Rex desideratur, qui populo vniuerso patris loco est, quod vt rarò videmus, ita nunquam accidere debere existimamus, eoque eius subditi, qui liberorum vice sunt, se orbatos esse vident, qui ipsorum commodis consulebat, qui opem ferebat, & in quo se recreabant & solabantur vno; quàm ille omnium mœror priori est dissimilis, quàm dispar lamentatio! Non enim ibi lugent familiæ vnius liberi, nec gemunt alicuius vici aut pagi incolæ, aut opidi vnius ciues, sed ad vnum omnes subditi, iuuenes senesque, nobiles & plebei, tenuiores & diuites. De rebus suis anxius vnusquisque meditatur, & iacturam Principis fortunis propriis asscribit; præsertim cùm eiusmodi est qualem nos amisimus, inter bonos Reges optimum, inter pios clementissimum, inter magnos potentissimum. Qui religione & pietate in Deum, charitate in proximum, bonitate, mansuetudine, benignitate erga subditos, cum magno illo Dauide, quem Deus in rectorem populi sui elegerat, conferri rectè potest. Quamobrem non est mirum, si allato humani ad nos casus nuncio animis conciderimus, & vehementer primum consternati fuerimus, dum ad nos reuersi iustas & legitimas rationes perpendentes, quæ optimo Principi hoc sanctum & benignum consilium capere fecerunt: & quas benè intellectas, & per nos examinatas laudauimus & probauimus, & ob eas votis nostris satisfactum esse sciuimus, vt non aliis verborum ad consolationem blandimentis egeamus, nec ad mitigandam acerbitatem illam quæ mutationi huic inesse videbatur, aliud omnino condimentum requiramus. Quare his omissis quæ non sunt necessaria, narrationem aggrediamur.

Post elapsum bimestre cum quatriduo, anni numerabuntur quadraginta & tres, cùm in hoc ipso loco, sicut aliqui vestrum qui interfuerunt, adhuc meminerunt, alij à parentibus & maioribus acceperunt, Carolus Cæsar Augustus, nomine Quintus, factis verè magnus, cuius quidem memoria per orbem vniuersum erit immortalis, nobis autem & posteris sacrosancta & venerabilis, & de quo plura dicerem, nisi eius gratissima vobis recordatione profusissimas lacrymas expressurum me vererer: Tot nunc, inquam, anni sunt, cùm se viribus fractum infirmarumque sentiens, non tam ætate ingrauescente, quæ non excedebat quinquagesimum quintum annum, quàm continuis laboribus & expeditionibus quas ante plenam pubertatem, in grauissimis actionibus & ad bellum, nūc in Galliam, modò in Germaniam, sæpe contra Barbaros Christiani nominis hostes, terra marique susceperat, vt demum tam aduersa vteretur valetudine, quæ ipsum non modò à tractanda repub. penitus excusaret, sed præsentiam suam plus impedimenti in rebus gerendis, quàm commodi in promouendis adferre cognosceret, se imperio abdicare, & secedere decreuit; quod & paulò pòst fecit, Regique Philippo has prouincias cessit; dolere se affirmans, quod eum graui bello & periculoso cum hoste potentissimo, Galliæ Rege Henrico implicatum relinqueret. Vobis igitur filium Principem & vos illi commendabat, vtrisque verò maximè fidei & religionis Catholicæ defensionem, & in suo statu conseruationem, in mandatis dabat. Rex accepto principatu, & Cæsare digresso, temp. seriò & strenuè capessit, ad bellum se parat, castra præsentiâ suâ confirmat, & breui admodum tempore binis præclarissimis victoriis potitur, vnâ propè fanum S. Quintini, ipso die qui D. Laurentio sacer erat, alterâ propè Grauelingam, quæ vt erant memorabiles, ita Galli-

 cam mo-

cam monarchiam si non penitus euertere,at labefactare posse videbantur. Pacis saltem causam celeberrimæ & vtilissimæ, quæ à loco, vbi facta est anno quinquagesimo nono, Cameracesia appellatur,opportunam præbuerunt. Eá tranquillitatem nobis conciliauit, quæ non modò diuturna,sed perpetua sperabatur. Rex qui summo amore nos complectebatur,& diutius apud nos morari desiderabat, seriis & permagnis aliorum regnorum suorum negotiis eum aliò auocantibus, in Hispaniam nauigaturus, rebus hîc quàm poterat optimè constitutis,nihil fore suspicatus est, quod quietem nobis partam interturbare posset. Discessit itaque cum triumphis amplissimis,Principum felicissimus Deoq; gratissimus,quòd omnia illi fausta & prospera euenirent,reuera iudicatus. Sed humana tantùm fuerunt hæc iudicia; nam qui propius accedunt ad Dei dilectionem, certiora multo habēt diuini erga homines amoris testimonia: Aduersitates dico,& tam animi quàm corporis cum Regio diademate incredibiles molestias, quas recensere possem si locus postularet,aut tempus hoc permitteret. Rex cùm aliquot esset annis in Hispania commoratus, prouinciæ verò Belgicæ in summo splendoris & felicitatis culmine conquiescerent, exiguæ primùm belli faces,domesticum nobis incendium excitarunt,quo omnium facultates & fortunæ deflagrarunt,& ad tantam inopiam prouincias redegerunt,vt non omnem modò succum & sanguinem amiserint, sed colorem etiam & speciem reip. neque aliud superfit,quàm lingua ad conquerendum, & oculi ad deflendum luctuosissimi belli diuturnam calamitatem. Princeps vt hoc malum à nobis auerteret, aut vt tempestiuè præsensque mederetur,profectionem parauit,ad nos certè venturus,nisi dissuadētes, ipsoque hinc absente res in Belgio componi & sedari posse, allegantes audiuisset. O præpostera consilia, ô noxios consultores, ignarosque potentiæ quam Principis oculus habet! cuius solus aspectus pericula propulsare, belli flammas restinguere, prouincias in officio continere potuisset. Sed errorem consiliorum Rex breui animaduertit, neque quicquam omisit,nullisque viribus nec ærario,nullis rebus pepercit, quas ad restituēdum prouinciarum statum,nostramque salutem pertinere iudicabat. Hoc curæ, hoc assiduæ eius sollicitudines,& immensa vis auri & argenti,quam profudit,hoc Indicæ fodinæ, quas exhausit, demonstrarunt,& exercitus florentissimi,quos bellum Belgicum absumpsit, ac firmissima virorum militarium auxilia, paterni in nos amoris testimonia ediderunt. Nihil denique non tentauit,nec reliquit inexpertum, vt eos,qui ab eius obsequio desciuerunt, lenitate reduceret,& eorum animos ab ipso abalienatos,beneuolentia sibi adiungeret. Sed cùm neque hoc neque illo modo proficere se videret, illis culpam secessionis diffidentiâ prætexentibus, vel criminum conscientia de reditione in gratiam & venia desperantibus; aliâ viâ aggrediendum,vt nos ex his ærumnis aliquando eximeret,censuit. Quod dum secum meditatur,credibile est Regem optimum diuino spiritu afflatum ea quę ad sacrosanctum Dei ministerium & salutem nostram attinēt, instinctu diuinitatis cælo accepisse. In hanc demum sententiam sanctæ eius cogitationes & consilia abierūt, & ad commune bonum orbis Christiani, ad conseruationem augustæ domus Austriacæ, vt malo quo nos angimur remedium applicaret, serenissimam Infantem filiam suam Isabellam nuptum dare decreuit Alberto Archiduci Principi clementissimo, & has Belgij prouincias cum Burgundiæ Comitatibus in dotē concedere,cum summi Pontificis dispensatione,sororis Augustæ & Augusti Cæsaris assensu præcedente,filio etiam Principe nuptias & dotalem donationem comprobante. Hoc vobis inconsultis exequi tamen noluit, sed vt intelligatis quo vos loco ille habeat,&quanti vos faciat,à mēse Nouembri datis ad vos litteris,animi sui sententiam clementer aperuit, & vos ad consilium in rem vestram adhibuit. Neque quisquam vestrum fuit,quin ad vnum omnes intellecto Regis animo, in singulis prouinciis singularem prudentiam laudibus extuleritis, benignumque consilium non communi solùm calculo,sed actis etiam gratiis omnino probaueritis. Qui vbi animaduertit tam mirificam animorum hac in re consensionem, diplomata expediri ad confectionem negotij necessaria,& transmitti mandauit, quemadmodū litteris suis vobis quoque scripsit. Nolite existimare salutare hoc consilium ab humanis sensibus, sed à diuina prouidentia defluxisse: tum vt hoc beneficio ceu vno remedio malis nostris applicando reip. medeatur,tum

tur, tum vt vniuerso terrarum orbi significet, quàm beneuolo affectu pius ille Princeps subditos suos prosequatur, qui eo pignore priuari se permittit, quo nec pretij maioris, nec charius vllum habet. De Infante mihi sermo est, filia eius dilectissima, quam in Principem nobis donat, at cuiusmodi Principem? quæ timorem Dei & religionem cum ipso nutricis lacte suxit: in paterna domo Regia sanctè educata, vbi nihil vidit quàm omnem honestatem, virtutem & pietatem, non secus ac si inter virgines sanctimoniales Deo sacras & dicatas ætatem omnem exegisset. Si quis fortè me roget, an ad res gerendas, ad remp. administrandam, an ad gubernandum educta ac idonea sit: Quis in dubium hoc reuocet, quin ea quæ ab octodecim aut viginti annis nunquam à patris sui latere discessit, quæ arduis & consiliis & deliberationibus assiduè interfuit, quę de maximis totius mundi rebus consulentes & agentes non audiuit solùm, sed sententiam etiam dixit, & prudentiâ & rerum vsu non ad Belgium modò nostrum, sed ad paternam monarchiam vniuersam, administrandam & regendam prædita sit & polleat? Hæc est illa mutatio ad cuius primum nuncium tantopere attoniti fuimus: si aut vlla nouitas aut mutatio dici potest, quæ in commune commodum in rem nostram facta est. Audite me, quæso, meipsum explicantem: Patrem habebamus Principem hactenus nostrum, cui in principatu successisset filius. Eius nos aspectu perpetuò caruissemus, ille nos inuisere nequaquam potuisset. Etsi enim eius ætas & iuuẽtutis flosculus ad profectiones & expeditiones vtilis & idonea sit, Rex tamen suis litteris ipse nobis declarauit, eum propter arduas & incredibiles aliorum regnorum, quibus illi à Deo cumulatè est prôspectum, ad nos venire non posse. Nunc filiam suam nobis donat, quæ è cõspectu nostro nunquam discessura est, quæ præsens malos puniet, bonorum fidem experietur, nec vim nobis inferri, nec opprimi nos sinet. Alia præterea & seria cõsideratio est: patrem habebamus, post eum filium Principem habituri, nunc patrem habuimus & eius filiam, post parentem verò fratrem & sororem habebimus. De patre dico, quòd is filiam quam plus oculis suis amauit nunquam deserturus erat, de fratre dubium non est, quin cùm ab infantia à sorore nutritus sit, eiusque vberibus quodammodo lactatus, eam non minùs ac seipsum diligat, reuereatur & amet, & quin omnes potentiæ suæ vires explicet, vt integrum sorori dotale munus conseruetur, quo eam donari liberaliter consensit. Ac in posterum ætate paulatim confirmata, quanti eius intersit ipse diiudicabit. Neque ignoratis, quis futuræ Principi maritus coniungatur, quem præsentem hîc videtis, optimum Principem & prudentissimum, & cuius virtutes iam vobis innotescent, de quo præsente timidius dico, tanta enim eius est modestia, vt ex sua laude pudore afficeretur. Ego quoque mihi partes simpliciter & fideliter Principi meo consulendi, quàm in os laudandi vel assentandi malim tribui. Ceterùm bellicam virtutem ex recentibus, quamdiu apud nos ille fuit, expeditionibus & victoriis perspexistis, prudentiam ex pace, præter opinionem omnium hominum vobis parta. Et cum venia dixerim augustissimorum Austriacæ domus Principum, qui vt omnes boni sunt, & summa laude digni, ita nemo diffitebitur, Regem hunc legisse veluti quendam ex optimis propaginis eius palmitem: Nos verò in has nuptias tam rari exempli cõiugum spem nostram collocare, & ex hac cõiunctione ceu publicæ felicitatis fonte, prosperitatem maturam exspectare oportere. Reliquum est vt gaudium, voluptatem & lætitiam, quam cogitatione futuri boni præcipimus, hilari vultu testatam faciamus. Et conceptis votis Deo supplicemus, vt eos nobis sospites omniumque bonorum affluentia cumulatos & ornatos conseruet, & fœcundo ipsorum thalamo posteritati Principum consulat, ad quem regnum serò transmittant: Nobis denique ad voluntatem, quam habemus propensissimam, debita ipsis obsequia præstandi adiungat facultatem; vtrisque exoptatæ rebus restitutis fruendæ pacis copiam.

Cùm sic Præses perorasset, Philippus Masius, cui erant delatæ respondendi partes omnium Ordinum nomine, in hæc verba exorsus est:

PER Regiæ Ma^tis^, Serenissime Princeps, litteras pridie Cal. Iun. ad prouinciarum Ordines datas, dotalem concessionem & donationem Belgicarum ditionum cum Comitatu Burgundiæ & Carolesij, quam in fauorem & promotionem futurarum nuptiarum serenissimæ Infantis filiæ suæ cum tua Celsitudine contrahendarum, Principis Hispaniarum consensu accedēte facere decreuerat, iidem intellexerunt; tam iuxta Regij diplomatis & aliorum instrumentorum, quæ & visa & lecta sunt tenorem, quàm præsentem Celsitudinis tuæ nomine factam viua voce declarationem. Nec mirum videri cuiquā debet, quòd accepto primo nuntio Ordines rei nouitate consternati sint: si consideremus quadraginta tres annos iam effluxisse, cùm à Diuo Cæsare harum Inferiorum ditionum principatus Regiæ Ma^ti^ concessus sit & traditus. Rex ab eo tempore tanquam Princeps legitimus, & iure naturali ad successionem vocatus, nihil prætermisit, quod ad conseruationem prouinciarum suarum bonorumq; subditorum perseuerantiam in fide Catholica, & mutuum prouinciis pacatis commercium ac salutem pertineret. Neque propè infinitis pecuniæ myriadibus pepercit, quas ex Indicis & regnorum Hispaniæ thesauris amplissimis deprompsit, ad prouincias conseruandas & ab hostibus defendendas. Ob quam liberalitatem ex benigno Regis in nos animo profectam, hic consessus Prælatorum, Nobilium & Ciuitatū, qui Ordines generales referunt, eius Ma^ti^ in perpetuum obligati & obstricti permanebunt, & eidem immensas ob ingentia beneficia gratias omnes agunt. Tametsi post tot tantosque labores, solicitudines & sumptus, necdum Deo visum fuit, vt bonæ voluntatis eius fructum perciperemus, sed ad delictorum nostrorum punitionem, post tot annorum lapsum prouincias ad extremam calamitatem & miseriam redigi permisit: & maioribus cladibus interitum nobis minatur huius belli continuatio, nisi nos Diuina clementia respiciat, pacem cælo mittat, & animos alienatos nobiscum reconciliet; quod communibus votis supplices efflagitamus, & vt cœptis nostris propitius adsit Deus, donec vi & armis ad officium reuocentur. Ad quod conficiendum etsi Regij nominis auctoritas & potentia videtur necessaria, eo quòd hoc ipso bello auspiciis Regis gesto, publicæ prouinciarum opes funditus sunt exhaustæ, ac priuatæ omnium fortunæ tam in vrbibus quàm in agris euersæ & imminutæ, vt ex crebris querimoniis Celsitudo tua animaduertere potuit: Res vna tamen nos consolatur, quòd cum seriis aliorum regnorum negotiis Ma^tas^ sua distinetur, & affecta iam ætate ac aduersa valetudine, ne ad nos veniat excusatur, filiam suam Principem nobis dedit, quæ præter ceteras quas habet singulares perfectasque virtutes, eandem in subditos suos pietatem, quàm à paterna educatione accepit, secum allatura est, maximè cùm eiusdem nominis & familiæ Principem, quem nos & maiores nostri summa perpetuò obseruantia coluimus, maritum habebit, qui vt iisdem virtutibus est præditus, ita nobis earum vicinisque Principibus illustre specimen dedit. Quapropter confidimus, quòd vt forma quædam continuati potiùs quàm mutati principatus sit, Regia sua Ma^tas^ nihil similiter de paterno affectu suo erga filiam dilectissimam, optimosque subditos, nec de sua pietate nec subsidiis remissura est, sicut pari, qua solet, liberalitate, per litteras ad nos datas declarauit & promisit. Vt post tam diuturnum ac calamitosum bellum, quod quia intestinum ac domesticum malum est, sic ad euertendam & perdendam remp. quàm maximas vires habet, prouinciæ conquiescere, ac nitori suo pristino restitui tandem queant. Qua spe freti, Prælati, Nobiles, & Ciuitatum constituti ex benigno Regis hoc consilio, de hac cessione & donatione, ingentem lætitiam animo repræsentant, eiusque Ma^ti^ ingentes gratias agunt, ac virtute mandatorum quibus sunt muniti, eidem cessioni interesse sunt parati, tuæque Celsitudini in rem Infantis serenissimæ, ceu prouinciarum Principi legitimę iusiurandum & omnia officia necessaria ac solita præstare, ea conditione vt Celsitudo tua vigore instrumenti procuratorij quod ab ea habet mutuum dicat Ordinibus iusiurandum, & eiusmodi ac in simili imperij translatione Ma^tas^ sua dixit; de conseruandis antiquis patriæ iuribus, priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, cōsuetudinibus, læti introitus obseruantia, reconciliationibus, conuentionibus, donationibus & pactionibus, rebusque eo spectantibus, quæ ad prouincias & earum membra generalia & particularia

pertinue-

pertinuerunt & pertinent, nulla rerum præteritarũ habita ratione, & sine vtriusque partis præiudicio iis rebus quamprimùm in integrum restitutis, quæ aut derogatæ aut perperam innouatæ sunt, & iis quæ in præsens emendari nequeunt intra annum restaurandis. Et vt intra idem spatium in aduentu serenissimæ Infantis, idem iusiurandum per eius ac per tuam Celsitudinem renouetur, ac in singulis prouinciis locisque præstetur, in quibus Regia Ma^tas idem fecit. Atque eo pacto certum, exploratũ & persuasum sibi habent Ordines generales, vtpote nihil prius nec antiquius habentes, quàm Principum suorum mandatis rectè obsequi, pari fide & obseruantia qua semper legitimos Principes suos coluerunt, nihil prætermissuros, quod ad cultum, honorem & obsequium vestrum quouis modo pertinebit. Reliquum est, Serenissime Princeps, Deo supplicare, vt his cœptis faueat, ad nominis sui gloriam, Catholicæ fidei propagationem, & vt omnia in cõmodum vestrarum Celsitudinum & posteritatis, in commune afflictæ reipub. bonum & alleuamentum, ac prosperitatem totius Belgij benè vertat.

Hæc cùm dixisset Masius, dimisso in posterum diẽ consessu, omnes ibidem denuò comparuerunt. Ibi Præses Richardottus pro sua Celsitudine Ordinibus declarauit, eam intellectâ hesterni diei oratione ipsorum nomine habitâ, propensoque obsequio eorum animaduerso, quo & Regis consilio & voluntati parere cupiebant, etsi à primo suo in prouinciam aduentu eorum animos perspexerat, & ad quæuis obsequia paratissimos deprehenderat; tamen quoniam is actus qui præ manibus erat, Celsitudinem Principis Infantis potissimum & consequenter Archiducem tangeret, in mandatis se habere, vt eiusdem nomine gratias ipsis agat, & de pari in illos voluntate & affectu securos esse iubeat: suam enim Celsitudinem in animum induxisse obnixè omnia facere, noctes diesq; operam dare, nullis laboribus nec sudoribus parcere, vt pace communi reip. bono parta eorum votis satisfiat, & vt ipsorum iura, libertates, priuilegia sarta tecta conseruentur. Ceterùm quia amplissimus hic consessus ad dicendum vtrinque iusiurandum conuenerat, Archiducem ad ea quæ præstanda ipsi essent paratum se offerre, ipsi suo ordine vti idem faciant singuli se componant. Ante alios itaque paulò propius accesserunt Ordines Brabantiæ, quorum graphiarius voce quæ ab omnibus exaudiri potuit, descriptum recitauit læti introitus priuilegium, & deinde binas iurisiurandi formulas, Latina lingua & Teutonica Belgica scriptas. Sua Celsitudo tactis sanctis Euangeliis, & cruce Domini per Archiepiscopum Machliniensem oblata, vtrunque iusiurandum dixit.

Prioris verba huiusmodi erant:

EGO ALBERTVS Dei gratia Archidux Austriæ, &c. harum prouinciarum Gubernator, vigore procuratorij quod habeo à serenissima Principe Domina Isabella Clara Eugenia, futura mea coniuge, Promitto ac iuro in verbo Principis, quòd ex nunc obseruabo & curabo, benè & fideliter obseruari omnes & singulos punctos, seu articulos in præsentibus istis litteris iucundi introitus, & additionum eiusdem contentos, quarum litterarum translationẽ audiui legi & benè intellexi, absque vlla omissione, prout bonus & pius Princeps suis subditis facere tenetur: Sic me Deus adiuuet, & omnes sancti eius.

Alterius tenor hic erat:

EGO ALBERTVS Dei gratia Archidux Austriæ, &c. harum prouinciarum Gubernator, vigore procuratorij quod habeo à serenissima Principe Domina Isabella Clara Eugenia, futura mea coniuge, Promitto ac iuro super sanctis Euangeliis, quòd ex nunc ero bonus administrator iustitiæ, & fidelis Princeps Ducatus Brabantiæ, & habitantibus in eo præsentibus & futuris; & quòd nullam vim seu violentiam eis inferam, nec vllo modo ab aliis inferri permittam, & quòd eos non regam nisi secundùm ius & iustitiam: sed in omnibus causis, omnes & singulos subditos opidorum, vicorum & pagorum, & alios patriæ Brabantiæ, regam & tractabo in corpore, & in bonis per ius & iudicium, prout secundùm statuta & consuetudines locorum eorundem facere oportebit; & quòd obseruabo & curabo obseruari Prælatis, monasteriis ac domibus Dei, Baronibus, Equitibus,

Nobilibus,opidis,ciuitatibus,libertatibus,pagis,& omnibus meis subditis dictę patriæ in generali & particulari,omnia eorum iura & priuilegia,immunitates,tractatus,ordinationes, statuta, consuetudines & obseruationes, quæ illis fuerunt indulta & concessa per quōdam piæ memoriæ Duces,Carolum,Philippum,Carolum Imperatorem,Philippum Regem Hispaniarum & eorum prędecessores Duces Brabantiæ,& quæ impræsentiarum habent, tenent & fruuntur in generali & particulari, & quicquid horum infractum aut innouatum est,reparabo & restaurabo.Insuper promitto,quòd dicta serenissima Princeps simulatque in hanc patriam & ducatum venerit, hoc ipsum iuramentum vnà mecum eius marito renouabit,tam prædictis Ordinibus in generali,quàm ciuitatibus aliisque locis consuetis in particulari, secundùm veterem formam & modum. Atque hæc omnia & singula benè, fideliter & firmiter ac sine infractione aut contrauentione obseruabo, nec permittam,vt his vllo modo contraueniatur. Sic me Deus adiuuet,& omnes sancti eius.

Ordines præeunte verba Audientiario,idem quoque præstiterunt in hanc formam:

NOS &c. Vigore specialis & irreuocabilis procuratorij, quod nos deputati in rem sequentem peragendam constituentium nostrorum nomine signatum & sigillatum habemus, pro omnibus ciuibus & incolis prouinciæ N. N. nemine excepto neque reseruato, voluntati & beneplacito serenissimi & potentissimi Principis Regis Hispaniarū supremi & legitimi Domini nostri satisfacientes, tibi serenissime Princeps Alberte Archidux Austriæ,&c. nomine,in rem & tanquam speciale mandatum ac procuratoriū habenti serenissimæ Principis Dominæ Isabellæ Claræ Eugeniæ,Infantis Hispaniarū,iuxta tenorem instrumenti quod vidimus, qui vigore dicti procuratorij & mandati, iusiurandum personaliter hîc dixisti, quemadmodum Dux Brabantiæ dicere consueuit, promisimus, affirmauimus & iurauimus, tibique nomine & in rem prædictæ Dominæ & Principis Isabellæ Claræ Eugeniæ, futuræ nostræ Dominæ ac Principis supremæ & legitimæ promittimus, affirmamus & iuramus per præsentes, nos eidem in omnibus fideles & obsequentes fore,sicut bonos & fidos subditos veræ & legitimæ Dominæ ac Principi suæ esse decet.Ita nos Deus adiuuet, & omnes sancti eius.

Princeps singulos accedentes,atque ea qua par est obseruantia gratulantes, benignè compellauit.Reliquarum prouinciarum legati suo ordine euocati,similiter ad dicendum iusiurandum accessere. Ad singulos actus tubarum ingens clangor ad communem lætitiam omnium animos erexit. Deinde Philippus Masius scriptum quoddam nomine Ordinum Archiduci porrecturus,his verbis eum allocutus est:

Ordines existimare officij sui esse, res quasdam tam ad Principis quàm ad prouinciarum commodum pertinentes, scripto eius Celsitudini exhibere, inter cetera continente; nihil Principis præsentiâ prouinciis esse gratius, nihil ipsi, reip. nec subditis vtilius: Hoc superiorum temporum exemplis comprobari: Nunc duabus potissimum de causis eam experi: Primam esse dicebat,difficillimis temporibus impeditum rerum statum: Alteram, in fiduciam & exspectationem de Principum præsentia conceptam reijciebat. Ordines verò non sine dolore intellexisse, suam Celsitudinem discessum meditari, & profectionem in Hispaniam instituere. Ad periculi magnitudinem dum abesset longius, accedere aliquid posse,haud facilè restaurandum. Quo metu vt eos liberet,de mutando consilio vehementer orare. Diei porrò eius acta ingenti gaudio omnes affecisse, quæ ex patrium voto benè fortunet Deus. Sua denique Celsitudo certò sibi persuadeat,Ordines facultatum vitæque suæ iacturam præ fide & obsequio Principibus suis debito, parui facturos esse: Sic Masius. Cui Præses, & libello quem Principi obtulerat in hunc modum respondit:

HAVD mediocri voluptate affectus est Archiducis animus,amplissimi viri,dū inter dicēdum solemne Sacramentum,hilarē omnes vultum præ se ferre conspexit: existimans vnumquemque lætitiā huius diei,quam de rari exēpli serenissima sua Principe, mente cōceperit,ore & oculis animi sui indicibus testatā reddere voluisse;eoq; argumento vos illam,cùm aduenerit, non solùm libéter & cum gaudio exceptutos,

exhibituros, & eidem fidem vestram & obsequium probaturos, verumetiam prudentibus consiliis adfuturos, & vestris facultatibus vt oneri reip. ferẽdo sufficiat, subsidio venturos, conie&ctura;m certam facit. Eo autem officio, vtpote Archiducem tam prope attingente, vos illum magnopere demeriti vobis estis, ac me vobis declarare iubet, se omnibus modis ac humanis rationibus omnem operam daturum, vt reipsa intelligatis quàm grata, quàm accepta voluntas vestra illi fuit. Sic Deum votis suis propitium fore confidens, vt tam ipse quàm Infans serenissima, vbi venerit, singularem in has prouincias amorem demonstrare possit. Nec se minus incredibili, easdẽ nitori ac pristinæ magnitudini quamprimùm restituẽdi, flagrare desiderio, quàm dolore affici, quòd eas tot cladibus iãdudum ac cepris, tot adhuc malis affligi conspiciat. Ad ea quæ scripto vestro exposuistis, responsum Princeps dabit ad omnem æquitatem & gratiam conformatum, quantum præsens rerum status è reip. bono feret. Quod verò ad Hispanicam profectionem attinet, quam mutari velletis, id vestræ erga Principem beneuolentiæ attribuitur, cuius quidem pręsentia vt solatio vobis esset, sic reip. expediret, nisi aliter Regi visum foret, cui mos gerendus est. Nam Principum actiones à Deo diriguntur, & eorum consilia Diuinitati sunt proxima, ac Regiæ voluntati eo minus refragandum est, quo Infantis aduentum maturari magis conuenit, vt vterque Princeps rebus nostris consulere, remedia malis quærere, & vulnera reip. sanare præsens queat. Itaque haud inutilem profectionem fore, & priusquam eam paret, Principem ceteroqui prouidum & prudentem, nequid eo absente detrimenti capiamus, prospecturum cogitare. Vnam adhæc rem dicendam vobis habeo, de cuius exordio ne ad lacrymas vos impellam, ambiguus certè hæreo: Hunc nimirum vltimum velut actum esse, qui Regis nomine fiet, eum vobis hodie valedicere, hodie nos dimittere, & in omnibus instrumentis crastino die Isabella & non Philippus loquetur. Sed quæ hęc conuersio est, quæ cum gaudio & voluptate dolorem mixtum habet! dum Regem vos deserere, qui tam benignè rexit quadraginta tribus annis, vulgari quadam opinione pertimescitis! Hoc reuera dici nequit, nec pro deserturo haberi, qui apud vos manebit optima sui parte, & qui filiam dilectissimam in Principem vobis donans, nihil de auxilio quo iuuare vos solet, remissurum se promisit. Nec vos eum deseretis, sed in eius clientela dum superrit permanebitis, & ad Principem eius filium sceptri successorem parem obseruantiam fidemque transmitteris. Noui enim nostri Principes pro suis haud agnoscerent, qui parentem optimum & germanum suauissimum non venerarentur, colerent, obseruarent. Hoc quàm facere teneamini, tum demum comperietis, cùm beneficiorum ab ipso acceptorum calculus subducetur, & ad dissoluenda nomina quibus ipsi obstricti estis rationes inibuntur. Vos eius in vos ingentium meritorum ignari nõ estis, nec curarum eius pro tranquillitate vestra, nec laborum pro quiete susceptorum immemores esse potestis. Quantum suppeditauerit ex ærario sanctiore, vt ab hostibus vos assereret, & quantopere vos deuinciat pretiosum hoc monile filiam suam dulcissimam vobis cõcedendo, ceu consolidatis rationibus expendite: Et ne fides vestra cõcidat, paratam ad hoc æs alienum dissoluendum voluntatem ostendite. Etenim in tanta fortunarum tenuitate lacrymas & suspiria in partem debiti accipiet, pro nummis aureis preces, & argenti loco vota publica computabit: quæ pro salute eius & Principis florentissimi incolumitate, affectusque paterni in nos successione, pro felicibus denique nouorum Principum auspiciis vnanimiter concipiamus.

Cùm finem dicendi fecisset Richardottus, rex caduceatorum Franciscus Damantius, vniuersum consessum postero die adesse penes suam Celsitudinem ad conuiuium iussit, cui etiam omnes dicto die interfuerunt.

Postea Præses designatum in absentia Archiducis Serenissimum Cardinalem Andream Austriacum ad Præfecturam dixit, atque vt eundem consilio & opera iuuent seriò cohortatus est.

Nos

Nos verò profectionem Archiducis prosequamur, qui cùm in procinctu esset, Ordines Comiti Solreo vnà proficiscenti in mandatis ad Regem & ad Principem dederunt, vt gratias ipsis ageret de benigno donationis prouinciarum consilio, & vt subsidiorum in belli sumptus continuationem precibus efflagitaret. Serenissimam quoque Infantem rogaret, vt suum in prouincias aduentum maturet, cum nonnullis rebus aliis Soltei fidei commissis. Bruxella discessum est decimooctauo Kal. Oct. postridie quàm Philippus Rex Catholicus ab hominibus demigrauit. Qui vt vitam pari erga Deum pietate & religionis studio, quo semper flagrauerat, cum morte commutauit: Sic Albertus Princeps à diuino cultu, ac beata virgine, quæ Hallæ claret miraculis (distat opidum Bruxella tribus circiter miliaribus) primùm salutanda, profectionem auspicatur, cùm diebus aliquot comitatum præmisisset. Hinc Niuella Namurcum, inde Luxemburgum perrexit. Tum Macheram eiusdem prouinciæ opidum transgressus, ad pagum peruenit vbi Sura fluuius, Ausonio notus, Mosellę confunditur. Haud procul inde eminenti in loco spectatur nobilissimum venerandæ antiquitatis monimentum, quo cis Alpes haud celebrius exstare existimamus, quodque ipsis Italis ostentare possimus. Moles est marmorea ex quadrata basi, duodecim pedes alta, paulatim assurgens ad LXXI V. pedum altitudinem, in quaternis lateribus variis imaginibus semiplanis insculpta, vt in suo Itinerario Abrahamus Ortelius Cosmographus Regius annotauit, quo ciue non immeritò Antuerpia gloriatur, & præstantem eius operam in laboribus geographicis, mundus ipse quem ornauit, quoad erit, prædicabit. Per vrbem deinde agrumque Treuirorum in Comitis Palatini ditionem est peruentum, qui suæ Celsitudini cum omni comitatu (hominibus bis mille, equis mille constabat) hospitia & sumptum præbuit: Quemadmodum VVormatiam Vangionum, ac Spiram Nemetum vrbem trāsuectis, Dux VVitembergensis per suam ditionem officium idem præstitit. Eandem quoque hospitalitatis magnificentiam, relictis à tergo Vlma & Augusta Vindelicorum, serenissimus Dux Bauariæ honorificè exhibuit, donec in regionem Tirolensem peruenerunt. Ibi ciuitatem Oenipontem transeuntes, tumulo nobilem Maximiliani Cæsaris, qui Belgicis prouinciis primus Austriacorum Mariæ Burgundæ nuptiis est potitus, & progressi aliquot milliarium spacio, haud longè ab illo loco, vbi Carolus Quintus Cæsar, & Ferdinandus eius frater, sibi inuicem obuiam facti, felicissimi occursus memoriam seruari, tabula ænea ibi erecta, & augustos amplexus exprimente voluerunt, Philippi III. Hispaniarum Regis sponsæ occurrerunt. Sicut enim Margaritæ Caroli Archiducis Austriæ filiæ cum Regia Ma^te, & Infantis Isabellæ cum Alberto Archiduce pactæ erant nuptiæ; sic eodem consilio vt sua Celsitudo Reginam in Hispaniam adduceret, suam inde sponsam in Belgium duceret, conuenerat. Regina Margarita cum matre Maria familiæ Bauariæ serenissima heroina, & comitatu suo quingentorum hominum, è Pannonia superiore, Archidux è Germania inferiore mouerant, eiusque comitatus, qui vt diximus, præcesserat, in auspicatissimum Reginæ occursum venit, & propè opidum Stertzingam vulgò dictum, fortia castra interpretatur Lazius, felici quodam omine, castra sua coniunxerunt, ac ostensis sanctorum, quæ ibidem religiosè seruantur, reliquiis, Bolzanum transuecti, Tridentum sunt ingressi, & nōnullos dies, quibus ibi commorati sunt, in reliquiis sacrosanctis, quę ibidem sunt plurimæ, tam Apostolorum quàm aliorum Martyrum, visitandis insumpserunt. Archidux Albertus IV. Kal. Nouemb. eò venit. Profectione verò vlterius instituta, cùm agro Tridentino simul omnes excessissent, ac Venetæ ditionis fines attigissent, duo à Senatu eiusdem reip. legati adfuerunt, & Reginam in pago cui Dulci nomen est in Athesis ripa sito, eâ qua par est obseruantiâ exceperunt. Pontem ibi subitarium ex ratibus coniunctis ad fluuij transitum fecerant, cum duabus ad ingressum & egressum portis, quatuor obeliscis & hac inscriptione in ingressu positis;

NOLI MIRARI ATHESIS INSOLITI PONTIS ONVS, TANTÆ ENIM REGINÆ TRANSEVNTI DECEBAT HVNC HONOREM DARE.

De reliquo portarum ornatu, argumento, operisque structura, symbolis & emblematis, ignoscendum mihi est non plura describenti, quàm nancisci potui à Ioanne Sanders & Andrea

& Andrea Ægidij, qui inter aulæ ministros, quamuis in Musarum penetralibus sint profani, huius itinerarij narratiunculam suppeditarunt; vel potius admirãdum est, quòd politioris litteraturæ viri, qui interfuerunt, operam hanc non sumserint; aut communi aulæ vitio hæc culpa adscribenda est, quæ in tanta hominum turba neminem habuerit, qui huiusmodi res accuratè obseruandi & litterarum monimentis consignandi prouinciam susceperit. Ad aulica ministeria totus alitur exercitus, quæ ad canum & equorum curam requiruntur, castrorum speciem referunt, & inter impedimenta citharœdi sunt & mimi. Sed quantum ornamentum sibi aula compararet, si eius beneficentia ingenia excitarentur, si in domesticis & ministris suis rerum laudabilium præconem aliquem haberet, & inter suos asseclas & anteambulones ac palatinum gregem, etiam reperiretur gloriæ buccinator! Accedebat gratissimum bis mille armatorum peditum spectaculum pontem custodientium, qui displosis tormentis sonitus ingentes inter bina montium iuga maiori repercussu multiplicatos edebãt. Eundem honorem quacunque in Venetorum ditione iter factum est, armati exhibuerunt, tredecim equitum turmis, armorum elegantia ac D. Marci tutelaris vexillo conspicuis, ponè subsequentibus. Hospitia publica Senatus nomine præbita, & quæcunque ad ter mille & quingentos homines, & bis mille equos decem circiter diebus alendos sufficiebat, dum Veronam prætereuecti, Ducis Mantuani territorium sunt ingressi. Ostia opiduli nomen est in Padi ripa siti, vbi quatuor equitum eiusdem Principis turmæ ornatu variis coloribus splendidissimo Reginam exspectabant. Serenissimus Vincentius Gonzaga Dux Mantuæ, cum triginta primariæ nobilitatis viris ad eam salutandam celeribus equis venit. Ad traiectum fluminis nauigia erant parata, atque inter cetera magnifico apparatu instructa thalamegus, qua Regina cum matre & Alberto Archiduce, & sexus vtriusque nobilitate vehebantur; erat enim suis atriis & tricliniis distincta, & peripetasmatis argenteis exornata. Cùm Regina conscendisset, mensam epulis & cupediis lautissimis paratam, concentumque musicum in naui deprehendit. Reliquus comitatus tribus magnis pontonibus traiecit in alteram Padi ripam, vbi Rouerum Ducis Mantuani opidum est.

FERRARIA.

HINC prono flumine Ferrariam sunt deuecti; non cessante interea quouis genere oblectamenti, harmoniæ, & chorearum, ad nauigationis tędium mitigandum. Beatissimus pater Clemens octauus, qui ad res Ferrarienses à tumultu recenter sedato constituendas, causa inuestituræ quam Cęsar Atestinus poscebat denegatæ, feudali principatu morte Alfonsi Ducis, qui è suis vxoribus prolem non susceperat, ad Ecclesiam deuoluto, cum bono purpuratorum patrum numero venerat, vbi aduentare Reginam intellexit, legatos Cardinales Aldobrandinum & S. Clementis, cum magna Prælatorum & Nobilium frequentia, ad tria passuum millia, Insulæ loco nomen est, obuiam ei misit: Qui sanctæ sedis Apostolicæ & Pontificis nomine eam excipientes, rhedam ferramentis deauratis insignem ac non minùs eleganter, quàm magnificè contectam, ad quam sex equi candidi erant iuncti, cum duobus rhedariis similiter ac instrata rheda erat amictis, Reginæ obtulerunt, quæ vbi conscendisset, cum matre & Archiduce, Ferrariam est deuecta. Extra portam vrbis Catholici Regis Orator Sessæ Dux occurrit, & Reginæ sponsæ lecticam pannis aureis coopertam, & argento deaurato ferramentorum vice, ac reliquo apparatu regaliter instructam, cum duabus mulis albis similiter instratis, & duobus lecticariis eâdem veste ornatis, rhedam quoque & sex equos maculis bicolores cum duobus rhedariis amictu aureo conspicuis, nomine sponsi Regis obtulit. Propè portam ciuitatis, quam Angelorum vocant, à duobus Cardinalibus Sfortia & Montalto, in domum materiatam opere temporario ibidem exstructam, in solium Regium est deducta, dum octodecim aliorum Illustrissimorum purpuratorum patrum

ſacer cœtus Pontificio habitu cum frequenti comitatu aduenit. Regina candidum gradarium argenteo panno inſtratum, mater eius tolutarium, Pontificis item dona, quibus in vrbem veherentur, aſcenderunt. Exterior portæ facies ternis inſignibus condecorabatur, ſuæ Beatitudinis in medio poſitis, dexterâ Regis Catholici, ſiniſtrâ Reginæ, ſcriptumque legebatur:

ANGELI GAVDENT, MORTALES EXSVLTANT, MARGARITAM AVGVSTI SANGVINIS, PIETATIS, VIRTVTVMQVE OMNIVM SPLENDORE LVCIDISSIMAM SIMVL LÆTISSIME EXCIPIVNT.

Ad interius eiuſdem portæ frontiſpicium inſignia Pontificis loco medio, Regis Hiſpaniarum & Alberti dextrâ, Reginæ & Infantis Iſabellæ conſpiciebantur læuâ, cum hoc ſcripto:

VRBEM ADVENTVS TVI NOMINE ILLVSTRATAM, REGINA, REDDE NVNC HOSPITIO GLORIOSAM.

Introitus autem hoc ordine proceſſit: Ingens vehiculorum ac curruum omnis generis multitudo cum impedimentis præceſſerat. Prima acies duarum equeſtrium erat turmarum, cum lugubri, ob recentem Philippi Regis obitum, armorum ornatu; ſequebatur equitum aulicorum ingẽs numerus, duæ iterum turmæ; deinde Cardinalium & aliorum domeſtici, tum nobiles proceresque cultiſſimi, frequentiſſimi. Poſtea corynephori, qui argenteas clauas inſigne Cardinalitium, mulis vecti ornatu ſolenni ſtratis ferunt. Tum ſacrum collegium habitu violaceo, qui lugubris patribus color eſt, horum Cardinalium incedebat: Florentinus nimirùm & Aſculanus, Montelparus cum Borromęo, Camerinus cum Iuſtiniano, Bandinus & Sancti Clementis, Baronius cum Auila, Blanchettus cum Geuara, Aragonius cum Farneſio, Santiquatrius, Aldobrandrinus & Cæſius. Vtrinque Heluetij pedeſtres Pontificis ſtipatores ibant. Regina inter Cardinales Sfortiam & Montalrum media vehebatur: ſuo eam ſtipante Germanorum ſatellitio, ac matre cum Alberto Archiducibus ſubſequentibus. Equeſtris denique ſatellitij turmæ, cum ingenti ciſiorum & rhedarum numero, quibus feminæ & puellæ nobiles vehebantur, extremum agmen claudebant. Hoc ordine viâ, cui ab Angelis nomen eſt, ad hoſpitium Oratoris Cæſarei peruenerũt. Porta ibi erat coronis longis ornata, & pictura muliebri baſim tenente, Pontificis, Imperatoris, Hiſpaniarũ Regis & Alberti Archiducis inſignibus diſtinctam; Iuſtitia & Religio eadem tuebantur. Victoria cælo lapſa omnibus æqualiter inſignibus imminebat. Paulò vlterius prouectis, triumphalis arcus illi haud abſimilis, qui Tito Veſpaſiano erectus Romæ viſitur, quatuor columnis ſubnixus occurrit. Muliebri in dextro latere ſtatuæ, cum laurea & facula, aſſcriptum erat: IVGVM. Alteri ſtatuæ femineæ cum facula in manu, MARITALE. In arcus frontiſpicio ad hunc modum legebatur:

PHILIPPO ET MARGARITÆ AVSTRIACIS, IMPERATORVM GLORIA SVAQVE PIETATE INCLYTIS, VT CATHOLICORVM REGVM SOBOLES PROPAGETVR, MATRIMONIO DIVINITVS CONIVNCTIS, ANNI MVLTI, LIBERORVM COPIA, PERPETVA FELICITAS.

In loculamentis intercolumniorum, nicchias vulgò vocant, ſtatuæ muliebres famam referebant. Pontificis in medio, hinc Regis, hinc Reginæ inſignia noſcebantur. Vbi ad palatium Regia ſponſa venit, inter principum Apoſtolorũ effigies aſcendit in aditu graduum poſitas, & cum matre & Archiduce in conclaue ſeceſſit, (quod contiguum erat ſacro conſiſtorio, in quo pater beatiſſimus in ſolio habituq; Pontificio ſedebat cum collegio Cardinalium) tantiſper ibi morata dum orationi, quam Bernardinus Scottus Mediolanenſis de Auſtriacæ domus laudibus, & felici aduentu Reginæ habebat, finis factus eſſet. Tum Regina cum matre & Alberto Archiduce ad pedum oſcula acceſſerunt, benignè Pontifex omnes excipit, & crucis ſigno munit. Regina in ſuum gynæceum deducitur, eius vſui exſtructum, & regali verè apparatu ornatum. Poſtero die vbi ſacro interfuiſſent à Pontifice celebrato, a ſua Beatitudine communi menſa excipiuntur. Die verò Dominico decimo ſeptimo Kal. Decemb. qui celebrandis ſponſalibus dictus erat, depoſita lugubri ad ſolitam omnes veſtem redierunt. Qua in re tantus ſplendor enituit, tanta omnium

omnium magnificentia, non in Principum modò vtriuſque ſexus veſtibus, cultu & ornatu immenſi ſumptus & pretij, ſed in vario floridoque aulicorum amictu, quo ſuam quiſque familiam producebat, liureas vulgò vacant, vt nihil Ferraria vnquam viderit ſumptuoſius. Ad ſummum templum ſummus Pontifex præceſſerat, acceptoq; habitu & diademate Pontificio, ſacrum celebraturus in ſolio conſederat. Regina cãdido amictu, vnionum & gemmarum mundo pretij inæſtimabilis & ſplendore exculta radianſque, vt lectiſſima illa orbis Margarita tota gemmea videretur, inter duos Cardinales Santiquatrium & Farneſium, matre cum Archiduce ſequentibus, cũ frequenti Principum & Nobilium comitatu ad templum eſt deducta, quod argenteis aureiſq; periſtromatis effulgebat; & intrante Regina, concentu muſico quatuor choris ſacram cantionem, motettum vocant, Apparuit Regina, alternãtibus perſonabat. Poſtquam ſub aureo cum matre ſolio eſt excepta, & Archidux ex alio latere ſub ſuo item ſolio ſedit, ſacrum ſolenne Pontifex auſpicatus eſt. Apoſtolico fidei ſymbolo decantato, Regina à Cardinalibus ad Pontificem deducitur, cum matre & frequenti ſui ſexus comitatu, Archidux cum ſuo ab altera parte accedit.

Tum prælecto publicè mandati inſtrumento, quod à Rege Catholico Archiduci datum erat, Pontifex matrimonium inter Regem Philippum per Albertum auunculum legatumque ſuum eius nomine comparentem, & Reginam Margaritam præſentem celebrauit. Cui omnes Principes ad ſolium reductæ, auſpicatiſſimas cum monarchia nuptias reuerenter gratulati ſunt. Subſtitit coram Pontifice Archidux Albertus, dum Seſſæ Dux accederet, qui cum ſimili mandato Infantis ſereniſſimæ nomine comparebat, quo lecto, Iſabella Clara Eugenia per legatum ſuum Alberto Archiduci per Pontificem deſponſatur. Peractâ re diuinâ, Pontifex Reginæ ad altare adductæ, auream roſam conſecratam dedit: quæ inter dona ſacra, eodem apud Principes eius ſexus loco eſt, quo enſis & galerus, qui ad primarios Chriſtiani orbis Principes à Pontifice mitti ſolent. Sacram itaque roſam è Reginæ manibus Princeps Comes Barlaymontius accepit, aurei velleris torque redimitus, ac Reginæ egredienti ad palatium prætulit. Tota dehinc ciuitas duplici matrimonio à Sanctiſſimo patre vno die celebrato, & binarum nuptiarum toto orbe maximarum maieſtate decorata, ad lætitiam, ad ludos, ad hilaritatem ex auguſti Hymenæi edicto ſe conuertit. Omnia loca, viæ omnes, publicæ ædes & priuatæ plauſu riſuque perſtrepebant, perſonatorum vtriuſque ſexus hominum cum iocis, ludicris, choreiſque per vrbem curſitantium, plena erant omnia, vt à quouis genere honeſtæ voluptatis prætermiſſum nihil fuerit. Poſtridie Regina in æde D. Virgini ſacra, in Vado appellata, ſumma veneratione ſacroſancti ſanguinis quo orbis expiatus eſt, reliquias vidit coluitque. Sub noctem feſtiuitas tota vrbe inſtaurata. Sequenti verò die triginta mulieres Nouocomenſes perſonatæ lepidiſſimum nauale ſpectaculum præbuerunt, quæ in ſex celoces totidemque varij coloris factiones æqualiter diſtributæ, præmiis propoſitis ac metâ conſtitutâ curſus naualis Troianæ claſſis apud Maronem exemplo, certamen inierunt. Ad ludicri voluptatem accedebat remorum peritè ab hoc ſexu impulſorum nouitas, aliaque oblectamenta, quæ cymbalis, fidibus ac ſaltationibus in ipſis nauigiis victrices exhibebant. Veſperi coram Regina, ſtudioſa ſub patribus ſocietatis iuuentus actiunculam dedit, feſtiuo Iudithæ viraginis argumento. Nec diutius Regina, quàm in poſterum diem Ferrariæ commorata, cum toto comitatu profectionem inſtituit.

 MANTVA.

MANTVA.

DVx eam Mantuanus Roueri exspectabat, quatuor equitum turmis in occursum missis, quæ Gubernium vsque, castellum est in Mincij ripa situm, Reginam deduxerunt. Ibi cùm prætoriam vel regiam potius nauem meridie conscendisset, eodem fluuio propè Mantuam est delata, mille circiter & quingentis ab vrbe passibus, à serenissimis Eleonora Mantuę, & Margarita Ferrariæ Ducibus, cum Principibus Mantuanis salutata, rheda in vrbem cum matre fuit vecta, cũ ingenti sexus vtriusque nobilium centum rhedis vectorum multitudine, ipso Duce cum magno ex ordine primario cœtu, ac duabus equitum turmis comitante. Quarta noctis hora crebris funalibus tenebras vincentibus, Mantuam est inuecta. Ad ingressum portæ, quæ columnis & picturis elegãtibus ornabatur, hinc Mantus Tiresię Thebani vatis filiæ, inde Ocni Mantus filij vrbis fundatoris statua erat posita. Reginam Manto ad ingressum inuitabat serto ei porrecto, asscripto è poëta ciue Mantuano eiusmodi hemistichio;

INGREDERE, Ô DIVVM GENVS.

Ocnus claues ciuitatis dextra offerebat, sinistra hæc verba scripta ostendebat:

NOSTRIS SVCCEDE PENATIBVS.

Cùm pontem transiisset Ioannes Bap^a Guerrierius, Præfectus vrbi & pedestri militiæ ditionis Mantuanæ, eundem Ocni actum reipsa expressit, & Principis sui nomine claues ciuitatis in polubro argenteo obtulit. Sub testudine portæ Illustrissimus & Reuerendissimus Franciscus Gonzaga Episcopus Mantuanus Reginam excepit, & Crucis signum deosculandum præbuit. Ad quem actum sedile ibidem præparatum, aureoque panno erat coopertum, vbi ipsa genibus reuerenter nixa osculum cruci dedit. Lectica eodem loco intus forisque argenteo panno tecta ad manus habebatur, à duabus mulis albis gestata, quibus pueri nobiles argenteo similiter amictu decori, detecto capite insidebant. Supra lecticam octo Mantuani summo loco nati iuuenes, ex argenteo panno vmbellam gestabant. Regina sede paulò altiore, ex aduerso mater eius sella humiliore in lectica sedebant. Tum displosis maioribus tormentis, pulsatisque campanis, publicæ lætitiæ velut signo dato, ordo Ecclesiasticus Mantuanæ ciuitatis ea serie habituque, quo in supplicationibus vti solet, incessit, status Mantuani sequebatur equitatus, deinde Comestabilis aliique principes viri, post hos lectica Reginæ, quã iuuenes quinquaginta genere clarissimi, amictu argenteo gemmisque splendidissimi pedites vndique stipabant. Archidux Albertus cum Duce Mantuano equis vecti generosissimis statim subsecuti sunt; tum puellæ nobiles ex Reginæ gynæceo cum suis stipatoribus, demùm equitum turmæ aliquot, pro postremo agmine à Duce ordinatæ. Hac pompa per viam quæ ad summũ templum ducit, in vrbem sunt ingressi. Omnes verò ædes, viæ omnes, tota denique Mantua, tot facibus tædisque accensis collucebat, vt densæ noctis tenebræ vix differre viderentur à meridiana luce. Vbi ad pontem ventum est, sub quo Mincius labitur, ac mediam vrbem secat, colossi quatuor muliebres ingentem terræ globum, montibus, insulis, mari & vrbibus distinctum in sublime eleuabant, & instar portæ transitum efficiebant. Cupidinis simulacrum globo insidebat, & his verbis asscriptis Reginam salutabat:

Salue vera Iouis proles.

Singulæ etiam statuæ affixo hastæ versiculo, felicitatem orbi aduentu Reginæ ominabantur. Asia ipsam sic alloquebatur;

Aspice conuexo nutantem pondere mundum.

Hastili quod tenebat Africa, appendebat;

Aspice venturo lætentur vt omnia seclo.

Europa hoc auspicium decantabat:

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Vatici-

Vaticinium America huiuſmodi proferebat:

—— Super & Garamantas & Indos

Proferet imperium.

Ad ingreſſum fori propè D. Andreæ fanum, porta erat exſtructa ex artis architectonicæ peritia ſuis ornamentis triumphalibus inſignis, & octo regnorum in Italia ſimulacris, quæ Catholico Regi parent. Reginæ tranſeunti coronam ſingula porrigebant; Neapolis nimirùm, Sicilia, Corſica, Sardinia, Appulia, Calabria, Ticinus etiam fluuius, qui cognominis ciuitatis Longobardorum quondam regni metropolis muros rigat, & Iberus qui regno in Hiſpania nomen dedit. Frontiſpicium inſignibus Ma^tis ornabatur, ea autem parte qua Regina introibat, ita ſcriptum legebatur;

MARGARITÆ PHILIPPI III. CATHOLICI REGIS SPONSÆ MANTVAM ADVENIENTI.

Qua egrediebatur huiuſmodi erat inſcriptio,

AVSTRIACÆ MAXIMARVM PROVINCIARVM REGINÆ HAC TRANSEVNTI.

Quatuor anni partes in totidem portæ frontibus monochromate eleganter depictę viſebantur: Ver è cornu Amaltheæ flores omnis generis in frequentem populi cœtum effundebat, Solem intuentis occiduam orbis partem radiis illuſtrantem, quem altera manu Ver demonſtrabat, cui aſſcriptum erat:

Manibus date lilia plenis.

Æſtas ſpicis redimita cornu copiæ ſimiliter inuertebat, vnde in turbam hominum fruges & ſpicas è ſublimi ſpargebat, orientem ſtellam oſtendens cum his verbis:

Proceſſit Cæſaris aſtrum.

Frugum omnium bonorumq́ue copiam orbi prænuncians: Cæſaris enim ſidus meſſis tempore apparere, auctores ſunt Aſtrologi.

Autumnus vultu ridente, pampinis vuisq́ue coronatus, & refertum cornu tenens, protenſa ſuper æquor manu, muſteum liquorem è racemo exprimebat in vndas ſtillantem, additis verbis:

Purpureos ſpargam latices.

Quod ad commodæ nauigationis ex antiqua religione votum pertinebat; Bacchico enim ſucco ceu Neptunum placantes libabant conſcenſuri.

Hiems face accenſa horridæ brumæ rigorem, Reginâ iter faciente, videbatur mitigare, auraſq́ue tepefacere, quod hoc ſcripto indicabat:

Ne glacies ſecet aſpera plantas.

In tranſitu arcus è variis picturis Reginæ magnitudo & felicitas notabatur; In dextro latere nympha ſedebat in prato amœniſſimo floribus vndique conſito, inter duos colles, & capite in manum reclinato, ſuauiter dormiebat. Supra eam apertis cæleſtis aulæ foribus, rex diuûm ſuperiq́ue corollas floridas in caput gremiumq́ue ſopitæ demittebant. Aſtabat illi Hymenæus cum facula, quam abſcondere ſe velle quantùm poterat, videbatur, ne ſplendore nympham è ſomno excitaret. Dextra manu longè exporrecta regium diadema capiti eius imponebat: quem actum hic verſus explicabat,

Lætitia ludiſque Dij plauſuque coronent.

Cælum ipſum propitium ac planetas omnes Reginæ eſſe declarans.

A læua Regis & Reginæ effigies in ſolio ſedebant, Fortunâ ad pedes prouolutâ; eam Mars capillo comprehenſam coram ipſis adducebat, quæ vtrique palmam porrigebat. Solio aſtabant hinc Phœbus, Mercurius & Cupido, illinc facet Muſarum chorus; ad quarum modulos, eo enim geſtu cum inſtrumentis ſuis à pictore erant expreſſæ, aligeri quàm plurimi Genij ſaltitabant. Quæ omnia ad obſeruantiæ ac officioſæ mentis deſiderium pertinebant, addito Mantuani poëtæ vaticinio:

Tibi ſeruiet vltima Thule.

Cùm ad egreſſum fori Regina perueniſſet, omnes ciuitatis carceres ſunt aperti, capti

detentiq́ue liberati ac dimissi, maiorum exemplo ob publicam lætitiam & gratulationem. Porta qua ad templum Cathedrale itur, multis emblematis & insignibus ornabatur, & super eius podio Musicæ harmoniæ concentus, Reginam ad templum vectam comitabatur; ibi in propyleo è lectica descendens, ab Episcopo est excepta, & ad templum deducta, Austriacæ gentis imagines, ac stemmata maiorum in tapetibus vidit: variisq́ue choris musicis psallentibus & canentibus, dum illa sacras reliquias, & beati Anselmi diui Mantuæ tutelaris, sanctos cineres veneratur, lecticam denuo conscendit, & in aditu arcis quatuor statuas conspexit; quarum prima pacis erat, vt hæc verba denotabant:

HISPANIARVM REGINÆ ADVENIENTI PAX ATQVE FELICITAS.

In basi loco emblematis ex colore æreo duæ in sublime volantes columbæ, ex oleæ ramusculo oliuas carpebant, populi iisdem frondibus coronati ingens multitudo infra spectabat cum elogio:

HIC HYMENÆVS ERIT.

Altera Fortunæ statua erat, quod inscriptio demonstrabat;

AVSTRIACI SANGVINIS GLORIOSO STEMMATI SECVNDA FORTVNA.

In basi duæ aquilæ Cæsareum diadema vnguibus sursum ferebant; infra belli cladibus agri vastati, & capta ex hostibus trophæa videbantur, cum verbis:

SIC AD ÆTHERA.

Æternitas erat tertia, cum hac declaratione:

PHILIPPI III. CATHOLICI REGIS SPONSÆ MVLTI ANNI.

In basi duo palmæ rami decussati, quorum alter onustus suis baccis curuabatur, cum hoc voto:

PERPETVÒ.

Statua quarta Hilaritas, à spectatore & lectore noscebatur:

SVMMI REGIS NOVI ORBIS ELECTÆ CONIVGI
SVMMA LÆTITIA.

Duæ infra lauri arbusculæ simul assurgebant addito elogio:

NEC IOVIS IRA.

Nam à fulmine intactam rerum naturalium scriptores laurum putant.

Tum in arcem est deducta, vbi antequam ascenderet à Mantuani Ducis coniuge cum centum nobilissimis & lectissimis matronis Mantuanis salutatur. Palatij apparatus, verbo dicam, reuera erat regius. Plurimi etiam Principes, Dux Mutinensis, Mirandulanus Princeps, Comes Nouelariæ, aliiq́ue generis claritate, & nominis amplitudine illustres Venetiis, Florentia, Genua, Verona, Brixia, viciniśque ciuitatibus magno numero huc confluxerant. Postero die apri venatio in villæ Marmiroli viuario siue leporario propè vrbem, & eadem nocte arx materiata cum suis propugnaculis & machinis militaribus capta & incensa, gratissima Reginæ oblectamenta fuerunt. Sequenti verò die pretiosæ ex antiquitate suppellectilis monstrandæ occasione, quam Gonzagæ domus principes studiosè collegerunt, Dux Reginam matremq́ue gemmeis magni pretij muneribus donauit, duobus Albertum Archiducem equis forma & genere præstantissimis. Dies porrò Dominicus duabus actionibus perquàm fuit memorabilis, baptismo videlicet Mantuani Ducis filiæ, quam cum Archiduce Regina è lauacro sacri fontis suscepit, nomenq́ue suum indidit: Et comœdiâ, ex amatoriis Italorum delitiis quas pastorales vocant: Argumentum erat pastoris Myrtilli fides, qui pro sua Amaryllide se diis deuoueri & immolari cupiebat, cum fabula nuptiarum Mercurij & Philologiæ ad auspicatissimas Reginæ Regisq́ue nuptias comparata. Res fuit magnificentissima, ac post multa retro secula quàm apparatissima: Siue enim theatrum machinasq́ue versatiles, siue amictum & ornatum histrionum spectes, Ducem Mantuanum ædilium florente rep. Romana in muneribus theatralibus populo exhibendis sumptum & magnificentiam non æquasse modò, sed superasse dices. Accedebant chori Musici raro & admirabili vocum & instrumentorũ artificio. Tota denique actio seruato decoro vbique sibi constans, plena tragicæ grauitatis & leporis comici, plena vrbanitatis ac oblectationis à veteris comœdiæ perfectio-

perfectione & ſplendore nihil differebat. Ne quid autem Regina neque mater eius ad tam celebris ſpectaculi voluptatem deſideraret, dramatis vniuerſi interpretatio Germanico idiomate in libellis ipſis data eſt; vt ſingula quæ in ſcena agerentur, intelligerent. Die deinde vno interiecto Mantuâ diſceſſerunt, relicta apud illum Principem hac laude, quòd ampliſſimum præ ceteris obſeruantiæ teſtimonium, erga Regiam Ma^{tem} & Auſtriacam domum præbuit. Nam præter has impenſas & venerationis ſumptus, qui ingentes fuerunt, haud exiguam liberalis & ſplendidi ſui animi ſignificationem dedit, quòd nouem circiter diebus hominum aluit quinque, equorum quatuor millia: quemadmodum memoriȩ prodidit Ferdinandus Perſia qui rerum harũ commentarium idiomate ſuo ſcripſit.

CREMONA.

CREMONAM inde, nocte Bozoli peracta, ſub veſperum perrexerunt. Ad portam ciuitatis occurrit Magiſtratus, & Reginam equo albo gradario impoſitam ſub vmbella auro & argento intexta, à togatis ampliſſimi conſilij viris geſtata, gratulabundus excepit, ciuibus ſexaginta ex ordine patricio machærophoris, veſte amictis ſerica Damaſcena candidi coloris, cum nigris ex holoſerico chlamydibus ſtipatorum vice vtrinque incedentibus, triginta ſex aliis nobilibus ephebis forma & veſte eximiis reuerenter præcedentibus. Quatuor arcus triumphales opportuno loco poſiti prius erant tranſeundi, quàm in palatium peruenirent; primus Regi, alter Reginæ, tertius Archiduci, quartus Comeſtabili Inſubriæ Præfecto, amœna varietate, & inſcriptionibus depromptis ex penu locuplete antiquitatis, ornati dedicabantur. Statuæ Regum in foro defuncti & regnantis Philippi conſpiciebantur, ſuper baſes erectæ decenti ſymmetria. Reginæ palatium Marchionis Affaitadi ingreſſæ ſtatim adfuit Cremonenſis Senatus, ciſtellam argenteam inauratam ſecum ferens monilibus ac mundo muliebri non minoris pretij quàm elegantiæ plenam; quo munere ſponſæ Regiæ aduentum gratulatus eſt.

POSTERO die ad opidum Piceleonis peruenerunt, haud ignobile Inſubriæ propugnaculum ſuper amnem Adduam ſitum, quem ponte ex opere ſubitario traiecerunt. Inde Laudam petiuerunt, vbi viri genere nobiles numero quinquaginta togati occurrerunt. Sequebatur Magiſtratus ſeu conſilium Regium, ſcipiones deauratos ac flammulis miniatos manibus ſinguli ferebant. Accenſi quatuor præcedebant, quorum vnus ſex claues in polubro argenteo præferebat, quæ Reginæ poſt Latinam oratiunculam ſunt oblatæ. Per aliquot item fornices triumphales ornatu delectabiles, nec illepidos argumento iter factum fuit.

MEDIO-

MEDIOLANVM.

IPSO denique die ſancto Andreæ ſacro Mediolanum ingrediuntur, quæ non modò ciuitas cęteroqui frequentiſſima, verùm etiam ob immenſam hominum multitudinem orbis vniuerſi theatrum apparebat. Sex equitum ſplendidiſſimè armatorum turmæ, quarum tres primam aciem in introitu ducebant, tres agmen claudebant, cum nobiliſſimorum & clientelarium ſiue ſtatus Mediolanenſis feudatariorum inſigni equitatu, benè inſtructi exercitus ſpeciem referebant. Equeſtrem nobilitatem numeroſum vtrinque ſtipabat ſatellitium. Ducenti in ampliſſimis familiis nati iuuenes veſtibus argento intexto rigentibus alioque ornatu exculti præcedebant, quos à teli Germanici quod geſtabant genere corynophoros appellamus; alij ſequebantur aureo amictu latè radiantes, viginti deinde Senatores nobiliſſimi ſerica veſte heteromalla ſiue holoſerica (quo vocabulo hîc cum venia vtimur, vt intelligamur, nam ita paſſim hoc veſtimenti genus vocant) rubri coloris, auro gemmiſque à ceteris diſtincti extremo ordine incedebant; ſex eorum argenteam ſupra caput Reginæ vmbellam ſuſtinebant. Eius lateri ſiniſtro Cardinalis Aldobrandinus adequitabat, ſummi Pontificis nepos & legatus, mater & Albertus Archiduces ſequebantur. Hac pompa metropolim Inſubriæ ingreſſa, in ipſo portæ aditu, oblatum à venerabili ſummi templi collegio aureum crucis ſignum Regina exoſculatur. Loco portæ ciuitatis inſignem arcus machinam, operum triumphalium dominæ vrbis æmulam, non materiatam ſed marmoream tranſierunt, eo nomine exſtructam ſumptu ingenti, admirabili celeritate, vt tantæ Reginæ cui dedicabatur, aduentus memoria ad poſteros perueniret. Arcus altitudo qui Dorici eſt operis cum ſtatuis ſuperpoſitis, ad ſexaginta pedes ſublimis eleuatur, latitudo dimidia parte eſt protenſior. Quatuor grandes columnæ faſciis Thuſcis cinctæ opus ornant fulciuntque. Ex vtroque latere ſingula cum zonis ruſticanis oſtiola ad tranſitum haud peruia, commodum ſtatuis duabus loculamentum præbent. Columnarum capitulis epiſtylium, zophorus & coronix incumbit ex Vitruuianæ dimenſionis ſymmetria. Superior eleuatio in tres abacos diſtinguitur, quorum medius triginta quatuor pedibus latus, altus nouem Pario marmori litteris magnis inciſam hanc inſcriptionem habet:

INGREDERE LÆTA SERENISSIMA, MARGARITA AVSTRIACA,
MAXIMA, PIA, FELIX, AVGVSTA,
FREQVENTISSIMO EXSVLTANTE POPVLO, MAIESTATISQVE TVÆ
PRÆSENTIA, TANQVAM EXSPECTATISSIMO TRIVMPHO GESTIENTE.
VNA ENIM OMNIVM VOCE VIRTVS IPSA LOQVITVR ET PRÆDICAT
TE ILLAM ESSE PRETIOSAM MARGARITAM,
QVÆ PHILIPPI III. POTENTISSIMI REGIS IMPERIVM MAGNITVDINE
ÆQVAT, PONDERE FIRMAT, CANDOREQVE VNIVERSVM
ORBEM ILLVSTRAT.

In quadrato dextri lateris, duæ palmæ alterno ramorum implexu colligatæ, pro mutui amoris futurorum coniugum typo ſunt inſculptæ cælatura eminenti cum Maroniano hemiſtichio:

Læto turgebunt palmite gemmæ.

Læui lateris abacus ſymbolum ſimiliter geminarum continet palmarum, quod hoc verſu explicatur:

Mox orbémque tegent ramis redolentibus omnem.

Portæ intercolumnia duas vtrinque ſedentes ſtatuas continent ære ſuperfuſas, pedes altas duodecim, quarum hæc ſalutis publicæ, ex Antonini Pij nummo effigiem refert, virginis forma quæ dextera manu ſerpenti è patera potum præbet, ſiniſtra haſtam tenet, cum his in baſi verbis:

SALVS PVBLICA.

Eiuſdem

Eiusdem statuæ cum basi altitudo ad medium scapi columnaris pertingit; vlterior superficies tabulam habet quadratam, & in ea cælatam concham margaritiferam summo æquore natantem, cum candida circa oras apertas margarita. Quoniam autem huiusmodi conchas conceptu roscido impleri, ac grauidas eniti Plinius auctor est lib. 9. cap. 35. & earum partum, margaritas videlicet, pro roris accepti qualitate æstimari, qui si purus influxerit, candorem pretium augere, historia naturalis his verbis declaratur:

DE CÆLO CIBVS ET CANDOR.

Sinistri intercolumnij statua eiusdem cum altera materię & magnitudinis Felicitatem publicam sedentis puellæ figurâ referebat, cum suo in dextera caduceo, & oleæ ramo oliuis onusto læua, serto florido coronata, cui ad pedes scriptum est:

FELICITAS PVBLICA.

Margaritam supra caput in suo similiter conchylio natantem exhibens & hanc inscriptionem:

NITENTES VT SPARGAT RADIOS.

In loculamento quod portulæ vice positum esse diximus, Insubria colossi muliebris effigie, cum regio in casside diademate, Italię quondam regno se positam notat. Sceptrum dexterâ tenet quod Reginæ venienti videtur porrectura, hastam læuâ, cum fluuiorum rege Eridano ad pedes posito, figura tauriformi. Iuxta vrnam, cui incumbit, aristæ fertilitatem, grex ouium, pecoris fœcunditatem designat. In spatio supra ostiolum columba cælata est, oleæ ramum rostro tenens, expassis alis volantis actum referens, vt ex asscriptis verbis liquet:

NVNTIA PACIS.

Sinistri quoque lateris portula pro loculamento est statuæ colosseæ quæ effigie muliebri ipsam vrbem significat Mediolanensem. Iuuenem armatum penes se illa habet, cum galea laureata, qui altero pede armorum struem calcat, astantque illi tres vrnæ, perennem vt videtur aquam emittẽtes, ad tres fluuios designandos, Ticinum, Addam & Lambrum, qui planitiem vrbis rigant: statua ipsa ciuitatis Reginæ venienti regium diadema porrigentis actum exprimit, læua malum cotonei habet, quod sponsis Atheniensibus ex Solonis lege dabatur, pro fœcunditatis symbolo, vt ex numis Iuliæ piæ & Faustinæ liquet. In vacuo supra ostiolum spatio, columba volans auri massam dorso gestat, quæ aurei seculi felicitatem cum Regina reducem notat, hoc verba asscripta sic explanant:

REDEVNT SATVRNIA REGNA.

Zophorus emblematis cælatis oppletur, in singulis metopis singula diademata, faces nuptiales, cotonei rami, rosæ, lilia & sceptra decussata affabrè facta continentur: quæ vt ad ritum nuptialem pertinent, ita huic operi multo aptiora sunt, quàm vasa vel res aliæ ex sacrificiorum antiqua supellectile, vrceoli, capedunculæ, litui, aut patellæ, quæ in zophoris Doricis Romani solent cælare, ab huius æui moribus adeò aliena ac ab instituto nostro. Eiusdem porrò zophori cum emblematis, capitulis columnarum, basibus ac encarpis incrustationis æneæ, magnum operi splendorem & magnificentiam addit. Super epistylio Regia insignia cælata applicantur ex marmore præstantissimo. Superior machinæ extremitas in coronicem desinit, qua frons anterior & latera præcinguntur. Hîc statuæ quatuor suis basibus sunt impositæ, quæ vultu inclinato diademata Reginæ venerabundæ porrigunt. In medio est Hispania, cum antiqua armatura & sceptro sinistrâ, nam dextra manu tenet Cæsareum diadema. Ad pedes Tagus fluuius cum sua vrna sedet, ex parte verò altera vt in numo Adriani equinum caput adiacet. Ea pars Italiæ quæ Catholico Regi paret, Hispaniæ est propinqua, cum galea in capite, dextra Regium diadema, sinistra cornu Amaltheæ habens; ad pedes statuæ Padus cum vrna Insubriã, caput bouis cum aratro regni Neapolitani, & fertiles Appulię agros notat. Dextrũ angulum India occupat innitens elephanto, vestis eius gemmis est conserta, vt & stragulum quo insternitur bellua: Regiam coronã dextrâ portendit, sinistrâ clauem aureã. Belgica in sinistro angulo collocata, galeã capite gestat & in eius cono vulturẽ, artis & industriæ, ni fal-

I lor, hie-

lor,hieroglyphicum,nam Mineruam hac volucri denotabant Ægyptij,si Oro fidem damus;dextrâ tenet diadema Regiæ sorori Infanti imponendum Principi nostræ exoptatissimæ,sinistræ manus indice in cęlum eleuato,in fidei à Belgis seruandę testimonium. Ad pedes fluuius Scaldis vrnâ nixus decumbit, pisciculis vnà cùm aqua effluentibus. In fornicibus portæ & vtriusque portulæ, coronæ longæ laminis æreis obductæ ornatum cum magnificentia ostentant. In basi statuæ quæ Mediolanum refert hæc inscriptio legitur:

MEDIOLANVM GALLIÆ CISALPINÆ METROPOLIS SPECTATISSIMÆ FIDELITATIS EXEMPLVM EANDEM PVRAM ET INCORRVPTAM FIDEM, QVAM POTENTISS. HISP. REGIBVS HVCVSQVE SERVAVIT, MA^TI TVÆ NVNC POLLICETVR ET EXHIBET.

In basi quæ Insubriam sustinet,similiter annotatum est:

VNIVERSA MEDIOLAN. PROVINCIA, TE MAXIMAM OMNIVM REGINAM, AVGVSTE VENERATVR, IVSTEQVE COLIT, NVNC ENIM BENIGNAM PROPITIAMQVE SEMPER FORE OMNES SPERARE, CONFIDEREQVE PRÆSENS IVBES.

Ante portam strata est planities in sexaginta pedum latitudinem,septo vndique cincta, & columellis ex opere tornatili molaris lapidis colorem imitantibus.

Portam hanc transgressis, altera occurrit moles triumphalis, super pontem erecta, quâ in celebriorem ciuitatis partem itur, Philippo II. immortalis memoriæ Regi dedicata. Attollitur altitudo ad sexaginta pedes; porta in medio vna per duas grandes columnas transitum præbet,quatuor Hermis ornatas, cum reliquis partibus marmor æmulantibus decenti symmetria ex arte architectonica. In culmine quatuor itidem statuæ cernuntur marmoreis similes, altæ pedes nouem, quæ ex suo apparatu facilè dignoscuntur. Fides erat prima, Theologica nimirum, vt ex crucis signo cum calice discernitur. Alteram esse Charitatem flammari cordis simulacrum,& infantulus indicabar, quem medium complectitur. Iustitiam monile de collo suspensum cui oculus appendet,& strictus ensis cum libra designat, Fortitudinem columna. Hermæ nudi pubetenus colossea magnitudine, ære loricati Cariatidum more epistylium sustentāt. Alteram eleuationem quatuor etiam hermulæ maioribus hermis ad perpendiculum insistentes, quadrata concinnè tria spatia distinguunt,quorum medium hæc continet:

PHILIPPO II. CAROLI V. IMP. F. AVSTRIACO, HISPANICO, INDICO, AFRICO, BELGICO, CVNCTARVM GENTIVM PIO PARENTI, INTER TOTIVS ORBIS MONARCHAS POTENTISSIMO, NVMINE DEI ELECTO, AD SPARSA IMPERIA CONGREGANDA, CATHOLICAMQVE FIDEM LONGE LATEQVE PROPAGANDAM: MEDIOLANENSIS CIVITAS QVOD QVIETEM ITALIÆ FELICISSIMIS OPTATISSIMISQVE NVPTIIS AVGVSTISSIMAM PROLEM PROMITTENTIBVS FIRMARIT, IN ADVENTVM SERENISSIMÆ MARGARITÆ AVSTRIACÆ FIDEI ET LÆTITIÆ PVBLICVM TESTIMONIVM.

Ad dextrum inscriptionis latus, Aquilæ sidus eodem modo pictum est, quo inter signa cælestia ponitur, cum suis stellis aciem oculorum versus Austrum intendens, quod & verba declarant:

FIXA RESPICIT AVSTRVM.

Sinistrum latus occupat Iouis item armiger, vnguibus & rostro serpentem iugulans, cum ascriptis verbis:

PRAVITATE EDOMITA.

Spatium inter Hermas portæ proximiores, medio inter quadratos supra & infra abacos loculamento distinguitur. In dextro solida Pietatis statua alta pedes nouem ære incrustata, alata, apice inflammato, aram vna tenet manu, pectori alteram admouet, vultúmque sursum erigit, ascripto nomine:

PIETAS.

In sini-

In sinistro Mansuetudo pari magnitudine & ahenea loricatione tenellum vlnis agnum fouet, capite redimito coronâ oleagineâ, additoque titulo:

MANSVETVDO.

Supra Pietatem Occidui Solis typus Hispaniam respicit, & declaratur:

IN OCCASV SPLENDIDIOR.

Suum quoque supra caput Mansuetudo Solem habet cum verbis:

TITVLO METAQVE POTITVR.

Sub pedibus Pietatis pro foribus templi insomnis leo excubat, quod & verba indicant:

VIGILAT ET CVSTODIT.

Sub Mansuetudine similis leo agnum vnguibus leniter demulcet, vt videtur ex notis:

PARCIT NON PERDIT.

In fornice arcus tres Soles erant picti, & medio asscriptum:

ABIIT ET REDIIT.

Dextro sic:

PRÆSTRINXIT STELLAS.

Sinistro hoc modo:

PVLSA TEMPESTATE SERENAT.

Medium verò zophorum eminenti cælatura deaurata Regis insignia exornabant: sparsique hinc inde in aurea planitie palmæ cum lauro oleæque rami inter se decussati, cum Cæsareis & Regiis diadematis ac terrestribus mundi globis ita intermixtis, vt victorias Philippi Regis demonstrarent, orbesque terrarum ad obsequium eius conditos.

Hunc Arcum egressus picti prospectu gratissimo parietes statim occurrerunt, in quatuor velut tabulas quadratas diuisi, totidem memorabiles Maiestatis suæ actus ob oculos ponentes. Naualis de immani Christianorum hoste victoria primo loco, cum hoc titulo spectabatur:

CLASSE TVRCARVM AD ECHINADAS DISIECTA.

Lusitaniam Hispanico sceptro coniunctam, & Regium in ea prouincia aduentum continebat altera:

VLYSSIPPONE CAPTA.

Vlterius progressos spectatores detinebant cæmentarij & artifices ædem D. Laurentio in Escuriali sacram in pictura exstruentes, quod scriptura docebat:

AVGVSTISSIMO TEMPLO ERECTO.

Ex aduerso ciuitatis arcisq; Mediolanensis communitio inexpugnabilis penicillo adumbrata eos homines oblectabat, qui omnem in vallis, propugnaculis & præsidiis securitatem reip. ponunt: placebat his inscriptio:

INSVBRIA MVNITA, ITALIÆ PROPVGNACVLO.

In eadem tabula statuam marmoream perita pictoris manus figurarat, & in eius basi hæc verba:

PHILIPPO II. AVSTRIO REGI MAXIMO, IVSTO, FORTI, PIO,
POTENTI, FELICI, PROPVGNATORI INVICTO,
MEDIOLANENSIS CIVITAS LIBENS MERITO.
PVBLICE POSVIT.

Super plintho exaratum erat:

DAT SONITVM SAXIS.

Quo significatur quòd, vt sua Maiestas ipsa marmora effigie sua velut animauit, sic virtutem eius eadem quoque spirant, ac celebrem per orbem terrarum faciunt.

Pontis super amnem Nauilium strati spondæ laterales, septo vndique cum suis columellis erant præmunitæ, ad turbæ confluentis, ne in fluuium decideret, securum fulcimentum. Duæ hinc inde statuæ in ipso pontis aditu forma iuuenili, habitu candido, faces nuptiales ardentes manu tenebant, ex antiquo nuptiarum ritu, huiusmodi enim tædas sponsis præferebant.

In medio ponte fornix itidem erat marmoreus, duabus columnis striatis reuinctus, quę

transitum euntibus, cum suis verò capitulis æratis, epistylio, zophoro, coronice & frontispicio fulcrum præbebant: in zophoro inaurato rosæ cum liliis aliisque floribus decussatim sparsæ, vitis loco succedebāt, qua Græci Architecti in zophoris vti solent. Summum frontispicium tres Charites exornabant, corporis humani staturam adæquantes, tenui amiculo, natiuisque coloribus ex arte depictæ, quarum duę mediam auersam vna manu complexæ, altera rosas spargunt in Reginam transeuntem, quod versus explanat:

TIBI DANT MVNERA GRATIÆ TRIFORMES.

Eandem picturam velum aureum ambit, suisque laciniis decorè eam vestit, in quarum angulis bini Cupidines volitabant, cum tædis iugalibus, & schedula affixa, ex Romana antiquitate: VBI TV, EGO.

In supradictarum tabularum magnarum, quæ parietes ornant, interstitio, sex effigies muliebres altæ pedes decem, ad vicinam sibi tabulam significandam spectant.

Palladis figura cum ægide & hasta, Sapientiæ typus est. Sequitur Magnificentia crinibus auratis, quæ rictum leonis pro casside aptauit, è cornu Amaltheæ pecuniam populo spargens, dextra tenet figuræ ouatæ circulum, & in eo lineas arcis extruendæ siue Ichnographiam.

Theologica liberalitas, quam Eleemosynam vocant, ordine tertia habebatur, velo oblongo, quæ faciem operiebat, tota contecta, cum accensa supra caput lucerna, manibus sub veste compositè absconditis, stipem infantibus calamitosis erogabat.

Concordia à malo Punico, quod dextra, & cornicula, quā sinistra tenebat, noscebatur.

Quinta erat Conseruatio cum corona oleaginea, fasciculum milij dextra, læua circulum aureum tenens.

Vltimum locum Gloria illustrabat, imaginem auream dextra ferens, quæ corollam cum palma gestabat, lęua sphæram cum signis Zodiaci. Sub portę testudine insignia Regia picta sunt, & infra Illustrissimi Comestabilis, & excellentissimæ Comitis de Frias eius matris.

In postica arcus parte iuxta inscriptionem, quę anteriori similis erat, duo vtrimque emblemata, Elephantorum nimirum quadrigæ, pro trophæo sunt posita:

ORIENTE IN POTESTATEM REDACTO.

Quemadmodum quadriiugus Phœbi currus in altero latere pictus ad amplissimam toto orbe monarchiam pertinet, quæ

Cum Phœbo circuit orbem.

In posteriori facie Hermæ picti sunt, eâdem formâ quâ in priore cælati, & in eorum spatio loculamentum, alij scapham aut concham vocant, Prouidentiam recipiebat, Iani more bifrontem, dextra nauis gubernaculum, geminas claues tenentem læua, titulus erat:

PROVIDENTIA PHILIPPI.

In sinistro item latere muliebres effigies, capite in cubitum reclinato, qui columnæ innitebatur, dextra palmam stringens, gestu & nomine ascripto se prodebat, quod esset:

SECVRITAS POPVLI MEDIOLANENSIS.

Super loculamento bina itidem emblemata sunt depicta, penes Prouidentiam globi duo terrestres, vnus nostri Hemisphærij, alter Indiæ vtriusque typus esse dignoscitur, vnico vterque circumplicatus vinculo velut colligatur, nube extremam cinguli partem abscondente, ex qua cælestis emicat radius: quo symbolo sanctum Regiæ Maiestatis desiderium indicatur, cognitionis veri Dei & fidei Catholicæ in nouo orbe propagandæ, votis eius verba respondent:

CVM DEO IVNGIT.

Supra Securitatem iidem globi Geometrici, posita super nostro Hemisphærio cochlea videntur connecti, veteri orbe per striatum spiris transuersis instrumentum nouum attrahente, idque

VIRTVTIS ENERGIA.

In operis fastigio ex quatuor Virtutibus ibidem depictis prima ordine est Bonitas, quæ oculis ad cælum sublatis, passis manibus sedens, gremio pelecanum fouet, pullis suis è pe-

ctore

ctore percusso sanguinem pro nutrimento præbentem. Demus hoc piæ & communi opinioni, neque enim melius Christi Saluatoris, quàm hac volucre, exprimitur typus, vt benè diuus Hieronymus in epistolis, & Glycas Siculus parte prima annotarunt, sumpto ab eius philostorgia argumento. Nam cùm pelecani à serpente pullos suos occisos inueniunt, latera sua percutere dicuntur, & sanguine excusso mortuorum corpora in vitam reducere. Addebatur Ciceronianum hoc elogium:

BONITATI FACVLTATEM AVXIT POTENTIA.

Huic proxima est Clementia leone vecta, domito puta, telum è manu velut abijciens, quod scriptura indicat:

IN SVPPLICES CLEMENTIA.

Gratitudo lupinorum manipulum dextra, ciconiam læua tenens arguit quod sit,

REPENSA FACTIS GRATIA.

Vigilantia vltimo loco excubat, librum dextrâ, virgam cum accensa lucerna habens læuâ, constat enim,

CVM LABORE ET SOLICITVDINE VIGILANTIA.

Zophorus item vt in priore arcus facie, corollis laureis, quernis aureisque, palmis sphærisque intermixtis decoratur.

Tertia arcus machina sumptu Reip. fidelis obsequij declarandi causa Regi suo dedicata, ad caput viæ latissimæ ex aduerso pontis collocata, prospectum exhibebat longè amœnissimum. Altitudo eius pedes capit octoginta, transitus triplex est ex opere Corinthio. Maxima porta siue mediana duas à dextro latere columnas solidas striatas, totidem à sinistro habet, minora ostiola inter duas semiplanas sunt posita, eadem coronice totum opus ambiente. Zophorus in area inaurata rosis, liliis regiisque diadematis sparsim est ornatus: Capitula, bases & striaturæ ex ære incrustatæ sunt: super summa coronice ingens basis educitur, spatij adæquans latitudinem, quod sequentem inscriptionem litteris aureis exaratam continet:

D. PHILIPPO III. AVSTRIACO PHILIPPI SECVNDI FIL. CAROLI V. NEPOTI HISPANIARVM REGI MAXIMO ET INDIARVM POTENTISS. MONARCHÆ: CVI VT PAR ESSET CVM VIRTVTE IMPERIVM, NOVI ET AMPLISSIMI ORBES INVENTI ET ADDITI: MEDIOLANENSES MAIESTATI EIVS DEVOTI ET FIDELES OB PROVIDENTIAM ET STATVM OPTIMVM PROVINCIÆ INCOMPARABILI CONIVGIO FIXVM ET FVNDATVM, FORNICEM TRIVMPHALEM DECREVERVNT.

Duo Colossi ærati, pedes alti duodecim, intercolumnia vtrinque occupant, antiquo Imperatorum modo paludati, cum sceptro & diademate globum orbis tenentes, eumque venienti Reginæ porrigentes, in basi dextri lateris hæc verba leguntur:

CAROLI V. IMPERATORIS VIRTVS INCOGNITAS TERRAS OCEANVMQVE PHILIPPI II. IMPERIO SVBIECIT, VT ALEXANDRO MAGNO LONGE MAIOR PHILIPPVS IVNIOR VNIVS MVNDI NON CAPERETVR ANGVSTIIS.

In altera basi sic descriptum est:

PHILIPPI II. REGIS MAXIMI RES GESTÆ, SICVT IISDEM TERMINIS QVIBVS SOLIS CVRSVS CONTINENTVR, ITA IMPERII FINEM NON TERRÆ SED CÆLI REGIONIBVS RELIGIO ILLIVS SVMMA TERMINAVIT.

Æternitatis symbolum per cælestem sphæram auream cum caduceo & sagitta decussatis supra caput Augusti exprimitur, & per hemistichium Virgilianum:

Imperium sine fine dedi.

Astyagis summum Persicę monarchiæ sub Cyro augurium per vitem orbis globo circumplicatam expressum, pro Regis symbolo erat, additis verbis:

PROPAGATA GLISCIT.

Solidæ columnæ iuxta arcuatam aperturam positæ, ſtatuam hæc Virtutis haſtam dextra ſtringẽtis, corollam oleagineam ſiniſtra ac teſtudinem eodem pede calcantis; Honoris illa referebat, adoleſcentis effigie, qui capite galeam, ſiniſtra haſtam, ſceptrum dextra geſtabat, caſſidi eodem pede impoſito, cum ſuo cuique nomine ſubſcripto. Iuxta ſtatuam Virtutis in Regio diademate duæ tædæ nuptiales decuſſatæ nectebantur,

AMORE MVTVO.

Sicut iuxta Honorem è roſa & lilio eodem modo connexis,

VNVS ODOR SPIRAT.

In cacumine ædificij tres celebri ſculptoris manu ſtatuæ eminebant, quarum media aligera cum aureo circulo, Phœnicem ex vulgata opinione tenens læua, erecta videbatur,

ÆTERNITATI AVSTRIACÆ.

Fama in vtroque latere erat poſita, veſte ſuccincta, & circum crura leniter volitante, auream manu tubam cum oleæ ramo geſtans. In tranſitu portæ lira matrimonij hieroglyphicum:

CONCENTVS EX CONCORDIA.

Ex aduerſo arbor amygdala, quæ vt prima omnium floret, pro felici iuuentutis omine habetur, cum vaticinio ex Marone petito:

Induet in florem & ramos curuabit olentes.

Sub eodem item emblemate pullus aquilinus pertinaci ſtatu inconniuens & immotus aduerſos Solis intuetur radios:

PATERNÆ VIRTVTIS MEMOR.

Sub hoc ſymbolo in æquoris malacia nauis conſiſtit & ibidem aſſcriptum:

Anchora iacta mihi.

Super fornice & coronice ſtatus Mediolanenſis inſignia & in eorum medio inſignia domus Auſtriacæ ſunt poſita, quæ vt vtrique tam Regi quàm Reginæ ſunt communia, faſcia candida in pando cetetoqui ſcuto ſic conſpicitur geminata, vt vtraque connecti ac circulum efficere videatur, facta ad cæleſtem viam lacteam alluſione, hoc modo:

Lacteum vt impleat orbem.

Oſtiolo dextri lateris affixa ſunt Comitis de Haro inſignia, qui vt ſtemma gentilitium mari habet inſignitum, ita quadrat ei ſymbolum:

Nunc gemmis mare lucidum.

Super altero oſtiolo ſtatus Mediolanenſis apparent inſignia, quæ etiam ſymboli vice ponuntur, nam coluber circum aquilam implexus ſequentem verſum emblematis loco habet:

Sic aquila clarum firmauit Iupiter omen.

In lacunari portæ medianæ aquila cæleſtis viæ lacteæ inſiſtens, ſuccum & humorem in plantas deriuat temporis verni principio, vt Aſtrologi tradunt, cum aſſcriptis verbis:

VITALIA DEMITTIT.

Quarta moles Triumphalis Sereniſſimo Archiduci Alberto dedicata eſt, quæ per loci anguſtias vbi fuit erecta, non potuit parem ſenatus voluntati nanciſci amplitudinem: quatuor tamen ſolidis columnis Corinthijs eſt ſuffulta, porta inter duas vtrimque conſtituta cum capitulis æratis. Epiſtylium, zophorus & coronix metallico itidem colore decorantur. Trophæa omnis generis in zophoro ſunt depicta. Sub ſecunda eleuatione arcus dedicatio aureis characteribus in area cœrulea hoc modo legitur:

SERENISSIMO ALBERTO ARCHIDVCI AVSTRIÆ FORTISSIMO FELICISSIMOQVE PRINCIPI, PER IMPERIA, VICTORIAS ET TRIVMPHOS AD CVLMEN GLORIÆ ET REGIÆ AFFINITATIS EVECTO, MEDIOLANENSES TANTÆ VIRTVTIS HEROI EREXERVNT.

Summum arcus cacumen quinque ſtatuas ſolidas pro ornatu habet, media eſt Rudolphi II. Cæſaris Auguſti, reliquæ fratrum ſereniſſimorum, Alberti, Erneſti, Maximiliani &

liani & Matthiæ, cum antiqua panoplia, ſceptro & diademate Archiducali. In lateribus tranſitus ſex ſunt emblemata aquilæ propria: Primum eſt volantis ſupra nubes aquilæ, ea enim volucris:

SOLI FVLMINI CEDIT.

Altera labaro inſidet dicato Romanis legionibus ſigno, cum hoc omine:

NVNQVAM OCIOSA, SEMPER PROSPERA.

Tertia itidem cœleſtis eſt quieſcens inter ſtellas, ſole exiſtente,

IN VIRGINE.

Quartæ aquilæ, ſuis pullis aſtantibus, inſcriptio ad naturam aquilinam ſpectat:

RECIPIT, EDVCAT, BENIGNE TVETVR.

Quinta coruſcantes Phœbi radios aduerſa acie ſuſtinet, & ardoris patiens,

IN SOLEM INTENDIT.

Vltima pullos ſuos

AD VOLANDVM PROVOCAT.

Spectatores arcum Alberti tranſgreſſos amœno proſpectu in celebri vrbis loco carere noluit Senatus. Quocirca vbi in angulum platea deſinebat, qua pompæ ad forum flectenda erat via, materiatum opus Dorici ordinis erigi curauit, & in eo ad opticam rationem depingi memorabilem Hulſtani in Flandris opidi expugnationem, tabulâ quatuordecim pedes altâ, latâ decem comprehenſam, vt victoriæ tam celebris virtute ſuæ Celſitudinis partæ non à Belgis modò, ſed ab Italis quoque gloriam coli cerneret. Columnæ, paraſtatæ, ſtylobatæ, epiſtylia, zophori & coronices marmoreum colorem referebant, capitula & baſes ære obducebantur. In zophoro trophæis illuſtri, aquila medio loco fulmen vnguibus tenens, velut præſto aderat:

ARMIGERA IOVI.

Depicta quoque eſt in dextra baſi Aquila ex eo piſcium genere qui pro ſpina cartilaginem habet, iuxta Plinium lib. 9. natur. Hiſt. cap. 24. & ideo aſſcriptum:

SINE SPINA.

Siniſtra etiam baſis ſuam aquilam obtinebat, piſces in mari venantem, eiuſdem auctoris teſtimonio, quo emblemate deſignabatur, homines qui à Principis obſequio deflexerunt, & inacceſſis inſularum latebris ſe tegunt, ſuæ tandem Celſitudinis virtute ſubiugandos, vel ad ſaniorem mentem reducendos, ad quem ſenſum pertinebat:

ET IN LATENTES.

De ſummo operis faſtigio huiuſmodi dependebat encomium:

QVANTAM TIBI COMPARAVERINT GLORIAM, PRINCEPS AVGVSTISSIME, MVNITISSIMÆ VRBES A TE EXPVGNATÆ, TESTIS EST GALLIA BELGICA VIRTVTE TVA AB INCVRSIONIBVS HOSTIVM LIBERATA.

Voluiſſet quidem Senatus laudum amplitudinem, quam eximiis virtutibus Auſtriacus heros meruit, latiùs explicare, niſi anguſtus vrbis ſitus opus coartaſſet.

Ad angulos quadriuij qua gladiatorum (ſi in eum ſenſum hoc vocabulo vti licet, quo Iuriſc. in l. fin. ff. de iure immunitatis, eo vſus eſt, pro gladiorũ artificibus ſiue μαχαιροποιῶν vt Budæus, & poſt eum Lipſius annotauit lib. 1. Satur. cap. VII. quamuis hic ſuſpectum de mendo locum habeat, ille propriè dictum afferat, ſed parum vſitatè) & eorum artificum qui calcaria conficiunt, platea vtrinque exit in viam triumphalem, ſtatuæ duæ erant poſitæ, coloſſeæ ad pedes duodecim magnitudinis, non indocta manu factæ, ac ære foris obductæ. Dextra ſuper baſi, quæ marmorea putabatur, Sereniſſimo Archiduci Carolo Auſtriaco patri Reginæ, cum antiqua armatura, ſceptro, diademate ac paludamento erecta conſiſtebat; quod in ipſa baſi legere quiuis poterat:

SERENISS. CAROLI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ AVGVSTA FAMILIA, PRÆCLARISSIMÆQVE VIRTVTES MAXIMARVM RERVM IMITATIONEM INCOMPARABILI REGINÆ ET FILIÆ PROPOSVERVNT, IDEOQVE MEDIOLANENSES STATVAM PRÆSTANTISSIMO PRINCIPI COLLOCARVNT.

Alterius

Alterius statuæ muliebris est effigies, pari magnitudine, serenissimæ Mariæ Bauariæ posita habitu Archiducis, sceptroque in manu, & encomio in basi eiusmodi:

IN COMMENDATIONE SERENISS. MARIÆ BAVARIÆ, ARCHIDVCISSÆ AVSTRIÆ, PROPRIA, ET TANTÆ FILIÆ PIETATE FELICI, MAXIMAM GLORIAM MEDIOLANENSES CONSEQVI POSSE, STATVA PVBLICE POSITA, TESTATI SVNT.

In exitu plateæ ad fori ingressum, duæ operis Dorici columnæ sunt erectæ, cum duabus aquilis inauratis, quæ pro iis sunt positæ, quas Iouem emisisse, vnam ab ortu, alteram ab occasu fabulantur poëtæ, & æquali volatu Delphis conuenisse, ac vmbilicum terræ ibi statuisse, teste Strabone lib. 9. Eustath. in Homer. Odyss. α. & Claudian. præfat. in consulatu Manlij Theodori.

Fingebantur ad sphæram terrestrem inauratam & fascia argentea ex vtraque columna pensilem aduolare, erantque pro emblemate quadruplicis argumenti: nam ex geminis columnis symbolum Caroli v. Cæsaris Augusti quilibet percipiebat, & si haud ascriptum esset:

PLVS VLTRA.

Altera verò inscriptio poëticam explicabat narrationem:

AD CENTRVM VRBIS ET ORBIS CONVOLARVNT.

Ceterùm fascia candida inter duas è lapide porphyrite columnas (eo enim colore erant adumbratæ) Austriacæ domus insignia exhibebat: fascia denique transuersa columnas connectens, & terram æquilibri pondere religatam ex alto suspendens, transitum loco portæ triumphalis efficiebat.

Quintam Arcus machinam Regiæ quidem Maiestati ciuitas dedicauit, sed in ea actiones & heroicas virtutes Illustrissimi Comestabilis, velut in epitomen redactas, expressit. Ad ingressum fori fuit collocata ex ordine Composito. Secta columna pro lateralibus vtrinque postibus erat, prominente nonnihil epistylio & summa coronice, vbi tabula prægrandis mentem operis proponebat:

PHILIPPO II. HISPANIARVM REGI POTENTISS. INVICTISS. QVOD SIBI SEMPER PROVINCIÆ SALVTEM SVMMÆ CVRÆ FVISSE DECLARAVIT, PRÆSERTIM CVM EIDEM IO. FERNANDEVM VELASCHIVM PRÆFECIT, GENERE CLARISSIMVM, BELLICA ET OMNI ALIA VIRTVTE CVMVLATVM, QVI HOSTIVM IMPETVM FORTITER REPRESSIT, EOS FVGAVIT, SEQVANOS RECEPIT, TVTATVS EST, CONSERVAVIT, QVIQVE PERPETVA CVM IVSTITIÆ, CLEMENTIÆ ATQVE ABSTINENTIÆ LAVDE, DITIONIS HVIVS, GVBERNAVIT, MEDIOL. CIVITAS DECREVIT.

Inscriptionis latera bini arborum trunci hostilibus armis antiquo more vestiti vtrinque claudebant. Medium supra tabulam locum, Victoriæ sedentis statua occupabat, alata & candidata, pedes alta duodecim, corollam lauream dextra, palmam læua tenens: cum astante ad pedes aquila, quæ palmam vnguibus similiter stringit. Super basi cui insidet Victoria, duo trunci ex hedera & lauro sunt depicti, è quibus decussatim inter se collisis, ignis elicitur, pro veteri Burgundicæ domus symbolo, ad quod verba alludebant:

PVGNANDO CORVSCANT.

Iuxta semicolumnas in lateribus machinæ, duæ in suis receptaculis statuæ noscebantur, Pacis vna ex oleæ ramo & caduceo, pedibus aduoluto armorum aceruo, & leone ferocissimo, cum tenero agno cubante, quò verba spectabant:

PACATA BVRGVNDIA.

Abundantiæ altera cuiuis notissimæ, ex manipulo spicarum & cornu Amalthez, appositoque elogio:

ANNONA POPVLO EROGATA.

Pax super se pro emblemate habebat fulmen & tridentem, cæli pontique Regum arma decussata, quod scriptura designabat:

GRAVIA

GRAVIA ARMA QVIESCVNT.

Sub statuæ pedibus tuba cum lyra in eandem formam colligatæ, pro symbolo erant, ad eiusmodi exercitus ducem spectante, qui non minus litterarum quàm armorum est petitus, addito hoc scripto:

CONCORDI TONO TEMPERAT.

Augusti Cæsaris exemplo, de quo sic Ausonius:

Bellandi fandique potens Augustus honorem
Bis meret, vt geminos titulos, qui prælia Musis
Temperat, & Geticum moderatur Apolline Martem
Arma inter, quantum cessat de tempore belli,
Indulget Clariis tantum inter castra Camœnis.

Et de Alexandro Plutarchus maioribus eum scribit à philosophia & præceptore Aristotele, quàm à patre Philippo præsidiis instructum in Persas mouisse, & Homeri Iliadem vnà cum Odyssea expeditionis comites habuisse. De Lucullo Cicero lib. 4. Academ. quæst. quòd cùm omni litterarum genere tum philosophię deditus fuit in ipso etiā bello, quamuis ita magna rei militaris occupatio sit, vt non multum Imperatori sub ipsis pellibus otij relinquatur. Porrò quòd armati Imperatores Musarum delubra coluerunt, & Fuluius ille qui cum Ætolis Ennio comite pugnauit, Martis manubias Musis cōsecrauit, idem auctor refert in oratione pro Archia. Quemadmodū iisdem ante prœlia immolabāt Spartani, vt res eorum gestæ ornatam historiam consequerentur, teste Plutarcho. Quàm esset optādum vt nostri æui Principes huiusmodi præsidia secum semper circūferrent, vel in sacro comitatu vnde peterent, haberent! Vt Nestorem Agamemno, Pericles Anaxagoram, Periander Thaletem, Timotheus Isocratem, Epaminondas Lysiam, Xenophontem Agesilaus, Philolaus Architam, Cato Athenodorum, Scipio Panetium, nō solùm in consiliis capiundis socios adsciuerunt, sed velut actionum suarum theatrum secū habuerunt. Breuiter inter prima glorię ornamenta Principe digna historię monimentis & auctorum omnium calculo comprobatur, litterariæ disciplinæ & armorum coniunctio. Abundantia pro suo emblemate pictum habebat qualum' vuis plenum, & inter eas manipulum spicatum, quò hæc verba spectabant:

VITIS VOMERQVE VIGENT.

Sub pedibus statuæ serpens spiris suis inuolutus annotatum habet:

CVI RERVM CVRA FIDESQVE.

Iuxta hæc emblemata versus parietem è fascia dependent arma in trophæum cum libris & coronis aureis, laureis & quernis colligata, quæ cælata sunt ære incrustata.

Posteriorem arcus faciem, quæ eiusdem cum priori architecturæ erat, duæ item statuæ decorabant, hæc consulem Romanum cum paludamento designabat, manu aram tangentem è solenni ritu:

FOEDERE CVM FINITIMIS FIRMATO.

Illa Mercurium cum caduceo, alis, talaribus & huiusmodi versiculo:

Magni Regis parere paratus Imperio.

Qui depictum supra caput loco emblematis habebat Leonem basi insidentem, aquas instar fontis è rictu eiaculantem. Facta allusione ad insignia Illustrissimi Comestabilis gentilitia, & abundantiam per eum procuratam, additis verbis:

NOVIS INVEHIT ARVIS.

Infra aliud emblema per depictum arcum triumphalem cernebatur, cum duabus statuis in vtroque latere, Herculis effigie clauæ suæ innixi, cum exuuiis leoninis, quas titulus indicabat positas ibi esse,

EXANTLATIS LABORIBVS.

Pro emblemate supra caput Consularis statuæ perpendiculum pictor finxerat & adscripserat:

VNDECVNQVE LIBRATVM.

Infra duo leones ceruices pari iugo inferentes atque demonstrantes, quòd,

VIRES SAPIENTIÆ PARENT.

Ad inscriptionis latera è capitibus leoninis Vigilantiæ hieroglyphico encarpi cęlati, siue fructus coronario luxu cum frondibus floribusque implexi dependebant, quorum ænea loricatio Sole aduerso radiabat.

In transitu arcus tabulæ hinc inde pictæ, vna arcis munitissimæ in prouincia Æduorum expugnationem designabat, historiam inscriptio enarrabat:

ALTER CÆSAR SEQVANOS RECEPIT.

E regione castrametatio cum exercitu firmissimo spectatores oblectabat, sensum verba explicabant:

ALTER FABIVS PRVDENTISSIMA CVNCTATIONE REM RESTITVIT.

Ornatus lacunaris testudineatæ septem erant coronæ militares, in medio aurea cum palmæ & oleæ ramis, & tanquam præstantissima ex his verbis noscebatur:

SVMMVS HONOS.

In ciuica, quæ erat querna, scriptum legebatur:

CIVIBVS SERVATIS.

In obsidionali, quæ ex gramine constabat:

LIBERATIS VRBIBVS.

In castrensi aut vallari:

VALLO EXPVGNATO.

In spiceo itidem serto verba huiuscemodi:

FRVMENTO CONSTITVTO.

Lauream coronam inscriptio commendabat:

RE BENE GESTA.

Ea denique corolla quæ ex palmæ ramis erat contexta, posita videbatur:

VICTORIA PARTA.

Fori prospectum exornabant equestres duæ statuæ grandiores seu colossi, qualis Antonino erectus Romæ exstat ante Capitolium, ad cuius æmulationem metallicis laminis eos incrustari mandauerat Senatus, vt ærei viderentur, Philippo II. & III. Catholicis Regibus dedicati. Vterque actum exprimebat Reginæ excipiendæ: Inscriptiones in basibus, quibus equi insistebant, in hanc formam legebantur:

D. PHILIPPO II. REGVM MAXIMO AMPLIFICATORI ORBIS, FVNDATORI QVIETIS, IN SVMMA POTENTIA ET FELICITATE ITA SAPIENTI, VT DIVINA IMITANDO HVMANA OMNIA INFERIORA DVXERIT VIRTVTE, MEDIOLANENSES PVBLICO IVDICIO STATVAM SVB ÆRE LOCO SVO LOCANDAM STATVERVNT.

D. PHILIPPO III. REGI POTENTISS. OB MAXIMAS ET CLARISSIMAS VIRTVTES, QVIBVS INTRA REGNI PRIMORDIA VNIVERSOS POPVLOS TVERI, EISQVE CONSVLERE COEPIT, MEDIOLANEN. CIVITAS EQVESTREM STATVAM ÆRE SVPERFVSAM GRATVLATIONIS ET OBSERVANTIÆ TESTIMONIVM EXSOLVIT.

Sextam molem triumphalem primarij in vrbe templo præfecti exstruxerunt, seu ædiles sacræ ædis, admirabili magnitudine, ac pari cum templi frontispicio amplitudine, sumto à perfectione, quæ in optimo coniugio desiderari queat, machinæ argumento. Tribus omnino portis constabat, quarum media quatuor prægrădibus vtrinque columnis fulciebatur, minores portæ duabus. Tota altitudo ad octoginta pedes assurgebat, latitudo simili spatio explicabatur. Columnæ sex solidæ cum totidem parastatis ex ordine sunt Corinthio: Qua in re decorum seruauit architectus, qui virginalem Corinthij operis formam ex Vitruuij præcepto Reginæ sponsæ dedicandam censuit. Columnarum altitudo ad triginta & septem pedes sublimis attollitur. In secunda eleuatione ad perpendicularem in columnas lineam sex statuæ suis basibus decempedales insistunt. In summo fastigio

fastigio quod acuminatum est, septima numeratur medio loco posita, pro Ecclesiæ typo, crucem brachio, liliaceum & rosaceum manu sertum tenens, & ornata in capite sacro diademate, Pontificum insigni, quadrato item saxo sedem ei præbente, & binis vtriusque testamenri tabulis vtrinque adiacentibus.

Altera sacramentum Matrimonij referebat, Viperam iugulo stringens.

Pro Castitate coniugali erat tertia, animal contrectans ex mustelarum genere, quod siue Alpinum siue Ponricum sit, Armelinum vocant Itali. Ex annulo Fides connubialis noscitur.

Concordiam coniugalem designat effigies Punicum malum tenens.

Fœcunditas gremio leporem cum lepusculis fouet. Septima est Educatio cum circino & freno.

Operis dedicatio in tabula supra portam medianam legitur:

MARGARITÆ AVSTRIACÆ MAXIMÆ ET RELIGIOSISS. REGINÆ AD SPONSVM PHILIPPVM III. HISPANIARVM REGEM POTENTISSIMVM PROFICISCENTI FOELIX ITER, FAVSTASQVE NVPTIAS SANCTA MEDIOL. ECCLESIA A DEO OPT. MAX. ENIXE DEPRECANS GRATVLABVNDA EREXIT.

Sub prima in zophoro statua historia Euangelica nuptiarum in Cana Galilææ in tabula pedes viginri octo lata, alta verò decem, non inscita pictoris manu erat adumbrata.

Altera duos elephantos cum his verbis symboli vice habebat:

NON NISI PROLIS AMOR.

Tertia du os cygnos quibus est,

ÆQVALIS CANDORI CASTITAS.

Surculus arboris trunco insitus eidem inolescit & concorporatur, quod ad quartam statuam refertur, cum verbis:

INEXPLICABILI NEXV.

Quinta verò statua duo organa pneumatica pro symbolo habebat, & verba asscripta:

CONIVRANT AMICE.

Sub sexta vitis arbustiua vlmo implicatur, cum hoc titulo:

COMPLEXV FVLCROQVE FERAX.

Cerua exsultim ludens hinnulos suos saltitare docet, ad septimæ statuæ declarationem, quod etiam hemistichium Virgilianum explanat:

VIRTVTEM EX ME VERVMQVE LABOREM.

In triangularibus super arcuum fornice spatiis, varia depicta sunt emblemata. In dextro portæ medianæ triangulo concha margaritifera sese ad rorem defluentem pandens, conceptu roscido impletur, margaritas paritura, si vera sunt quæ asscribuntur:

CÆLESTES EFFVNDET OPES.

In altero latere similis concha aspectum Solis fugiens, aquæ se immergit, hoc sensu annotato:

OCCLVSAS TVETVR OPES.

Triangulis dextræ portæ minoris pro emblemate concham etiam habet, quæ ad Lunam se obuertit; eius enim incremento augeri conchylia naturales tradunr scriptores, quod hæc verba enarrabant:

TV DECVS ET PRETIVM.

Pro sinistri lateris symbolo concha ad lapilli in aquas lapsum se videtur occulere: & ibidem sic legitur:

LEVISSIMA QVÆQVE.

Alterius portæ triangulus dexrer concham præbet spectandam cum sua margarita, quæ pro roris accepti qualitate tempestiuè satiata grandem partum videtur enixura, verbis asscriptis è naturali historia petitis:

MAIORI PRETIOSIOR HAVSTV.

Ad quod etiam respicit sinistri lateris concha cum simili margarita eximij candoris:

SERENO CONCEPTA MANE.

Intestinum fornicati lacunaris opus in porta mediana emblemata septem continet ab Austro petita, in Austriacæ familię commendationem: ventus Australis nubem dissipat,

SVMMA VI.

Austro flante è subrerraneis latibulis suis prodeunt serpentes, quod verbo indicatur:

EXTRAHIT.

Idem ventus cæli partem hinc serenam inde nubilam facit, addito hemistichio:

PLVVIAM ROREMQVE MINISTRAT.

Agrum satum perflans Auster:

CONSERVAT ET AVGET.

Accipiter Austrum flantem pennis excipiens:

RENOVATVR.

Ad siluam balsamo, thure & myrrha consitam, Austroque perflatam sic asscriptum legitur:

TE SPIRANTE.

Pro septimo emblemate trium ventorum Australium flabris vela nauis intumescunt:

FELICIBVS NON FALLACIBVS.

Fornix intestinus minoris portæ dextræ sex emblemata recipit, ad Aquilam spectantia: Aquila prædam rostro & vnguibus diuidens pro titulo habet:

ALIIS PARS MAXIMA.

Pullos aquilinos mater nido emittit cum hac prosopopœia:

ALIAS IAM QVÆRITE TERRAS.

Accipiter celeri volatu aquilam fugit, sensus est,

VIX CONSPECTA.

In aquilæ ouis incubantis nido geminus aëtites depictus dignoscitur, vim naturalem asscripta verba explicant:

EXCVTIVNT SERVANTQVE FOETVS.

Crebro fulmini è nubibus erumpenti, non cedit Iouis armiger, sed videtur,

AVDENTIOR.

Sexta aquila sola incedens asscripta habet hæc verba:

REGIA SVSTINET ALES.

In alterius portæ sinistræ testudine sex emblemata à leone sunt petita.

Leo colli insistens rugitu suo plurima animalia reddit attonita, asscriptumque est:

TREMEFACTA CADVNT.

Oculis apertis cubans leo,

ET DORMIENS VIGILAT.

Vestigia terræ impressa leo caudâ suâ euerrit operitque, & quodammodo

ARTEM ARTE LVDIT.

Leunculos suos leo à gladiis in eos strictis defendit, asscripta prosopopœia:

VEL MORIAR VEL TVEBOR.

Humi stratum ac dormientem leunculum innoxiis vnguibus expergefacit leo, & annotatum est:

EXCITAT.

Sextus leo in aperto campo securus spatiatur, quod scriptura designat:

ET LATEBRAS ET FVGAS ODIT.

Minorum portarum intercolumnia in decem pedum tabulis sacras historias depictas exhibent: quarum vna ex eo Genesis capite est desumpta, vbi ineffabilis creator Deus ex Adami protoplasti costa primam hominum genitricem Euam formauit, & vtrique benedixit.

Altera ad sinistram è sacris etiam litteris petita aduentum sponsæ Isaaci designabat, patre Abrahamo gaudium præ se ferente.

Pari

Pari magnitudine super portas minores tabulæ huiusmodi historias continebant. Iacobi & Esau cum vxore liberisque occursus ex hoc latere, iunior Tobias angelo comite ex altero, cum sponsa & ingenti Tobiæ senioris lætitia noscebatur. Super tabula nuptiarum in Cana Galilææ Regiæ Maiestatis insignia eminebant cælata & inaurata.

Nec ornatu splendidissimo carebat templi porta, quam variæ angelorum & diuorum picturæ cum cotonis & encarpis cælatis decorabant.

Interior templi ambitus aulæis & peripetasmatis pretio & arte magnificis velabatur. Ad superiores peristromatum limbos angelicæ effigies alatæ dependebant, Cherubinos vocant, humanam staturam sexies excedentes, æris Cyprij colore cum coronis longis eiusdem cælaturæ. Ex quibus ornamentis colligere quiuis potest politissima & candidissima ædis sacræ marmora nouo apparatu in publica lætitia fuisse adornata: Cùm alioqui tantus sit splendor ac templi magnificentia, vt vitrea cum marmoreis, cælata cum pictis, ærea cum aureis, ornatus amplitudo cum eiusdem frequentia, cum varietate decor videatur contendere. Quæ vt omnia erant eximia, illustriora tamen ea reddebat Reginæ sponsæ præsentia.

Septimus arcus triumphalis cælestem imitabatur ante portam palatij constitutus. Iris erat argentea suisque picta coloribus, ortum è duabus argenteis nubibus trahens, & duobus stylobatis, altero alterum scandente, vtrinque sustentata, cum suis basibus & cymatiis æratis. Inferiori hi versus litteris aureis sunt inscripti:

Ecce Iris roseis per cælum roscida pennis
Mille trahit varios aduerso sole colores.

Alteri in hunc modum:

Emicuit reserata dies cælúmque resoluit
Iris, & in summos redierunt nubila montes.

In superioribus basibus eadem vtrinque pro emblemate Thaumantias, asscriptis diuersis hemistichiis conspicitur, priori annotatum est:

Nunc fulgor gemmeus hæret.

Deinde alteri ad læuam:

Solis inardescit radiis.

Ex Iridis curuatura Regiæ Maiestatis insignia dependebant, quæ à cælatis auroque fulgentibus vtrinque geniis, tædam nuptialem manu alterâ præferentibus, æquo libramine tenebantur, quod asscripti item versus explicabant:

Nuncia Iunonis vario decorata colore
Huc se cæruleo librauit ab æthere virgo.

Per hos arcus & spectacula Regina viam triumphalem emensa, quæ à porta ciuitatis vsque ad palatium mille & quingentis passibus finiebatur, nullo ornatus genere aulæorum, tapetumque, quibus ædes vtrinque publicæ & priuatæ Attalico luxu velabantur, desiderato, communibus omnium hominum votis deducta & excepta est: Vt in tanta ciuitate tantaq; diuersarum nationum frequẽtia, omnibus viis vicisque haud aliæ quàm huiusmodi voces audirentur: Hem quod hoc est quod modò viuimus sæculum? Quæ ætas vnquam fuit quæ Reginam tam augustam in tam sublimi solio conspexit collocatam? nobis certè hoc obtigit, qui saluam eam & incolumem intuemur. Quanta cum benignitate plena graui maiestate oculos in populum suum coniicit! Quàm decenti reuerentia se ad dulcissimam matrem conuertit! Quanta cogitationum in hoc iuuentutis flore, vultuque placidissimo sese exserit maturitas! neque illa sola aspectu suo nos exhilarat, sed Philippum Regem Principem nostrum clementissimum animorum oculis obuersari nobis facit, cum quo illa pari felicitate & amoris mutui ac voluntatis nexu, ætatem omnem exiget, non solùm ob sanctissimum coniugij augustissimi, quo colligantur vinculum, & Austriacæ familiæ, quæ sola ad triumphos orbisque imperia nata est, parem vtrique necessitudinem: Verùm etiam ob eandem pietatem & prudentiam, quam vterque cum ipso nutricis lacte suxit: Quæ cõcordem vsque adeò ambobus sensum dabunt,

vt quos eadem fortuna & æqualis virtus ad ſupremum gloriæ culmen è Regia ſtirpe euexit, eoſdem etiam proprias & auorum virtutes cum eodem ſanguine miſcuiſſe videamus. Vrbium beatiſſimam te, Mediolanum, appellare meritò potes, quod in Regum tam potentium, & benignorum Principum cuſtodiam perueniſti: qui te æterna pace non minus felicem & florentem conſeruabant, quàm nunc ſuâ præſentiâ efficiunt glorioſam, vt non modò aureum præſens æuum dici, ſed gemmeum etiam & margaritiferum debeat. Quid ad tuam amplitudinem accedere maius queat, quàm quòd magis eximiam Romano olim imperio maieſtatem complectaris? tecum enim nunc moratur Regina illa maxima, quæ præſtantiâ animi & naturæ dotibus eiuſmodi Regem conſortem thalami fecit, cuius nomen & imperium iiſdem quibus orbis terminis circumſcribitur, vt quicquid Sol aſpicit, quod ipſo dignum eſt, id omne eius nutu & potentia regatur. Deus eos conſeruet, annoſque ipſis proroget, vt de genere humano benemerendi augeatur occaſio, maior & diuturnior vtilitas ad nos redeat. Beatum ſimili prole fœcundet torum Deus, faxitque vt antè filios regnorum habeant ſocios, quàm parentum ſucceſſores.

His omnium votis & animorum ſtudiis, ſacræ in templo preces ſolenni ab ordine Eccleſiaſtico ritu & Muſica harmonia decantatæ acceſſerunt. Inde ad palatium ædi ſacræ propinquum ab Alberto Archiduce ſuſtentata deducitur. Ad gradus palatij arcum vidit ita exornatum, vt inter fornices triumphales numerari meritò poſſit: erat enim variis trophæis inſignibusque decoratus, tam Regiis auro inductis, quàm Mediolanenſis Gubernatoris, eiusque vxoris Ducis de Frias. Primum ſymbolum harpagium erat ſiue clepſydra, vnde variis è partibus aqua dimanat, vnico tantùm foramine aperto, quod digito obturamus, hortorumque puluillos perpluimus, cum verbis aſcriptis:

AB VNA OMNES.

Alterum emblema Argo erat, cum aureis in puppi velis, & his verbis:

MAGNO SPECTATA TRIVMPHO.

Tertium erat palmarum duarum, verborumque:

DVRANDO SECVLA VINCENT.

Manuum nexu fidei colligatarum quartum erat ſymbolum, è quibus ſceptrum naſcebatur floridum cum ſpicis & oliuæ ramis, verbiſque:

SIC FERAX NESCIA VINCI.

Solis erat quintum, qui nubes penetrans herbas refocillat modò languidas, additúque:

DENSA RELAXAT.

Sub dictis ſymbolis, quæ inſignia Regia circundant, in tabula grandiuſcula duobus hermis ſolidis ornata, hæc verba continentur:

MARGARITÆ AVSTRIÆ PHILIPPI III. REGVM MAXIMI CONIVGIS AVGVSTISSIMÆ MAIESTATEM PACIS FATALE NOMEN, PROPAGANDÆ IMPERATORVM STIRPI APTISSIMVM CONNVBIVM, AC PROPVLSANDÆ OMNIVM MOESTITIÆ PROPITIVM ADVENTVM IO. FERNANDEVS VELASCHIVS CASTELLÆ COMESTA. LÆTISSIMVS VENERATVR.

Hoc modo ſua Maieſtas Mediolanum eſt ingreſſa, ſecum adducens verni temporis ſuauiſſimam auram, horridæ brumæ tempeſtate, qua ſe Mediolanēſes fruituros aliquandiu ſperant, minus opportunis ad nauigandum Notis.

Ad deſcriptionem theatri quod Illuſtriſſimus Comeſtabilis fieri fecit, nihil eſt quod adiungamus, nec operibus Græcorum inuideamus, illorumque porticibus, circis, fontibus, ſtatuiſque: tam artificiosè omnia eranr apparata, vt hæc machina pro omnium compendio reuera haberi poſſit. Fabrica conſtabat forma triangulari pedes longa centum quadraginta, lata octoginta ſeptem. Ædificium vndecim grandioribus columnis fulcitur, magnamque aulam ſuſtinet ſuperius. Infra ex oppoſito totidem columnæ Doricæ materiaræ marmoreas æmulantur, cum capitulis ære loricatis. Ab intercolumniis triginta & duo dependenr encarpi, ære ſimiliter incruſtati, in quorum medio Cupidines ſedent δᾳδοῦχοι cum facibus nuptialibus argēto inducti ſtatura naturali, loco relicto in ficta flamma vt lumina nocte ponantur. Super columnas epiſtylium totum opus ambit, ac verſus orientem

orientem hypæthrum ſuſtinet, cum ſuis columellis ære ſuperfuſis. Aſtant & ingentibus pilis, quæ ſunt numero triginta duæ, totidem Hermæ affabrè ſculpti, ære loricati, qui brachio vtroque candelabra exporrigunt. Super eaſdem pilas arcus quieſcunt, qui theatri teſtudinem ſuſtinent materiatam. In medio lacunari pedes longo triginta & ſex, lato viginti, dormientis virginis in florido ceſpite cernitur effigies, in quam Pallas oleę ramos, libros & ſpecula deſuper ſpargit, Iuno ſceptra, diademata & monilia, Venus lilia, roſas, alioſque flores. Per virginem ſua Maieſtas denotatur, quæ à tribus Deabus bonorum largitricibus, animi, corporis & fortunæ omnibus dotibus cumulatur. Appoſita ibi eſt tabula cum hac inſcriptione ab octo Cupidinibus decenter geſtata:

PLENO BEANT TE NVMINA SINV.

In altera tabula ſimiliter quadrata viginti nouem pedum, Nymphæ depinguntur viuis duplo maiores, quæ infantulum lauant in fonte, ſuperuolante in aëre Mercurio, ſereniſſimæ Reginæ prolem feliciſſimam promittente, ſic enim videtur dicturire:

TE CIRCVM PARVVLI LVDVNT.

In tertio quadrato æquè magno Regina actu pio habetur depicta, ad templum enim pergit comites nacta Clementiam, Religionem & Charitatem, gratiaſque bonorum datori agit Deo; ad hoc verba aſſcripta alludunt, ab angelis in nube ſuſtentata:

MIHI AVTEM ADHÆRERE DEO BONVM EST.

Ante ædis ſacræ portas puer eſt pictus, vas habens cryſtallinum vnde rami prodeunt lauri, oleæ & palmæ. Pellucidum illud vaſculum, caſtitatem Reginæ deſignat, laurus ſapientiam, olea animi quietem, & palma ſignificat dominatum rationis in alios ſenſus. Inter hęc emblemata duo alia auro picta referuntur: hoc phœnicem renatam figurabat ſenſu vulgari, quæ ex Arabia in Ægyptum pergens ingentem volucrum numerum ſecum trahit, qui illam intuentur cum admiratione, quod ad hominum frequentiam immenſam reſpicit Mediolanum confluentium ſuæ Maieſtatis videndæ tantùm gratia, huc verba alludebant:

VT SOLIS MIRENTVR AVEM.

Alterum ſymbolum aquilam refert, quæ cælo deſcendens candidam margaritam roſtro tenet, haud ignota alluſione:

CÆLO DEMITTITVR ALTO.

Nihil ſpatij in lacunari vacuum eſt, hinc prodit Apollo Muſagetes, illinc Prometheus, ſeptem artes ducens liberales cum felicitate, ſedecim pedibus ſublimes non inſcita manu factas.

Inter has figuras maiores, octodecim emblemata à variis inuentoribus conquiſita depinguntur. Primùm, in ſcypho deaurato proponitur margarita cādidiſſima, additurque:

DELICIÆ HVMANI GENERIS.

Deinde vnio in concha purpurea cum verbis:

FORMOSIOR IPSA.

Duo ſpecula ſibi oppoſita aſſcriptum habent:

ALTER ALTERIVS.

Delphinus concham margaritiferam geſtans:

MIRANDVM NATVRAE OPVS.

Medio æquori vnio innatat in ſuo conchylio, cui fuſcina Neptuni vicina eſt:

HVIC SORTE DATVM.

Monile baccatum cum magna in medio margarita:

INTER OMNES.

In excelſæ turris faſtigio cernes margaritam:

TVTISSIMA SEMPER.

Regium diadema in cuius apice vnio magni pretij:

DIGNATA EST.

Inter

Inter duo mala punica depictus vnio:

QVAM BENE CONVENIVNT.

Conchylium margaritiferum soli expositum:

CONSTRICTAS NVNC PANDET OPES.

Margarita extra suam concham:

INTVS ET EXTRA CANDIDA.

Sphæra terrestris annulo circundata, qui in pala gemmam non habet, sed vnio vicinus videtur præsto esse vti inseratur:

VNA SOLI.

Regni Lusitaniæ insignia cum vnione:

HINC GLORIA MAIOR.

Vasculum in cuius summo margarita:

HILARITAS ET SALVS.

Vernanti rosæ asscriptum est:

NONDVM PERFVNDIT ODOREM.

Vnio in aureo cratere:

ORIENTI DEMIT HONORES.

Pro decimo octauo & vltimo symbolo coluber eo modo quo in Mediolanensium insignibus depingitur, cum vnione, habetq́ue asscriptum:

ET GENVS A SVMMO.

In theatri angulis regia insignia inaurata, vtrinque Comestabilis & vxoris radiabant. Sub porticu quæ in fine theatri apparebat, fontes duo videbantur in loculamentis, statuis ornati, Sileno scilicet & tribus ex marino consortio diuis, qui aquas effundunt in marmoreum receptaculum. Super porticu mutuli sunt hypætrum sustinentes cum columellis inauratis, vbi regium solium ponetur, quo se recipiet Regina, vt comicas actiones ludosq́ue spectet. Sub eodem loco aureis litteris depictum cernitur:

INGREDERE HEROINA VIRGO AD NVPTIAS REGIS VETVSTI ORBIS TERRARVM MAXIMI ET NOVI MONARCHÆ DIVINITVS ELECTA, A VELASCHIO NVMINI TVO DEDICATISSIMO, IN HONOREM ADVENTVS TVI, QVO LICVIT NON QVO DECVIT OPERIS SPLENDORE PERFECTVM THEATRVM, NAM ET DEVS HVMILIBVS COLI TEMPLIS NON DESPICIT, ET TVÆ MAIESTATIS FVLGORE AVGVSTA FIENT OMNIA.

E regione dictæ inscriptionis dedicatio theatri hoc modo legebatur:

D. MARGARITÆ AVSTRIÆ, CVIVS PER AVGVSTA IMPERIA NVMERANTVR AVI D. PHILIPPI III. OMNIVM MAGNORVM REGVM MAXIMI SPONSÆ, CVM PRIMVM GRADVM IN HAC VRBE AD MAXIMA IMPERIA PONERET, IO. FERDINAND. VELASCHIVS COMEST. MEDIOLANENSI PROVINCIÆ ET REGIO EXERCITVI IN ITALIA PRÆFECTVS EXORIENTEM AVRORAM FELICIS SECVLI VENERATVS DICAVIT.

Hæc Mediolani gesta sunt, vt ea habuimus Guidi Mazentæ beneficio, duobusq́ue mensibus ibi substiterunt, à Calendis Decembris vsque ad diem tertium Nonar. Februarij insequentis anni. Horas matutinas in templis locisq́ue pietati dicatis, diuo quoque Ambrosio vrbis tutelari, & aliorum Sanctorum reliquiis visitandis, ac diuino cultu religiosè peregerunt, pomeridianas verò comœdiis aliisq́ue animi leuamentis & spectaculis tribuerunt. Dux etiam Sabaudiæ cum ingenti ac splendido comitatu illuc venit, auspicatas Reginæ sponsæ nuptias, tantamq́ue sibi ipse affinitatem gratulaturus. Interea responsum à Rege exspectabatur, & nauigationi opportuna anni & aëris temperies. Tertio ita-

tio itaque nonas Februarias Mediolano discedentes ad Bacinas noctem transegerunt, quod opidum, Binaseum alioqui vulgo dictum, antiquo illo nomine villaque magnifica Alciatus illustrauit. Inde summo mane Archidux præcessit ad Carthusianam domum, sumtu & structuræ artificio eximiam. Viderunt etiam in itinere, quo Ticinum itur, ingens illud leporarium, quadrato murorum ambitu circumseptum ad viginti passuum millia. quem locum victoria contra Franciscum primum Galliæ Regem parta, eiusque captiuitas celebriorem fecit.

TICINVM.

Respvblica Ticinensis intellecta Reginæ profectione, quatuor Oratores obuiam ei misit, Comitem Alfonsum Beccariam, Marchionem Iulium Cæsarem Malaspinam, Laurentium Isimbardum Caici Dominum, & Matthæum Bottigellam, Arcamariani toparcham. Qui cùm illuc peruenissent & mandata exposuissent, Regiæ scilicet mortis luctum, & auspicatissimarum cum Philippo III. nuptiarum gratulationem, ac demum fidelitatem, quam ciuitas Ticinensis Austriacę domui promittebat, gratum sibi esse hoc officium Regina verbis, litterisque declarauit. Portam primam exornarunt versus occidentem ad ædem sancti Saluatoris, quæ inter templa Insubriæ celebratur, dotata ab Ariperto nono Rege Longobardorum. Pridie nonas Februarij cùm sua Maiestas prope Ticinum accessisset, vrbi Præfectus claues ei obtulit, cum ingenti Nobilium & Optimatum cœtu. Carpento itaque quo vecta erat relicto, conscensaque lecticaversus ciuitatem iter instituit. Hìc primùm colossos duos habuit obuios, Parium marmor assimulantes. Gloriam ille referebat forma virginali, aureis radiis coronata, & antiquo more armata, cum hasta & scuto, in cuius peripheria hæc verba legebantur:

AVSTRIACÆ GLORIÆ.

Honoris erat alter qui caput palma, collum torque, manus armillis ornabatur cum hasta & scuto, in quo Virtutis & Honoris ædes picta, inscriptumque:

AVSTRIACO HONORI.

Obuios hìc habuit Doctores collegij Iudicum ciuitatis, qui suam Maiestatem sub vmbella argentea exceperunt, cum viginti quatuor ephebis nobilissimis, qui veste è raso violaceo (ignoscat mihi antiquitas nominibus vtenti nostri æui) argento rigente decori incedebant. Mercatores hìc etiam sese obtulerunt nitidè culti auroque fulgidi, in manibus gestantes securiculas Amazonias. Ducem suum ipsi elegerant, qui auro gemmisq; exornatus quatuor pueros egregiè cultos secum ducebat, duo galeam clypeumq; gerebant, tertius pro Cupidine incedebat, sequebatur quartus. Quinquaginta duo paria efficiebant mercatores, quibus Reginæ custodia est commissa. Ad pontem versatilem occurrit illi aquila, mundum vnguibus tenens, & sex in eo signa Zodiaci: ex aduerso leo alteram orbis partem sibi vendicabat cum totidem signis. Ante portam arcus erat triumphalis Tuscanici ordinis, quatuor columnis cum suis zonis rusticis subnixus. In summo fastigio insignia Regia eminent, infra columellæ, & sub eis statua quædam muliebris pro ciuitate ponitur coronata, facta allusione ad viginti duos reges Longobardorum, qui in ea regnarunt. Armata ideo erat Amazonis in morem hastam dextra, volumen apertum tenens sinistra, aduolutum pedibus scutum iacebat, & in eo depicta candida Crux in area rubra, quos colores cum Austria communicat, concessos sibi cum miraculo ob partam victoriam contra hostes fidei. In vestis lacinia fluuium Athesim habebat ex vrna sua aquam profundentem: ex aduerso Danubius, in medio Tagus opes suas ostentabant, additus sub Istro huiusmodi versibus:

Excipe quem mitto florem, Ticine, sonantis
Qui ripae est splendor, qui decus omne mea.

Sub Athesi similiter erat exaratum:

Semper honore meo, semper celebrabere donis
Danubius quam dat, Margaris Inda mihi.

Sub Tago verò sic:

Munera Danubij, Ticini numen, Iberi
Gloria ab aurifero semper amanda Tago.

Infra ad portam picta erat Hilaritas femineo habitu, serto florido coronata, dextra palmæ ramum, virgam tenens læua, corollis, floribusque benè instructam, cum titulo:

VRBIS HILARITAS.

Ex altera parte Felicitas erat cum caduceo & cornu copiæ:

ORBIS FELICITAS.

Epistylium hac inscriptione illustrabatur:

INTVERE INGREDIENS DIVINA CÆSARVM PROPAGO, REGVM OLIM IAM SEDEM QVÆ MVLTOTIES PRO SINGVLARI IN AVSTRIACOS FIDE PENE FVNDITVS EVERSA, FELICISSIMIS DEINDE EORVNDEM AVSPICIIS INSTAVRATA, AVREA, QVA NVNC OVANS TRANQVILLITATE POTITVR, PRÆSENTE TVO NVMINE ÆTERNA PERFRVI SPERAT.

Cùm portam ingressa est Regina, primipilaris (Sergentum vocant) egregiè armatus cum ducentis iuuenibus occurrit, quinquaginta scilicet hastatis, ac viginti quinque Mosquettas ferentibus (teli genus est cuius notissimum) totidem bipenniferis & centum sclopis minoribus instructis & galea insignibus, qui armorum tractandorum peritia hanc vrbem non minùs litterarum gloria quam militiæ florere indicabant. Cùm ad eum locum Regina peruenisset, qui Marica à populis Maricis, eius olim incolis, nomen adhuc retinet, fornicem vidit ordinis infra Dorici, supra Ionici, & in dextro eius latere Hymenæum cum duabus facibus, verbisque:

ALVNT NON ARDENT.

Ad læuam erat Matrimonij typus, adolescentis forma, cum iugo humeris imposito, tituloque:

ONVS LEVE.

In dextro infra latere alma Venus cum duobus Genijs figurabatur, Cupidine & Anterote cum facibus quas tenebant decussatas, verbisque:

ALTER OPE ALTERIVS.

Sinistrum similiter latus occupabant Venus & Cupido in concha margaritifera mare tranantes:

CONCHA PORTANTVR EADEM.

Alia itē arcus spatia his symbolis ornabantur; vnio soli se exponit, habetq; inscriptum:

VT PERFICIAR.

Concha ad rorem sese aperiens:

OPPORTVNE.

Margaritiferam item concham phoca comitatur, est enim:

AMICA SOCIETAS.

Similis concha maior inter minores asscriptum habet:

ALIAS INTER.

Epistylio inscripti leguntur hi versus:

Aurea nunc rediit lustris labentibus ætas,
Ter felix tantæ cui micuere faces.
Sed cum pacato poterit felicior orbe
Connubio ex tanto cernere Semideos.

Statua

Statua ibi est ex marmore Pario peruetusta, muro insita, cum glomo filorum de collo dependente, quam rex quidam Longobardorum poni ibidem fecit, ob seueram punitionem editam in huiusmodi glomi furem. In turri similiter sculpta reperitur columba marmorea cum his verbis:

HIC EST NIDVS NIDORVM VEH, VEH, VEH DEBELLANTIBVS EVM.

Eo enim tempore (sic scriptum inuenitur) quo ciuitas muro cingeretur, columba super eodem loco volans huiusmodi scriptum chartaceum deijciebat.

Cùm ad diui Gabrielis forum Regina peruenisset, ac ad dextram flectenda esset via, ingens vidit loculamentum, & in eo victoriæ signum, basi suæ conuenienter impositum, alarum armatumque, lauroque coronatum, palmæ ramum tenens dextra, hastam læua cum trophæis militaribus circum pictis. Dedicata Alberto Archiduci fuit statua, qui virtutis & prudentiæ militaris est exemplum, inscriptio rem dilucidabat:

SERENISS. ALBERTO AVSTRIÆ ARCHIDVCI, PRINCIPI AVGVSTISSIMO, NOVO ALCIDÆ, FORTISSIMO VRBIVM EXPVGNATORI, HOSTIVM DOMITORI FELICISS. TICINENSIS CIVITAS TANTVM ADMIRATA SPLENDOREM EREXIT.

Vt Regina Cathedralem in conspectu Ecclesiam habuit, colosseam vidit equitis statuam, pulcherrimam æneamque, quam Luitprandus 18. Longobardorum rex Rauennatibus abstulit, Odorico siue Odoacro erectam, vel secundùm alios, Seuerino Boëtio, sed communis opinio est, quòd Antonino Pio fuit posita; viderint historici quid sit statuendum, mihi verò sufficiat eam describere pro optima & celeberrima quæ exstat. In templi ingressu à venerabili Capitulo excipitur, & à Præposito eiusdem salutatur in hæc verba:

AVE REGINARVM SERENISSIMA, FIAT SVPER TE BENEDICTIO DEI, VT TANQVAM ALTERA RACHEL CRESCAS IN MILLE MILLIA, ET POST VITÆ CVRSVM, COELESTEM INGREDIARIS HIERVSALEM.

Fornix ad introitum templi ab Illustri Guilielmo Bastoni Episcopo Ticinensi & Nuncio Apostolico apud Regem Catholicum, & Capitulo erigebatur, columnis duabus ex ophite nixus, reliquę partes marmor Carrariense æmulabantur. In fastigio imago diuę Virginis omnium in se oculos conuerterat, Christum Saluatorem in vlnis complexa: astabat dextræ protomartyr diuus Stephanus, à quo templum nomen habet. Ad sinistram pictus sanctus Syrus vrbis tutelaris ab anno 46. cùm à diuo Petro in Ticinensem Episcopum fuit missus. Ad vrbis non solùm vetustatem, verùm etiam Euangelij recepti lucem demonstrandam.

In eadem icone ab iisdem diuis sua Maiestas reginarum Reginæ exhibebatur, eratque asscriptum:

Augustum subeas hoc augustissima templum,
In quo vera fides fulget in Austriacos.

Sub testudine hæc inscriptio legentium animos detinebat:

AB ÆTERNI REGVM REGIS SPONSA, PARENTE ET FILIA MARGARITÆ AVSTRIÆ REGINARVM OMNIVM SERENISSIMÆ, SACRA TICINENSIS ECCLESIA SS. STEPHANO AC SYRO NVMINIBVS ANNVENTIBVS INCOLVMITATEM INTEGRAM, ITER FELICISSIMVM, NVPTIAS FAVSTISSIMAS, GLORIAM IMMORTALEM, BEATITATEMQVE PERPETVAM PRECATVR, POSTVLAT ET CONTENDIT.

Pater cælestis in nubibus apparebat, terrestrem globum humeris imponens Philippi III. Principis nostri, eumque alloquebatur:

NEC TE LABOR ISTE GRAVABIT.

Ad læuam genibus nixo eidem Regi armatoque à Christo vexillum, in quo depicta aquila, porrigitur, additurque:

REGNVM QVOD TVEATVR VTRVMQVE.

Regis lateri aderant Fides & Religio, hæc cum tabernaculo, illa velata cum turibulo. In basi pinguntur Iustitia suo more, & Pax cum oleæ ramo, ad illud Psal. facta allusione:

IVSTITIA ET PAX OSCVLATÆ SVNT.

Versus Septentrionem candelabrum cum septem luminibus ponitur, totidem Spiritus sancti dona denotantibus. Ex altero latere Angelus stabat, cum his verbis:

TOTA PVLCHRA ES.

Læua basis exhibebat Veritatem virginis nudæ forma, velo tenuissimo & perlucido coopertæ cum libra in manu, & Misericordiam cum cedri ramo. Ad meridiem Osiridis sceptrum oculatum pro Vigilantiæ Principis typo. In altero latere Angelica figura hæc verba proferebat:

MENTE PIA ÆTERNAM TIBI CONCILIASTI GRATIAM.

Hunc arcum transgressa sua Maiestas sacram ædem ingreditur, Deum adorat, ac venerabunda reliquias colit, atque inter ceteras sanctæ Mariæ Magdalenæ brachium, quod vt adhuc recens apparet, omnibus admirationem mouet. Lecticam inde conscendens, templo digressa arcum inuenit, felicem ex hoc coniugio prolem benè ominantem. Corinthij ordinis erat fabrica, pilis quatuor sustentata maculosum marmor imitantibus, vt capitula æris fodinas. Mater Deúm ibi erat Cybele turribus redimita sceptrum tenens, asscripumque versum:

Maxima progenies cœli ventura sub axem.

Paulò infrà, Lucinam vidimus gemmeo diademate insignitam cum claue in manu & pauone ad pedes illa promittebat:

Pulchra faciam te prole parentem.

Ad dextram Iunonis pictus erat Vitunus, vitæ largitor, iuxta Augustinum de Ciuitate Dei, alterum oculorum clausum habens, alterum apertum, ibique caput infantis & senis, accipiter passis alis, piscis & hippopotamus, iuxta Plutarchum in Iside & Osiride, cum his versibus:

O verè diuûm soboles, ô sancta propago,
Sidera cuique fauent, cœli cui numina rident.

A sinistra Sentinus Deus, adolescentis forma, quem, vt diuus Augustinus loco citato, sensum hominibus largiri à puerperio credebat antiquitas, cum aranea, simio, vulture, apro & lupo, additis versibus:

Inclyta progenies cœli quæ arcana tuendo,
Consilio vigili totum moderabitur orbem.

Huc alludens nasciturarn ex hoc matrimonio sobolem, sensus habiturum perspicacissimos. In epistylio hæc inscriptio apparebat:

QVI NOBIS AVCTOR EST LÆTITIÆ D. O. M. FELICISSIMAM HVIC TRANSEVNTI DIVÆ PROLEM, QVÆ EXTREMVM VLTRA TERRARVM ORBEM IMPERII SVI TERMINOS STATVAT, CONCEDAT.

In postico eius machinæ virgo pingebatur alterâ ignem, aquam tangens alterâ, cum hoc elogio:

CONIVNCTA GENERANT.

Ante ædes Senatorias in foro spatiosissimo decreuerat ciuitas tres colossos equestres ponere, ære superfusos, Philippo III. patri & auo, sed gelu ac aduentu Reginæ opprimente, opus imperfectum fuit relictum. Ne tamen ornatu careret locus, septem dierum spatio bicipitem montem ibi construxerunt, oliuiferum, ac iuniperis, lauris, malisque aureis & citriis, rosis & violis consitum; in summo Pegasus alatus Hippocrenem vngula feriens: astabat Apollo egregiè personatus cum choro Musarum, quæ varia instrumenta exarte pulsabant. Phœbus hos versus modulabatur:

O di raggi di gloria adorna e cinta
Gran semidea conuien ch'io ceda, e dica
Esser la mia da la tua luce vinta:

Pero

Pero m' inchino, e tù Parnasio coro
Canta che per lei torna il secol d'oro.

Quos sic Latinos fecimus:

Maxima semideûm te gloria lumine cingit,
Et tua lux radios vincit certamine nostros.
Te veneror, chorus Aonidum decantet honores,
Aurea, diua, tua redeant quòd secula causa.

Cui Musæ respondebant hoc modo:

Ritorna il secol d'oro
Mercè de l'alma diua,
Nata del'Istro a la feconda riua.
Onde conuien che faccia in lieti accenti
Ogni cigno canoro
Austria risonar l'aria e l' onde e i venti.

Munere, diua, tuo quam gemmeus edidit Ister
Secula pro rigidis nunc aurea viuimus annis.
Hinc omnis mihi cantet olor, vox omnis, & vnam
Austriacam resonent auræ, venti, æquora, gentem.

Altera cantio erat huiusmodi:

Hor che l'alme così grandi in vn coniunge
Nodo d'amor celeste,
D'ogni gioia la terra si riueste.
Ansi fuggendo lunge
Da noi la noia, e'l pianto
Fia sempre eterna in noi la gioia, el canto.

Quòd tantas animas tanta in connubia nexu
Cœlesti coniungat amor, terra ipsa triumphat:
Et nos mæstitia, tristique dolore fugato,
Fas est perpetuis plausum geminare diebus.

Vlterius progressa in viam quæ noua ob prospectum amœnum dicitur, aliud ædificium ex ordine Composito ęternitati dedicatum Austriacę domus vidit, quod vt quatuor frontes habebat, sic octo columnis nitebatur, cum basibus & capitulis metallicis, occidua hoc scriptum exhibebat:

MARGARITÆ AVSTRIÆ SEMPER AVGVSTÆ REGIBVS ET IMPERATORIBVS SATÆ, PHILIPPI III. REGVM REGIS CONIVGI FAVSTISSIMÆ PAPIA ÆTERNAM PERPETVAMQVE FELICITATEM.

In latere meridionali picta erat Æternitas, veste viridi cum hasta in manu, Genium dextra, & basiliscum aureũ in capite gestans, sic enim in numo est his notis inscripto, C LOD. SEPT. ALB. AVG. Maronianus sub pedibus erat versus:

His ego nec metas rerum nec tempora pono.

Erat & Iupiter ibi pictus cum sceptro in manu, & fulmine ad pedes, pluribus Nymphis circumstantibus, quæ secula designabant, versuque apposito:

Austriacûm proles cunctis dominabitur oris.

Ad dextram sphæræ cælesti ascriptum erat:

IN AXE FIRMA.

Ad sinistram globo terrestri:

SOLA IMMOBILIS.

In basi trophæum hinc lauro inde olea coronabatur. Æternitatis templum ad opticam rationem versus orientem erat depictum:

ÆTERNITATI SACRVM.

Sedebat in throno suo Æternitas, Tempus in Lethæum flumen varias schedulas inijciebat, quarum aliquæ à Cygnis colligebantur, poëtas & scriptores significantibus, quæ illas Nymphæ cuidam porrigebant, templo easdem affigenti. Inscripta apparebant Maximiliani I. Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. Philippi II. aliorumque Cæsarum Regumque Austriorum nomina. Versus Septentrionem in alia tabula super fastigio eleuata videbatur altera Æternitas alio modo expressa per virginem lauro coronatam & cubo insidentem, cum titulo Virgiliano:

Imperium sine fine dedi.

Hîc etiam Cęli erat effigies Ætheris filij, veste cærulea stellis plena cum serto Sapphirino, ac in vase flammis pleno cordis simulacrum quod non consumebatur, cum his versibus ad Maronis imitationem:

Austriaca æternum nascetur origine proles,
Imperium Oceano, famam quæ terminet astris.

Dextro lateri assidebat Fortuna in cubica item sede, cum duabus anchoris, & hoc disticho:

Austriacæ proli nunquam Fortuna recedet:
Quæque dedit virtus, non malè fida feret.

Ad læuam Tempus in compedibus cum alis deplumibus, & horologio fracto ad pedes, hoc distichum tituli vice habebat:

Digna piis fatis, & semper viuere digna,
Tempus edax rerum rodere non poterit.

Epistylio affixum erat sequens scriptum:

AMPLISSIMVM TOTIVS ORBIS TERRARVM IMPERIVM, QVOD SINGVLARIS AC DIVINA AVSTRIACORVM VIRTVS PEPERIT IMMORTALIS AC PRÆPOTENS DEVS, QVA EST BONITATE, IN PERPETVVM FORTVNET ATQVE TVEATVR.

In dextra basi serpens erat pictus gyris inuolutus, & lupus quem ceruarium vocant. Tholus qui quatuor facies colligebat, Saturnum exhibebat temporis typum, historiæ parentem cum tribus Parcis; Atropon vitæ humanæ filum abrumpentem, hoc modo alloquitur:

Desine fata sinunt.

Nequid autem esset vacui hos octo versus conuenienti loco pinxerant:

Æterna voluent stamina Parcæ,
Fortuna ausa repellet.
Cæca furit mors clausa barathro.
Pietate insignis & armis.
Læta deûm partu.
Imperium terris, animos æquabit Olympo.
Dominabitur astris.
Fama perennis erit.

Ibat Regina per viam nouam iuxta ædem diui Martini, vbi iuris Doctores vmbellam cedebant Doctoribus medicinæ. Ad publicum Gymnasium à Carolo magno institutum, arcus triumphalis primùm positus (mutationis palatij causa trãslatus aliò fuit) erat ordinis Compositi, octo Hermis suffultus cum capitulis ære loricatis. In fastigio septem Planetæ humana statura, Saturnum, senex cum sua falce serpentem stringens referebat. Iupiter in ætate virili olea coronatus, victoriam manu porrigebat. Mars vultu feroci hastam sinistra, basim dextra tenebat auream, cum cubica figura. Sol radiis coronatus cum hasta in manu radium dextra videbatur porrigere. Venerem sustinebat venustissima adolescentula, cum cesto & rosa. Mercurius alatus in capite & pedibus caduceum tradebat. Lu-

bat Luna tenui veste accensam facem læua; verbenam renebat dextra. Aderat cuique suum signum, videlicet Saturno Aquarius, Ioui Sagittarius, Marti Scorpio, Soli Leo, Veneri Libra, Mercurio Virgo, & Lunæ Cancer. Inuentum his versibus declarabatur:

Falcatus tibi longa senex dat tempora, vires
Iupiter, armipotens robora firma deus.
Splendorem Phœbus, speciem Cytherea decoram,
Mercurius pacem, Luna pudicitiam.

Iustitiam exhibebat virgo insidens boui, qui ab Aarone pro iustis offerebatur, vt vitulus & hircus pro peccatore, libram illa dextra renebat, vulturem sinistra, innocuũ scilicet, ab animatis enim abstinet, nec fructibus nocet, cadaueribus contentus, ritulus erat:

Hac moderaberis orbem.

Ad læuam apparebat Clementia leoni insidens cum citrio in manibus ramo, legebaturque:

Hac æquabere Diuis.

In postica fornicis parte Iupiter in suo sedens solio, circunstantibus diuis, hilaritatem præseferentibus vt & genij, ac terra ipsa quæ viridi colore, floribusque placebat, cum hoc inter Deos hominesque scripto elogio:

Cum Ioue iuncta simul gaudia mundus habet.

Hic ad suum deflectebat palatium in ædibus Marchionis Malæspinæ instructum, quæ vt introitum habent angustum, addita fuit Petri Nigri domus. Ingressa per portam affabrè exornatam opere Corinthio, in cuius fastigio hæc verba legebantur:

MARGARITÆ AVSTRIÆ, CÆSARVM PROLIS PHILIPPI III. REGVM REGIS VXORIS, PVDICITIÆ AC GRATIARVM ALVMNÆ, OMNI VIRTVTVM SPLENDORE ORNATISSIMÆ, CHRISTIANÆ PIETATIS AVSPICI RELIGIOSISSIMÆ, PACIS NVNCIÆ, PVBLICÆ SALVTIS TVTELÆ, MAXIMÆ, FELICI ET AVGVSTÆ, ANGVSTA QVIDEM SED LÆTA DOMVS:

Bifrons Ianus ad dextram stabat cum clauibus in manu & virgula sinistra, ad pedes habens arietem, quem quinto Idus Ianuarias immolabant ei Romani: asscripti erant Ouidiani versus:

Præsideo foribus cæli cum mitibus Horis,
Et redit officio Iupiter ipse meo.

Ipsæ etiam Horæ lupinis coronatæ Hippopotamum contrectabant, sicut eas Ægyptij depingebant, addebatur hoc distichon:

Si pulcher nos lustra breues fecisset Apollo,
Felix ante alias fida Papia foret.

Huc auctor respexit, si horæ quibus Ticini Regina substitit mutatæ in lustra forent, nihil esset ea vrbe felicius.

In palatio portam reperit Tuscanico opere insignitam, in cuius fastigio hi versus legebantur:

Porrò quid? soboles Regia Margaris
Iam dignata cubili vnica Regio,
Hinc fulgore hominum lumina gemmeo
Virtutis iubare illinc hebetans Polum:
Sic Regina Penates humiles subis?
Maiestate tua sed meritos, vti
Læti redde benigno Indica Margaris,
Cum splendore & odore omnia repleas.

Vbi se recepit Regina, Principibus cunctisque in hospitium suum deductis, ad ignes triumphales ciuitas conuertitur, singulisque fenestris per vrbem vniuersam lumen vnicum

cum poni fecit: turres aliique loci eminentes variis ignium generibus collucebant; accedente maiorum tormentorum boatu, ac fistulatorum strepitu. Postridie iterum videre voluit diuæ Mariæ Magdalenæ brachium religiosissima Regina, quod oblatum ei fuit à Cathedralis Ecclesiæ clero.

Hoc illa venerata ad celebre templum diui Augustini & diui Petri in Cælo Aureo perrexit, quod à Rege Luitprando ab aureo lacunari dictum ita fuit: auditoque sacro ad diui Augustini, eandem ædem martyribus, Luxorio, Cisello, Camerino, Robustiano, Marco & Appiano Episcopo consecratam coluit. Vidit ibidem arcam illam marmoream à Luitprando Rege factam, qui ossa gloriosi diui Augustini cùm Sardiniam popularentur Saraceni, Hippone illuc translata in ea condidit. Sex aureos pannos Reginæ obtulit Senatus, quos grato animo illa recepit, vt ex benigna responsione eius apparuit. Academici, quos Affidatos nominant, duas orationes à Philiberto Belcredo Referendario compositas, & poëmata quinquaginta in nuptias felicissimas exhibuerunt, quæ sua manu benignè recepit. Eadem opuscula Archiduci Alberto oblata placuerunt, vt inter Academicos nomen suum dederit. Discessum deinde parauit Regina, ac obuium primùm habuit Neptunum cancro insidentem cum barba, comis & veste cœruleis circum corpus negligenter reiecta, eratque sic asscriptum:

Quâ monstrat Neptunus iter.

Iuno assidebat Iride vecta, cum serenitate ad pedes, quæ vultu cœruleo erat Virgo, columbam candidam capite gestans, annotatum erat:

Quâ Regia Iuno
Hac Regina potes carpere læta viam.

Nec deerat Æolus habitu regio cum flamma in capite sceptroque & velo. Quatuor venti præcipui tenebantur colligati. Zephyrus alatus floridum habens in capite sertum. Nigras cum sole rubicundo alas Æthiops Eurus. Boreas barbatus cum pedibus serpentinis, comas niue habebat oppletas. Auster cum alis, barba & crinibus madidis. Sub Æolo vtri inflato, quem penes se habebat, inscripti hi versus erant:

Æolus en ventos vinclis & carcere frænat,
Hesperiæ ad portus lenis vt vnda vehat.

Fluuiorum rex Eridanus brachio innixus vrnæ suæ incumbebat, taurinam faciem apud se habens, Athesis argenteis comis auro intermixtis fluuium in Padum exonerabat. Nymphæ nonnullæ aderant cum vrnis fluuios denotantes, qui in Padum & Athesim influunt. Nec deerat epistylio sua inscriptio:

MARGARITÆ AVSTRIÆ REGVM CÆSARVMQVE FVTVRÆ MATRI VT VENTI ET MARE, DEO ANNVENTE, OBEDIANT, PRECATVR.

Sua igitur Maiestas cùm ad pontem peruenisset, in marmor antiquissimum sequentes versus echoinos obuios habuit:

Quisquis huc intrat deflexo poplite dicat,
Dic prope qui transis, qui portæ limina tangis:
Roma secunda vale, mundi caput Imperiale,
Tu bello Thebas, tu sensu vincis Athenas,
Te metuunt gentes, tibi flectunt colla potentes.

Pontem etiam armatis viris refertum vidit. In postica pontis parte decretum erat Mercurium depingere, viarum præsidem, & Velocitatem cum Delphino: sed hæc opera per gelu manserunt imperfecta, quæ tamen Ciuitas postea absoluet cum hac inscriptione:

Quò te fata vocant propera, meliora sequentur,
Viuéque Ticini tempus in omne memor.

Hæc Petrus Bartolus sic nobis descripsit, typisque mandauit, nos interpretis sumus functi officio.

Vnius diei itinere interiecto Bassinianam venit, quam Plinius Augustam Vacienorum vocat, Ptolemæus Bacienorum, teste Leandro, vbi Tanarus amnis Pado commiscetur.

miſcetur. Pons ſuper nau[illegible]ulas fluuiatiles ſtratus traiectum facilem præbuit. Alexandriam deinde à palea nominatam,cuius rationem apud Leandrum ſtudioſus lector quęrat, ſexaginta ciuibus inſtar ſtipatorum præcedentibus ingreditur. Viginti quatuor viri ſummo loco nati, veſte nitida culti vtrimque incedunt, ac ipſi Senatores ſub vmbella argentea Reginam excipiunt, quæ aſſidente in lectica matre per portas aliquot triumphales materiati operis ad palatium geſtatur.

GENVA.

POSTERO die Bormia amne per pontem item nauicularium traiecto, & quatuor equitum Mediolanenſium turmis comitantibus, ad Genuenſis territorij limites peruenerunt, vbi à quatuor peditum cohortibus, & quatuor Senatoribus reipublicæ nomine honorificè excipiuntur, & itinere bidui prope Genuam perducuntur ad locum amœniſſimum diui Petri Arenoſi, vbi plurimæ illuſtres nobileſque familiæ ſuburbana ſua habēt, palatia verius quàm priuata ædificia: ex quibus pro Reginæ hoſpitio delectum eſt quod Ioannes Maria Spinula magnificum ibi habet, ad Thomæ Palauicini ſplendidas item ædes Archidux diuertit. Senatus vniuerſus cum ſuo biennis principatus Duce Lazaro Grimaldo, cui inſigne imperij gladius præfertur, & frequenti nobilium comitatu obuiam proceſſit, Reginamque breui oratione ſalutauit: quæ deinde lecticâ cum matre conſcensâ, ad vrbem perrexit, arcum triumphalem haud procul à pharo Genuenſi tranſgreſſa huiuſcemodi argumenti. Via quæ à diuo Petro Arenoſo Genuam ducit, ſcopulis pharij promontorij à latere relictis, ſenſim eſt accliuis vſque ad laternæ turrim, vbi in amplam dilatata planiciem, velut in theatro nobiliſſimam cum portu Genuenſem vrbem reſpicit, inde prata virentia, colleſque hortis per quam amœnis atque ædificiis, vti diximus, magnificis, nitidiſſimos & cultiſſimos. Deorſum è litore proſpectus maris mirum in modum oculis blāditur, qui proprius ſuis accolis virtutis eſt & gloriæ ac fortunarum campus. Hic ad naturalem loci amœnitatem reſp. florentiſſima ornatum etiam artis decreuit adiungere, ac regio apparatu triumphalem arcus machinam auguſtiſſimæ domui Auſtriacæ dedicare. In quo deſcribendo à dimenſionibus & propriis Architecturę vocabulis, quæ peritis eius artis, aliis verò non placent, conſultò abſtinebimus, ne potius oſtentantis, quàm rem geſtam deſcribentis, narratio videatur. Tota operis ſtructura marmor æmulabatur, nullis venis intercurrentibus varium, præterquam in hiſtoriis, emblematis, & ſtatuis, certiſque operis ſurſum à coronice partibus, vbi maculoſo marmori erat locus. A coronice ad aream tam in frontiſpiciis, quàm in lateribus ſtatuæ & hiſtoriæ æneo colore erant adumbratæ; ficta in ſtylobatis emblemata cæruleum, ſepimenta viride, frontiſpicia interſecta, ſepta lateralia & obeliſci maculis reſperſum marmor imitabantur. Inſignia, coronæ atque alia ornamenta variis coloribus erāt figurata. Sed vt ſingula diſtinguamus, à dextræ frontis ad D. Petrum Arenoſum ſtylobata incipiemus, cui Caroli v. Cæſaris Auguſti nunquam ſatis laudati effigies erat impoſita, Romano habitu militari, vt & reliquæ ſtatuæ, ſed geſtu cinctuque diuerſæ: Aureo enim alij diademate caput cinctum, ſerto laureo habebant alij, hi ſceptrum manu tenebant, illi aliud armorum genus. Pro emblemate ſub eius pedibus Tunetana expeditio erat adumbrata, & ſedenti Imperatori Rex Muleaſſes in genua prouolutus, fidelitatis Cæſari ſacramentum dicebat, hoc in ſtylobata his verbis ſcriptum erat:

CAROLVS V. IMPERATOR, QVOD APVD CVNCTAS PROPE GENTIVM OMNIVM NATIONES CLARA VICTORIARVM STATVIT TROPHÆA, TVNETO BELLICA LAVDE CAPTO, REGEM RESTITVIT.

Ad ſiniſtram pari loco Ferdinandus Imperator præter ceteras virtutes è re geſta noſcebatur, Turcicâ inprimis fugâ à Viennæ obſidione:

FERDINANDVS IMPERATOR PIISSIMVS IOANNE SEPVSIO PANNONIA EXACTO, REGNO POTITVR, AC INNVMERABILI TVRCARVM EXERCITV IN FVGAM VERSO, VIENNAM NOBILEM VRBEM FORTISSIME FELICISSIMEQVE DEFENDIT.

Iuxta Carolum v. Maximiliani II. Auguſti ſtatua erat poſita cum expeditione quam inſcriptio declarabat:

MAXIMILIANVS II. IMP. MAXIMO CIVILIS BELLI INCENDIO ARMIS PROSPERE EXSTINCTO MVLTA IAZYGVM OPIDA FORTITER EXPVGNAT.

Læuo è regione lateri regnantis Rudolfi effigies reſpondebat, cum depicta Strigonij obſeſſi expugnatione, & hoc elogio:

RVDOLFVS II. IMP. STRIGONIO OPPVGNATIONE EXPVGNATO AVSTRIAM IMPENDENTIS TVRCARVM SERVITVTIS METV GLORIOSISSIME LIBERAVIT.

In dextro arcus latere ac frontiſpicio Genuam ſpectante Rudolfi I. ſtatua erat poſita, cum pictura infrà Cæſaris, filio Alberto Archiducale diadema imponentis, inſcriptio eſt huiuſmodi:

RVDOLFVS I. IMP. AMPLISSIMIS PROVINCIIS QVÆ AB IMPERIO DEFECERANT EVERSIS, AC IN DITIONEM SVAM REDVCTIS, AVSTRIÆ PRINCIPATVM ALBERTO FILIO DONAT.

Ab altera parte Alberti I. Auguſti effigies erat collocata, qui duodecim prœliis victor triumphatoris nomen meruit, ſiniſtro brachio lauri arboris trunco innixus. In tabula quadrata res geſta ab illo multò maxima erat picta, vbi Adolfum Cæſarem VII. ſententia Imperio motum manu ſua interemit. Quod lector ex aſſcriptis verbis colligebat:

ALBERTVS I. IMP. QVI A LONGA VICTORIARVM CONTINVATIONE TRIVMPHATORIS COGNOMEN TVLIT, ADOLFI IMPERIO PVLSI, INGENTIQVE CLADE AFFECTI, OPIMA SPOLIA REFERT.

Sequebatur ab altera parte Albertus II. qui regni Bohemiæ diademate in appoſita tabula cingitur, quod ſcriptum etiam indicabat:

ALBERTVS II. TASCONO RES NOVAS MOLIENTE REPRESSO, BOHEMIÆ REGNVM IN POTESTATEM SVAM REDEGIT.

Ad læuam iuxta Alberti I. ſtatuam Fridericus III. Auguſtus conſiſtebat, qui vt pacifici nomen meruit, ita oleæ trunco, ex quo viridis ſurculus ſuccreſcebat, manu innitebatur. Cui pro emblemate appingebatur Cæſareus cum ſuo Imperatore exercitus, Coloniam à Carolo Burgundiæ Duce obſeſſam, liberans, quod ex his verbis fiebat manifeſtius:

FRIDERICVS III. CVIVS EXIMIA VIRTVTE, ET CONSILII FELICITATE SEMPER EXORTA BELLA ITA OPPRESSA SVNT, VT PACIFICVS IMPERATOR PROPRIO COGNOMENTO APPELLATVS FVERIT, CAROLVM BVRGVNDIÆ DVCEM RELICTA COLONIÆ OBSIDIONE ABIRE COGIT.

In dextro arcus latere ſtatua Maximiliani I. Cæſaris commodo loculamento ſtabat. Memorabilis cædes quæ hoſtilem exercitum prope Ghinegatam penè deleuit, delineata his verbis explicatur:

MAXIMILIANVS I. IMP. INCOMPARABILI MVNIFICENTIA INSIGNIS, PERDOMITIS MENAPIIS ATQVE SICAMBRIS, SVPERATIS BOHEMIS, PANNONIISQVE REPRESSIS, PEDESTRIS DIMICANS APVD GHINEGATAM INGENTES HOSTIVM COPIAS MAGNO ET DIFFICILI EDITO PROELIO FVDIT.

Ex aduerso in simili receptaculo Fridericus Imp. collocatus videbatur, ex apposita tabula vbi Ludouicum Imperij competitorem apud Nicrum fluuium vicit, & huiusmodi scriptura:

FRIDERICVS IMP. LVDOVICVM COMPETITOREM APVD FLVMEN NECARVM ADORTVS, MAGNAM LECTISSIMORVM MILITVM MANVM LONGO INITO PROELIO OCCIDIT.

Pro opere ad dexteram intestino in excauato receptaculo Reginæ statua tam ex habitu regio, quàm ex asscriptis verbis noscebatur:

ADVENTVS, VIRTVS ATQVE CONIVGIVM TVVM, AVGVSTISSIMA VIRGO, LIGVRIÆ LÆTITIAM, AVSTRIACÆ FAMILIÆ CLARITATEM, TOTIVSQVE HISPANIÆ GLORIAM AVGET.

In tabula supra caput quadrata Liguria Nymphæ habitu scopulo insidebat, corbitæ nauis malum amplexa cum rudentibus: fluctibus marinis in veste vndatim pictis, ac pampinis redimita, cui asscripserant hoc distichon:

Virtutes laudesq́ tuæ nunc aspice gentis,
Mox similes natos, similes visura nepotes.

Reginæ ex opposito latere statuam Philippi III. sponsi Regis effigies blandè aspiciebat, quod scriptura manifestabat huiusmodi:

PHILIPPO III. REGI CATHOL. AVITÆ PATRIÆQVE VIRTVTIS ÆMVLO, LÆTIS REGNI INITIIS OB AVGVSTVM CONIVGIVM EFFLORESCENTI, RESP. GENVENSIS TANTÆ HILARITATIS IN EXOPTATO REGINÆ ADVENTV PARTICEPS, VNANIMI VOLVNTATE DICAVIT.

Quadrata super statuam tabula Genuam Nymphæ similem exhibebat, cum sceptro & Ducali diademate, & delphinum sub sinistro brachio, clauum nauis dextra gestantem, cum hoc disticho:

Viue diu felix, factisq́ ingentibus orbem
Implens, imperium profer noménque decúsque.

Ad exitum arcus in simili receptaculo Philippus II. dextram occupabat: superius fani D. Quintini expugnatio ad viuum expressa, quod inscriptio patefaciebat:

PHILIPPVS II. CATHOLICVS REX OMNIVM AMPLISSIMVS ET OPTIMVS HOSTIVM EXERCITV FELICIBVS ARMIS CÆSO S. QVINTINVM VRBEM MVNITISSIMAM EXPVGNAT.

In simili è regione loco Philippi I. statua collocabatur, eiúsque in Hispaniam ad accipiendos regni fasces ingressus:

PHILIPPVS I. CATHOL. MAXIMA ANIMORVM OMNIVM PROPENSIONE ATQVE INVICTÆ SVÆ POSTERITATIS FELICITATE HISPANIÆ REX EST ACCLAMATVS.

Intercapedo quæ est inter Reginæ & Philippi II. in transitu arcus statuas, tota erat depicta rebus ad insulam Melitam benè gestis, cum Philippi Regis mandato & auxiliis à Turcica in eam expeditione, grauique obsidione fuit liberata. Rex in pictura armatus stabat, eique equitum Ioannitarum aut Melitensium Ordo, siue militia pro capitis ornamento ædem sacram ferens, magnum in pectore crucis signum, dextra tenens triremis clauum, coronam gramineam siue obsidionalem, notum apud veteres liberatæ obsidionis præmium, reuerenter porrigebat. Historiam inscriptio lectori aperiebat:

PHILIPPVM II. REGEM CATH. CVIVS IN MVLTIS DIVTVRNISQVE BELLIS ADVERSVS CHRISTI HOSTES SVSCEPTIS SPECTATA PIETAS ENITVIT, OB MELITAM SVMMIS OBSIDIONIS PERICVLIS LIBERATAM, MILITIA S. IOANNIS CORONA GRAMINEA DONAT.

Ex opposito in simili inter primum tertiumque Philippum interstitio, memorabilis ad Echinadas naualis conflictus, quo Ioannes Austriacus celebri de Turcica classe vi-

ctoria est potitus, omnium oculos detinebat. Imperator Austriacus habitu militari curru ex concha marina composito, aurigante maris Deo per vndas vehebatur. Neptunus triplici loro equos agitabat, eiusque tridens pro clauo aptatus, triplex in puppi laterna phari vice ad cursus dirigendi securitatem erat posita. Christiana in nubibus Resp. Palladis more armata Crucis signum vna, altera coronam naualem seu rostratam habebat. Historia per asscripta verba fiebat dilucidior:

IOANNI CAROLI V. IMPER. FILIO CVIVS ADOLESCENTIA AD DISCIPLINAM REI MILITARIS IN OMNI GENERE BELLI VICTORIIS AC TRIVMPHIS EST TRADVCTA, PROFLIGATA INNVMERABILI TVRCARVM CLASSE AD ECHINADAS INSVLAS, CONSERVATORI SVO CHRISTIANA RESP. NAVALEM CORONAM IMPONIT.

Totum opus testudineatum Alberto Archiduci dedicabatur, diuisa in tres partes concameratione, quæ inter quatuor intestini operis statuas erat media; ea tamen proportione, vt duo minores inter tabulam maiorem cernerentur. Hinc Ambianorum quæ est inter Galliæ ciuitates munitissima, picta erat interceptio, cum hac inscriptione:

ALBERTVS ARCHIDVX AVSTRIÆ AMBIANVM INSIGNEM VRBEM INCREDIBILI CELERITATE OCCVPAT.

Inde Hulsti apud Flandros VVasianos præter solitas militares scientiæ regulas, cum hac scriptura, expugnatio:

ALBERTVS ARCHIDVX AVSTRIÆ CRVENTO CERTAMINE EDITO, HVLSTO INCOMPARABILI CVM LAVDE POTITVS EST.

In tabula mediana Caleti inaudita celeritate facta expugnatio videbatur, atque ita legebatur:

ALBERTVS ARCHIDVX AVSTRIÆ CALETVM INGENTI ANIMO VEHEMENTER OPPVGNANS, PARI VIRTVTE OCYSSIME EXPVGNAT.

Asscriptum ibidem erat & hoc distichon:

Iam mirata tuos laudauit terra triumphos,
Nunc per te positis iuuenescunt secula bellis.

Quatuor angularia arcus coagmenta in totidem tabulas erant distincta. Dextrum latus Pax occupabat spiceo serto redimita, cum claudicante Pluto opum deo dextra, corolla oleaginea læua, & referto frugibus gremio, erátque asscriptum:

PAX ALBERTI.

Ex opposito Securitas tenellæ nymphæ habitu super capitis ornatu columbam habebat cum laureo in rostro ramo, iaculum tenens dextra, ac columnæ innitens sinistra, cui affixus erat vespertilio: Virgo erat filice coronata. Quibus hieroglyphicis ex Pierio securitas designatur, quod & verba indicabant:

SECVRITAS ALBERTI.

Picta ex aduerso Victoria venustæ virginis effigie, lauream dextra, palmam tenens læua. In capitis ornatu est accipiter, adstante ad pedes gallo. Vtrumque enim animal ex augurali disciplina victoriæ hieroglyphicum est, asscribebatur:

VICTORIA ALBERTI.

Cui è regione respondebat Religio armatæ mulieris specie, pro hasta Crucem tenens, ad latus stabat elephas, pedibus galerus purpuratorum patrum gestamen, & Episcopi mitra adiacebat, capiti columba radiis cincta ad cultum accedebat; & quænam ea esset, litteræ prodebant:

RELIGIO ALBERTI.

Quatuor vtriusque frontispicij triangulos ad arcus curuaturam sub inferiori zophori coronice totidem figuræ depictæ exornabant; hinc fama tenui amiculo succincta, & pernicibus alis, tubam vna, pagellam chartaceam tenebat altera, secundi Austri flabris sursum delatam, cui inscribebatur:

TERMINAT ASTRIS.

Alterum angulum Gloria occupabat, brachiis & mamillis nuda, aligera & regio diademate

demate coronata, buccinam itidem dextrâ tenens, cornu Amaltheæ refertum frugibus læuâ. Aderat & icuncula puellaris velo cincta subtilissimo, quæ cum mali Persici serto, Veritatis typus erat. Corollas etiam lauream, gramineam, quernam & auream, virtutis militaris præmia, sphæram cum zodiaco signisque appictam Gloria habebat. In scheda cornu copiæ spiratim obuoluta legebatur:

SVPER ÆTHERA.

In postica arcus fronte simili ad dextram loco triceps Æternitas sindone amicta, anguem forma circulari implexum, ac orbem cum Sole & Luna gremio habebat, in capite basiliscum, conueniens ei hieroglyphicum, si Niliaco Oro credimus. Hastæ, quam tenebat diua, circumplicata spiratim erat scheda, & in ea litteræ:

MANET IMMOTA.

Honor in aduerso angulo pingebatur, venusti adolescentis forma lauro coronati, hastæque innixi. Aureus collum torques, armillæ ornabant brachia, in clypeo quem tenebat, suum & Virtutis cognatæ diuæ erat templũ, altero pede galeam calcabat, hoc sensu:

IN OMNE ÆVVM.

Hæc sunt machinæ ornamenta ab area vsque ad trabeationem, in cuius zophoro inter triglyphos taurinorum capitum loco, quæ sunt solitæ metoparum sculpturæ, varij generis trophæa erant posita, classica item & bellica armamenta, quæ etiam latera stylobatarum infra, & coronicis supra ornabant: cuius frons quatuor symbola continebat à totidem augustissimæ familiæ heroibus vsitata. Columnæ Calpes & Abylæ, quas laboris sui metas Hercules fertur posuisse, pro recepto Caroli v. symbolo dextram cum his verbis Gallicis occupabat:

PLVS OVLTRE.

Læuam Phœbus cum quadrigis, Philippi II. Regis Cath. symbolum:

IAM ILLVSTRABIT OMNIA.

In posterioris frontispicij eodem item loco, pro Ferdinandi Augusti symbolo, terrestris orbis globus in quatuor partes suis signis distinctus, cum crucifixi Saluatoris effigie, ac Imperij aquilis, verbisque:

CHRISTO DVCE.

E regione globo suo Fortuna insistebat, cui ventus comas in frontem diffuderat, velumque lunato sinu turgidum explicabat, Caroli Ducis Burgundiæ, qui Intrepidi vel Audacis cognomentum est adeptus, symbolum illud esse, verba manifestabant:

AVDACES IVVO.

Oblonga in secunda eleuatione tabula, inscriptam huius molis dedicationem, & amplissimæ Reip. hac in re consilium his verbis explicabat;

VIRTVTI AC FELICITATI INVICTISSIMÆ DOMVS AVSTRIÆ, QVÆ GERMANIÆ DECVS, IMPERII SPLENDOR, ATQVE VNIVERSÆ REIP. CHRISTIANÆ PROPVGNACVLVM, DIVINITVS EST CONSTITVTA, OB INNVMERAS TOTO ORBE TERRARVM VICTORIAS PARTAS, ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM RESP. GENVENSIS LIBENTISSIME DICAT.

In altero frontispicio simili loco & tabula ita scriptum legebatur:

GLORIÆ ATQVE IMPERII FINEM NON TERRÆ, SED CÆLI REGIONIBVS TERMINANT.

Huius eleuationis latus dextrum in duas tabulas quadratas magnas, sinistrum in totidem æquali symmetria abacos est diuisum. In primo Rapitij à Turcarum imperio mirabili celeritate ab Archiduce Carolo liberati picturam, hæc verba edocebant:

CAROLVS ARCHIDVX AVSTRIÆ RAPITIVM MAXIMA VI, PARIQVE CELERITATIS SVCCESSV QVO AMISSVM FVERAT TRVCIDATO TVRCARVM PRÆSIDIO INDVCIAS VIOLANTE, E MANIBVS IMMANISSIMIS HOSTIVM ERIPIT.

In vicina tabula depicta erat eiusdem Archiducis de quatuor mille equitum quos prope Babocciam fudit victoria, quæ legenti hæc verba perspicua fiebat:

CAROLVS ARCHIDVX AVSTRIÆ QVATVOR MILLIBVS TVRCARVM EQVITVM IN FVGAM ACTIS ATQVE NECATIS, BASSAM SESE RECIPIENTEM VSQVE AD SOLIMANNI CASTRA PERSEQVITVR.

Alterius lateris prior tabula naualem Philippi II. Regis Cathol. Antonio victo fugatoque victoriam ob oculos ponebat, cum hac annotatione:

PHILIPPVS II. REX CATHOL. TERRESTRI ANTONII EXERCITV DELETO ET FVGATO, EIVSDEMQVE BELLVM INSTAVRANTIS CLASSE CAPTA ET DEMERSA, LVSITANICI REGNI FORTVNATISSIME ADIIT HÆREDITATEM.

Pictura ibidem altera Spiræ obsidionem in memoriam reuocabat, ab Austriæ Archiduce Leopoldo factam, quia suis virtutibus quas habebat plurimas, equitum gloria dictus fuit, cum quo, Friderico Cæsare fratre eius copias iungente, Ludouicus Bauarus, nec manus conserere, nec obsessis opem ferre ausus fuit, quod hoc modo fiebat manifestius:

LEOPOLDVS EQVITVM GLORIA SPIRAM OPPVGNANS LVDOVICVM AD SOLVENDAM OBSIDIONEM FRVSTRA PROGRESSVM, SVAS AC FRIDERICI IMPERATORIS CONIVNCTAS COPIAS REFORMIDANTEM REPELLIT.

Statuæ rectæ fastigio impositæ ex ornatu noscebantur, quibus essent propriæ. In priori enim fronte Felicitas forma muliebri venustissima, hilari vultu, splendido apparatu, florido serto coronata, caduceum dextra, cornu Amaltheæ sinistra tenebat, in basi cui insistebat vespertilio, passis ad volatum alis, hominis ad summam fortunam emergentis, ex Ægyptiorum disciplina omen erat, vitis in statuæ veste elaborata, futuræ felicitatis præsagium, vt tradit Pierius. Ad dextram virtus militaris stabat muliebri forma, Gorgone ante pectus cincta, clypeum læua, hastam tenens dextra, cassidi inter plumeum ornatum Sphinx insidebat cum serto oleagino, vtrinque gryphes cælati, in hastæ cuspide gallus & serpens circumplicatus, sculptaque in basi ciconia militiæ hieroglyphicum. Auctoritas matronæ specie figurata, grauitatem vultu exprimebat, expedita & sublata manu potestatem; sceptrum ex querno trunco cælatum, ramis superioribus ita mutuo complexis, vt oculi speciem reddant, Imperij firmitatem denotabat, vt claues quæ cum laureo serto caput statuæ ambiebant securitatem; equus in basi cælatus ex eadem disciplina hieroglyphica, auctoritatis symbolum est. Virtutis matronali effigie simulacrum quadrato saxo vno pede insistebat, anguem dextra, sceptrum tenens læua. Testudo basi insculpta ad eius sexus honestatem pertinebat, Phidia auctore qui Venerem finxit huiusmodi animal pede calcantem. Tertiæ eleuationis bina vtrinque frontispicia orbiculata atque intersecta, totidem aquilæ fulciebant, quæ singulæ vnguibus singula tenebant elogia chartulæ inscripta, ad Imperium spectantia, primum erat:

PROSPERA SEMPER.

Alterum;

ALIARVM OBRVIT OMEN.

Tertium;

DAMNA REPARAT.

Quartum;

OBLATA DIVINITVS.

Fastigiis intercisis semicircularibus impositæ erant statuæ gestu sedentario. Mulier coronata sceptrum manu tenens, mori ramo circumdatum, dextram globo admouens genibus imposito, adstante ad latus grue, quæ lapidem vnguibus sustinebat, Prudentiæ effigies erat. Iustitiam exhibebat nudæ virginis statua, libram dextra tenentis, læua fasces consulares cum securicula, papauere coronata, stante ad pedes vulture, quem pro symbolo iustitiæ ab Hercule esse habitum Herodotus refert. Statua clauam habens rictumque leoninum pro capitis ornamento, querno serto coronata, cui aderat camelus animal roboris indefessi, Fortitudinis erat typus. Temperantiam ex freno & caprifici serto ac stel-

lione

lione ſeu terreſtri locuſta hieroglyphicorum diligens indagator ab aliis diſcernebat. In eiuſdem eleuationis quatuor tabulis lateralibus totidem pictæ videbantur hiſtoriæ: quarum prima erat Ladiſlai Bohemiæ Regis, defuncto Alberto II. Imperatore matris viduæ opera, in Vngariæ Regem coronatio, quod hæc verba exponebant:

LADISLAO AVSTRIO A BOHEMIS LEGITIMI PRINCIPIS PROLEM AGNOSCENTIBVS DIV EXPETITO REGIVM PANNONIÆ DIADEMA IMPONITVR.

Altera fugam continebat Carinthiæ Comitis ab Alberto I. Cæſare Bohemiæ regno pulſi, quod ex hac ſcriptura fiebat dilucidius:

ALBERTVS I. IMPERATOR HENRICVM CARINTHIÆ COMITEM EXPELLENS, FILIVM SVVM RVDOLFVM BOHEMIÆ REGEM CONSTITVIT.

Ex altera parte Carolus V. Cæſar Auguſtus Saxoniæ Duce & Haſſiæ Lantgrauio ſuperatis indulgebat, cum hoc ſingularis pietatis elogio:

CAROLVS V. IMP. INFERIORIS GERMANIÆ PRINCIPES REBELLANTES BELLO DEVICTOS ITA VENIA DONAVIT, VT INCOMPARABILIS CLEMENTIÆ LAVDES PROMERVERIT.

Vicinæ huic tabulæ penicillo inducta erat eiuſdem Caroli V. de Ioanne Friderico Saxoniæ Duce memorabilis victoria, de qua ipſe Cęſar ad Iulij titulũ, quem Pontico triumpho præferri iuſſit, alludens, mutata nonnihil ad pietatem Chriſtianam ſententia, protulit hæc verba, VENI, VIDI, DEVS VICIT. Eratque exaratum ad hiſtoriam explicandam:

CAROLVS V. IMP. IOANNEM FRIDERICVM SAXONIÆ DVCEM EGREGIO CONATV CONFLIGENTEM, IVSTA ACIE MEMORABILIQVE PVGNA PROFLIGATVM FELICITER CAPIT.

In vtroque frontiſpicio permagna inſignia collocabantur, ab ea parte quæ D. Petrum Arenoſum ſpectat. Auguſtiſſimæ domus Auſtriæ ſtemma gentilitium, cum imperiali diademate, à bona Fortuna & bono Euentu ſuſtentabatur; hæc matronæ effigie cum clauo nauis, & cornu copiæ ſub inſignibus reflexo, floribus, frondibus, frugibusque referto: ille forma adoleſcentis hilari aſpectu pateram tenebat, cum ſtella in capite, Amaltheæ etiam cornu triticeis plenum ſpicis ac papauere Cereali, eodem erat modo, quo alterum appoſitum. Sub eorum pedibus Maronis vaticinium huiuſmodi legebatur:

Nec metas rerum nec tempora ponunt.

Genuam verſus in diuiſo eiuſdem magnitudinis ſcuto, hinc Regis Hiſpaniarum, inde Reginæ inſignia ponebantur, quæ ſimul aurei velleris torque cingebantur: duo itidem virilis ſexus diui inſignia ſuſtinebant: Hic nimirum Thalaſſius, cum ſago militari, qui à raptu Sabinarum inter numina locum reperit; ille iuuenis venuſtiſſimi formâ Hymenæus erat coronatus floribus & amaraco, dextra facem tenens, ſiniſtra flammeum lutei coloris, croceoſque in pedibus ſoccos, eratque aſſcriptum:

FAVSTO CVM SIDERE.

Quatuor obeliſcis qui in operis faſtigio totidem angulos occupabant, paſſis ad volatum alis impoſitæ erant aquilæ, & in ſingulis lateribus ſymbolum depictum, ab eiuſdem volucris natura, primum huiuſmodi:

PERNICITATE EXCELLIT.

Alterum:

SVPEREMINET OMNES.

Tertium:

SVMMA PETIT.

Quarto loco haliæetus clariſſima oculorum acie ſe librabat, viſum in mari piſcem diſcuſſis pectore aquis rapturus, cum hoc elogio:

INTVITV PRÆSTAT.

Quinta

Quinta eius erat generis, quem γνήσιον vocant, velut genuinum, solumque originis incorruptæ, quia

NON DEGENERAT.

Sexta per lineam perpendicularem sursum tendebat:

RECTA NITITVR.

Septima magnum variarum alitum numerum in fugam vertit:

EXAGITAT OMNES.

Octaua Iouis erat armigera fulmen vnguibus ferens:

LONGE LATEQVE.

Pro nono emblemate ad conspectum aquilæ serpens se ad siluam recipit occultatque:

VENENOSOS FVGAT.

Aquila colubrum vnguibus stringens per eundem circumplectitur:

HAVD MINVS VRGET.

Nido in altissima rupe posito aquila saxum infert:

FIRMAT SEDEM.

Aquila duodecima pullos suos cogit aduersos Solis radios intueri:

NON FALLAR.

Sola nido insidebat aquila pro emblemate decimo tertio:

VNDIQVE TVTA.

Symbolum decimum quartum ab eiusdem auis indole sumptum, cum vno pullo in nido picto, duobus excidentibus:

EDVCAT VNVM.

Penultimum emblema aquilam exhibebat lapidem gagatem nido inserentem:

VT TEMPERET ÆSTVM.

Sicut aëtitem pro vltimo symbolo, cui erat annotatum:

VT ARCEAT NOXIA.

Atque hæc quidem erant præclaræ huius machinæ structura & ornamenta, quæ tam spectatores, quàm lectores oblectabant, ad quæ auditus voluptas accedebat ex Musica harmonia, quæ per omnis generis instrumenta ἐμπνευστὰ καὶ ἐντατὰ inflari intendique solita, intersonantibus ex arte vocibus præstantissimis, attentos omnes faciebat, quemadmodum Iacobus Mancinus hæc scriptis illustrauit sua lingua editis.

Classis ornatissima triremium quadraginta duarum, nauesque onerariæ, quæ ibi erant plurimæ, in conspectu Reginæ procedentibus regia & prætoria, litorali nauigatione Reginam comitabantur, quæ cùm in palatium Principis Auriæ se receperat displosis tormentis admirabilem & per curuos litorum sinus geminatum fragorem ediderunt.

Angularibus palatij vtrinque lateribus affixa Hispanico & Italico idiomate huiusmodi inscriptio, ad instar ænigmatis lectores detinebat:

DEI ET REGIS BENEFICIO NIHIL HIC EST INTVS A QVOQVAM COMMODATVM.

Ad cuius solutionem non requiritur Oedipus, nam responsum fuisse ex offensiuncula, haud obscuro argumento quilibet animaduertit, & originis coniecturam non aliunde capit, quàm ex alicuius excusatione, vt mores sunt aulici, plus satis officiosa: se nimirum in prouincia peregrinum & hospitem veniam deprecari, si suam Reginę proficiscenti obseruantiam non satis testatam pro eius dignitate facere potuerit. Mirandum verò non esse si in hoc officij genere ab indigenis superetur, qui siquid ipsis desit, à cognatis & affinibus sumere possunt commodato. Vt vt sese res habet, nihil noui accidit fortissimo Auriæ Principi, si præter maiorum claritatem & gloriam æmulum aliquem habuerit præstantis suæ florentisque fortunæ.

REGINA cum matre & Alberto Archiduce ad decimum sextum Cal. Martij sacrosanctos præcursoris Domini cineres aliásque reliquias, quæ in summo templo Genuæ cum magna veneratione asseruantur, religiosè visitauit, datoque de vasis colligendis mandato post triduum conscendit, & classem ad portum Sauonensem appulit. Ibi aliquot

quot diebus ob aduersam tempestatem in statione constiterũt, ac pia interim loca, ædemque Diuæ Virgini Misericordi sacram, miraculis claram semel & iterum accesserũt. Aura deinde Calendis Martiis aspirante, multaq; Genuensis ditionis opida præternauigantes, Naulum, Finarium, Burgerum, Albingaunum, portum Mauritij, diui Remi Fanum, vallem Oneliam, Villam Francam, siue portum Herculis Monœci & Niciam, quæ omnes classem Regiam crebra tormentorum displosione salutabant, ad diuæ Margaritæ insulam peruenerunt, desertam quidem sed aquationi opportunam. Hinc ad portum Tolonum, Camarullicum quidam ex Plinio vocant, alij Taurentium, prope Galliam Narbonẽsem nauigant. Ciuitas munitissima est, & diui Cypriani sacris ossibus nobilis. Nonnullis ibi diebus commorati ad portum Massiliæ contenderunt, & in anchoris substiterunt. Dux Guisius prouinciæ Narbonensi præfectus Galliæ Regis nomine, quæuis officia cum beneuolentia & obseruantia quãta potuit maxima Reginæ obtulit & exhibuit, & classem commeatu recreauit & iuuit. Regina è regia sua naui non descendit, nisi vt rei diuinæ, quæ sub positis quotidie in litore tabernaculis celebrabatur, interesset. Archidux Albertus cum duabus triremibus Massiliam accessit, ibiq; visitatis Sanctorum reliquiis, & pio illo loco vbi diua Maria Magdalena post discipulorum Domini dispersionẽ Massiliam aduecta in summa sanctimonia vixisse perhibetur, ad classem reuersus est.

DECIMO autem tertio Cal. Aprilis sinu Narbonensi traiecto in portum sunt delati, qui veteribus Iliberis, & eiusdem nominis retento vestigio Colibre adhuc dicitur, saltem verisimilius quàm Ceruaria Nebrissensis. Inde oram maritimam Tarraconensis Hispaniæ legentes Rhodam portum & Lunarium promontorium, ipsam denique Barcinonem celeri remigio prætervecti in portu constiterunt, vbi fluuius Hispaniæ nobilissimus Iberus, duplici ostio in mediterraneum mare se exonerans insulam efficit & portum, qui ad similitudinem Africanæ Ruspæ olim nomine, Alfaques vulgo dicitur. Hinc ad Regni Valentiæ oram est peruentum, cursuque peracto in portu Binaros, sic Hispani eum nominant, Regina descendit, missusque ad Regem Principis Auriæ filius qui de secunda nauigatione & aduentu incolumi certiorem eum faceret. Pridie Cal. Martias terrestri itinere ad diui Matthæi fanum perrexerunt, quo loco eodem tempore Dianij siue Deniæ, vt nunc vocatur, Marchio cursu publico superuenit, qui Reginæ, qua par est reuerentia salutatæ, mandata à Rege accepta exposuit. Vnde ad Gabannas, tum ad Villam Regalem (locorum sunt nomina) feliciter progressi, Regina cum matre ad Sagunti ruinas, vbi nunc Moruedre vicus est, iter suum instituit. Archidux Albertus essedo expedito ad Regem perrexit (qui eum complexus est incredibili beneuolentia) & dulcissimã suam sponsam Infantem serenissimam. Non hîc amoris mutui indicia referemus, nec primi congressus desideria & blanditias; nos enim horum Principum optatissimo conspectu quotidie fruentes, rarumque sanctissimæ coniunctionis huius exemplum intuentes, facile colligimus quales fuerint illi aditus, quantoque cum affectu, quanta beneuolentia noui coniuges se conspexerint, allocuti sint, exceperint. Vtriusque præsentiã & affinitate ex voto potitus, ad visitandam Augustam matrem Madricium proficiscitur, ibique quatriduo commoratus, Valentiam reuertitur. Rex interea sponsæ suæ videndæ desiderio haud mediocriter affectus dissimulato habitu equitis cuiusdam Regis nomine ad Reginam salutandam missi, ad eam sese contulit. Qui vbi fuit agnitus per matronas nobilissimas, quas in suo comitatu Regina habebat, non diu amoris mutui in forma ac ætate vtriusque florentissima igniculi se celarunt.

VALENTIA.

Decimo quarto Cal. Maij anno nonagesimo nono solemnem introitum Valentiæ fecit, Regali reuera cultu & magnificentia, ac tanta Principum & nobilium diuersarum nationum frequentia, tam ingenti satellitum & à pedibus ministrorum stipante caterua, vt iusti exercitus numerum adæquaret. Ad pompæ dignitatem vestium splendor sumtusque accedebat ac par omnium elegantia, vt non modò colorum varietas, liureas vulgò nuncupant, in quo officio & honesto luxus genere magnates Hispanorum reliquis nationibus longè antecellunt, sed radiantis auri fulgor omnium oculos præstingueret.

Tres arcus Triumphales ciuitas erexerat, primum ad portam qua ingressa fuit, de Serranis dictam, alterum in egressu, tertium in foro, qui centum pedes attollebatur, latitudini ferè ducentos tribuebant. Tribus portis distinguebatur, quæ singulæ quatuor columnas Corinthias cum omnibus suis symmetriis elegantes ex architectonica scientia obtinebant. Erat & picturarum ornatus celebri manu factus: muliebris figura armata bellatrix in fugam vertebat numerosum exercitum, eam denotabant hi versus Hispanici:

Reyna de Francia, diosa de la guerra
Fue Radegundis en librar su tierra.

Quos sic Latinos fecimus:

Gallorum Regina fuit Radegundis, at hostes
Cùm fugat, horrendo furit vt Bellona flagello.

Ex altera parte muliebris item forma ante templum erat picta, cum his verbis:

La Española Isabel al mondo espanta,
Fundando a santa fe por la fe santa.

Exemplis, Isabella, tuis mysteria Christi
Fundantem mundus vidit & obstupuit.

Habebat machina suum epistylium, zophorum & coronicem proportione conuenienti, pro inscriptione hæc verba legebantur:

D. MARGARITÆ AVSTRIÆ D. PHILIPPI III. HISPANIARVM
REGIS POTENTISSIMI VXORI CARISSIMÆ. S. P. Q. V.
DICAVIT ANNO M. D. XCIX.

Summum fastigium in columellas desinebat cum mutulis quibusdam & angularibus obeliscis, quibus erant affixa Valentiæ insignia. Medianum fastigium magis assurgebat, & in sphæram brachiis duobus sustentatam cum his verbis terminabat:

PARA MAS SI MAS HVVIERA.

PLVRIBVS SI PLVRES ESSENT.

Mundi scilicet, quibus sustentandis & regendis duo hæc brachia sufficerent.

Accedebat tholus cum obelisco & Regiis insignibus. Posterior arcus facies non minori quàm anterior apparatu exornabatur, pictura solum differebat. Dextram occupabat tribunus militaris alterum eiusdem professionis virum medium amplexus, mentem auctoris verba explanabant:

A Oton vence Rodulfo, y dale vfano
Luego a besar la victoriosa mano.

Auspicijs, Rudolfe, tuis deuincis Othonem,
Victricémque manum deuictum agnoscere cogis.

Ad

Ad ſiniſtram exercitus fugiens his verbis explicatur:

Buelue Oton afrentado, y Etelfrida
No quiere en la cuidad dar le acogida.

Debellatus Otho redit, Ethelfrida recuſat
Vrbe virum tota, victúmque à mœnibus arcet.

In arcu poſtremo quatuor illæ diuæ, Pallas, Diana, Iuno, Venus, ſuum ſingulę elogium proferebant, hoc Palladi aſſcriptum:

Aunque ſoy Reyna, tuyo es el Reynado,
Pues lo ſoy del ſaber que tu me has dado.

Sum quamuis Regina, tuum eſt regnare per orbem,
Eſt tua qua regno ſapientia, quam mihi tradis.

Illud Dianæ in hunc modum:

Soy de la caſtidad Reyna, y ſoſpecho
Quę toda la que tengo eſta en tu pecho.

Sum caſti Regina thori, ſed ſuſpicor illud
Munus habere tuo conceſſum munere Virgo.

Iuno gloriabatur:

Suerte a los caſamientos atribuyo,
Y la mayor que puede ſera al tuyo.

Connubiis præſum felicibus, at tibi fauſtum
Et felix reliquas inter conferre neceſſe eſt.

Veneris item partes erant:

La Reyna del amor es mi appellido,
Y de ti el que tengo he receuido.

Nomine diua vocor Regina & mater amoris,
Sed mihi, diua, tuis vruntur pectora flammis.

In duabus item tabulis quadratis hiſtoriæ depictæ, hæc Carolum v. referebat coronam Imperij auo Reginæ transferentem cum aſſcriptis hiſce verbis:

La corona da Carlos a tu aguelo,
Canſado de eſpantar con ella el ſuelo.

Cedit, & Imperio ſe Carolus abdicat vltrò,
Vt ſceptrum concedat auo quo terruit orbem.

Altera Turcicum exercitum proponebat copias formidantem Caroli & fugientem, hæc verba explicabant:

De Carlos quinto de tu aguelo hermano
Huye Reyna de Eſpaña el Otomano.

Viribus arma tuis Othomannica ſæpe fugaſti,
Carole, dum cælo transfers ex orbe triumphos.

Inter hos arcus nouem currus triumphales exhibuit Valentia, totidem litteris è quibus auguſtiſſimum Reginæ nomen conſtat, eleganter dedicatos: ſinguli vnam ſeptempedalem inauratam vehebant. Primus currus litteram M. ob oculos ponebat, viuasq́ue mulieres ſiue heroinas, quarum nomen à littera M. exordium ſumit: hæ erant Medea, Martia, Marpiſſa, Melpomene, cultu ornatuq́; ſplendidiſſimæ: Secundus Artemiſiam, Amaltheam, Atalantam & Arachnen ſpectatoribus offerebat: Tertius Rhodopen, Radegundim & Roxanem: Quartus Galianiram, Galaten & Galateam: nomina ſunt ex iis hiſtoriis quas Hiſpani in delitiis habent: Quintus Abderitem, Amalaſuntam & Amazones:

Sextus Ruth, Rachel & Rhodiam: Septimus Iunonem, Io & Iridem: Octauus Turiam & Terpsichorem: Vltimus Argiuam & Ariadnen. Ingressus autem fiebat hoc modo: Quinque turmæ equestres totum agmen ducebāt, tum triginta equites tympanistæ cum buccinatoribus & Regiis tubicinibus per vices alternas sonitu omnia implentibus. Sequebantur nulla habita ordinis prærogatiua aulici generisque amplitudine clarissimi quadringenti, equis vestibusque excultissimi. Famuli omnibus erant his sex, illis octo, his duodecim, aliis viginti, nonnullis vigintiquatuor & plures, amictu omnes splendidissimi. Pratum dixisses mense Maio variis florum generibus exornatum. Septingenti erant qui habitum Reginæ coloresque gestabāt ex flauo, rubro & albo holoserico ferè omnes. Post equites quatuor corynephori, maçeros Hispani vocāt, tum Reginę œconomi atque ex Hispaniæ magnatibus sedecim, deinde caduceatores cum Regiis insignibus in veste acu pictis, tum magnus œconomus, posteà stabuli præfectus pedibus incedebat. Regina gradario candido vehebatur sub vmbella aurea, quæ à Valentianis viginti nobilissimis concinnè gestabatur: Equum sericis aureisque funiculis seu habenis Valentiæ item proceres, aliis numero pares vtrinque ducebant. Vestis Reginæ erat aurea & argentea vnionibus & gemmis pretiosissimis conserta, vt nihil ad ornatum cultumque desideraretur. Sequebantur Archiduces mater & Albertus cum Reginæ gynæceo, adequitantibus nobilibus item viris. Rhedæ & carpenta sex & quatuor equis iuncta, quæ clarissimas genere mulieres vehebant, extremum agmen claudebant. Hac pompa (qua nemo splendidiorem vnquam vidit, nec opulentiorem, nec varietate delectabiliorem, si spectes nationes & amictuum nitorem, neque pulchriorem, aut numero maiorem, nec quisquam litterarum monimentis consignauit: dicuntur insumta tricies centena coronatorum millia) portam transgressa, ad templum est deducta. Suggestum ibi erat nouem pedes altum, quod nauem Ecclesiæ totam occupabat, gradibus commodissimum, vsque ad summum altare productum.

Templum ornabatur tapetibus & aulæis pretio & arte exquisitissimis. Summum altare erat instructum, summatim dicam, regio apparatu: ante quod editior puluinus aureis pannis instratus, trium hominum capax, alius item quinque, flectendis genibus erat percommodus. Huc se Regina contulit cùm prius Crucem reliquiis insignem esset exosculata à Patriarcha Archiepiscopo Valentiano reuerenter porrectam. Cùm autem Regia eo Maiestas cum Infante serenissima per scalam secretam descendissent, Nuncius Apostolicus post solennes cæremonias his verbis Regem allocutus est: CATHOLICE ET POTENTISSIME REX approbat & ratificat sacra Catholica Regia vestra Maiestas matrimonium quod serenissimus Archidux Albertus tanquam procurator vestræ Maiestatis & eius nomine contraxit cum Catholica & serenissima Regina Margarita hîc præsente, & quod sanctissimus Papa noster Clemens mote solemni celebrauit? Cùm Rex respondisset, Approbo & ratifico, conuersus Nuncius ad Reginam, eadem verba præiuit, quibus cùm assensum suum præbuisset, subdidit Nuncius, Et ego ex parte sacrosanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesię hanc approbationem & ratificationem matrimonij inter Maiestates vestras hîc præsentes contracti & celebrati per Sanctissimum Papam nostrum Clementem recipio. Deinde accedens ad Archiducem similiter eum interrogauit de matrimonio nomine Infantis Serenissimæ cum Antonio Sessæ Duce procuratore eius contracto, quemadmodum eandem percontatus est. Cùm vterque annuisset, approbationemque Nuncius recepisset, omnes simul ad altare accesserunt, genibusque flexis, sacrisque precibus decantatis, coniugia solemniter celebrata sunt. Discessum est inde ad palatium, vbi festiuitas nuptialis, quāta fieri potuit magnificentia, peracta est, & producta in dies octo, nullo genere spectaculorum, quibus animi recreantur interea cessante. Exstructum ibidem erat theatrum quod sexaginta mille homines capiebat, spectandis ludis opportunum, tauri puta venatione, ac mutua cannarum Astorum more eiaculatione, equestribus etiam certaminibus & si quid est aliud ex Hispanicis delitiis. Octauo spectaculorum die Albertum Archiducem, aliosque duos Principes Rex aurei Velletis ordine ornauit. Paucis post diebus, ac pridie Idus Maias Barcinonem peruenerunt, ibique quatri-

quatriduo commorati dum Regia paratur inauguratio, Rex vrbe egressus cum ingenti magnatum Hispaniæ comitatu introitum solemni pompa perfecit. Ad primum pontis aditũ mirabili artificio, velut cælo missus alatus Genius præstãti vocis modulamine Regem salutat, ipsiq; clauem auream possessionis signũ tradit. Perfecta eodẽ die aliisque sequentibus Barcinonensi & Tarraconensis Hispaniæ cum summo applausu solemnitate, Archidux Albertus cum Infante coniuge de rerum Belgicarum statu soliciti, amoris à Rege affectusq; incredibilis significatione, & coniunctissimæ eius volũtatis declaratione peramanter accepta, studiorum præterea & officiorum demonstratione cum omnium gaudio vtrinque exhibita, ad prouincias suas quàm maxima possunt celeritate contendunt, ac septimo Idus Iunias omnibus ad nauigationem paratis classem conscendunt, & Tarraconense litus prætervecti, traiecto sinu Narbonensi, oramq; Ligusticam legentes, in portum Genuensem feliciter appulerunt: atque ab eiusdem Reip. Senatu cum amplissimo suo Duce Laurentio Sauli, in Grimaldi demortui locum suffecti è triremi descendentes, ad Principis Auriæ palatium deducũtur. Ipso autem D. Ioanni Baptistæ festo die, solemni pompa Genuam ingrediuntur, viamque transeuntes vbi sua statua vtrique erat posita ad D. Laurentij ædem perrexerunt, & in templi prothyro ab ordine Ecclesiastico sub insigni vmbella excepti, rei diuinæ interfuerunt, qua peracta, sacrosanctas diuorum reliquias summa cum veneratione perlustrarunt. Nihil deinde omiserunt Genuenses, quàm diu apud illos fuerunt, quod ad cultum, honorem atque obseruantiam, quam Austriacis Principibus exhibere consueuerunt, desiderari posset. Pridie Cal. Iulias Genua excesserunt, postero autẽ die relicta Liguria ad limites Insubriæ in opido Serauallis præfectus Mediolanensis cum septem equitum turmis, armis & equestri ornatu instructissimis, comitatum auxit, & vlterius deducẽdi proninciam suscepit. Dertonam eodem die intrauerunt, cuius opidi ciues erectis duabus portis triumphalibus, alioq; honoris genere exhibito, officio suo non defuerunt, quemadmodum nec Vogeriæ incolæ, quam alij Vigeriam, vicum Iriæ Antoninus vocat in suo Itinerario.

TICINVM.

TICINVM hinc tendentibus pons super scaphas fluuiatiles stratus, cum suis in aditu & exitu portis, transitum Padi commodum præbuit. Ticinenses non minori suas Celsitudines cultu & obseruantia, quàm Reginam exceperũt, nobilitate omni & ciuibus honestissimis obuiam effusis. Exstructis similiter portis triumphalibus, omnium Italorum hac in parte studium & officium superarunt, ac contentione quadam de inuentionibus insignium, symbolorum & inscriptionum inter Academicos, operique publico præfectos orta, verum fuisse Hesiodi illud de honesto æmulationis genere, deprehensum est: Affidatis itaque Academicis ea prouincia fuit demandata. Ad portæ ingressum, quæ noua fabricata est, & ex marmore tota constat, hæc inscriptio ob oculos fuit:

AVGVSTISSIMIS ISABELLÆ ET ALBERTO AVSTRIIS CONIVGIBVS FELICISSIMO INGRESSV TICINENSEM CIVITATEM BEANTIBVS, POPVLVS PAPIENSIS GAVDIO TRIVMPHANS SVMMA ET OPTIMA QVÆQVE A DEO OPTIMO MAXIMO PRECATVR.

Ad latus dextrum picta erat Æternitas Solem Lunamque manibus tenens, asscriptusque titulus: AVSTRIACI IMPERII PERPETVITATI.

Ad læuam Salus muliebri forma quæ ante aram consistens, serpente circumplicatam, dextrâ pateram, hastam alterâ tenebat, appositumque erat:

AVSTRIACÆ SALVTI.

Hanc portam transgressis, magnamque viæ partem quę noua vocatur, arcus triumphalis statim fuit obuius architecturæ inuentionibus delectabilis, ædes vicinas longè superans. Germania Inferior ibi conspiciebatur cum suis insignibus, muliebri habitu, hastam tenens dextra, cubito sinistro sedi innixa, in qua insignia Austriæ notabantur, prope vestis

 laciniam

laciniat... iracta ſparſaque iacula apparebant, quibus erat aſſcriptum:

SECVRA QIESCO.

In eadem eleuatione Picardia prouincia forma muliebri captiua videbatur, manibus poſt terga ad arborem religaris, de qua rrophæa varia dependebanr. Pedibus inſignia aduoluta iacebant & huiuſmodi verba:

DAT TANTVS SOLATIA VICTOR.

In ſuperiori eleuatione inſignia Auſtriaca ab omnibus noſcebantur, ſub quibus in tabula maiuſcula pingebatur coloribus amœniſſimis Bellerophonres eques, qui cum Pegaſo alato deſcendens triformem Chimæram interficiebar flammas euomentem, hoc verba declarabant:

INDOMITAS VIRES CONSILIO DOMVIT.

Infra hanc inſcriptionem auctor oſtendebar ad quem reſpiciebat:

SERENISSIMO ALBERTO AVSTRIÆ ARCHIDVCI TOTIVS CHRISTIANÆ REIP. PROPVGNACVLO, FLANDRIÆ PACIS AC EVROPÆ TRANQVILLITATIS PARENTI, TICINVM.

Sub coronice in rriangulari ſpario Leonis ſymbolum erat pictum, quo viſo metum præſeferebanr Equus, Lupus & Aries, atque alia animalia, quibus cum bello quædam eſt affinitas, cum hac proſopopœia.

TE VISO LANGVEMVS.

In altero latere leo ſolus ambulabat, cui erat aſſcriprum:

MITIS ET FEROX.

Sub reſtudine quaruor ſpariis ſequentia ſymbola diuidebantur; per funem ſcilicet è porta quadam inrenſum ruptumque laurea decidebat, Imperij augurium, cum verbis:

CINGENT FATA CRINES.

Deinde inſignis Iulij Cæſaris equus, pedibus propè humanis, & vngulis in modum digitorum fiſſis, qui orbis imperium porrendebar:

TE QVOQVE MAGNA MANENT.

Pecoris in alio quadrato figura aureo vellere fulgebat, aſſcriptis his verbis:

PROFERES IMPERIVM.

Vltimo loco aquila vnguibus caduceum renens in copiæ cornu duplici, quod hæc verba declarabanr:

AVREA SECVLA CONDET.

In tranſitu arcus hinc Pax aligera cum olei ramuſculo, verbiſque:

TERRA MARIQVE PARTA.

Inde Victoria globum pede calcans, palmam & coronam lauream geſtabat, quibus addebatur: TVIS SEMPER PROPITIA GESTIS.

Dexter ſtylobara Europam exhibebar monochromate adumbratam, quæ tauro vecta hâc cornu prehendebat, illâ nidum halcyonis ſuſtinebar, cum ritulo:

EVROPÆ TRANQVILLITATI.

In altero femina duos geſtabat in gremio infanrulos, duobus aliis exultim luſitantibus, aſſcripta eranr hæc verba:

TEMPORVM FELICITATI.

In poſteriori arcus parte, quæ ſola inuentione differebar, Hercules in medio Acheloum ſuperabar: VIRTVTI CESSERE DOLI.

Inſcriptio his verſibus duobus continebarur:

Non odium terrore moues, nec frena reſoluit
Gratia, diligeris pariter, pariterq́ timeris.

Trianguli oppoſiti duo ſymbola proponebanr, accipitris vnum, quod verba denotabanr: SEMPER VICTOR.

Er monocerota ex vulgata opinione cornu ſuum aquis immergentem, ac venenoſa animalia propulſantem, quod deſignabarur:

NOCITVRA COERCET.

Dexter

Dexter ſtylobata Fortunam habuit pictam cum clauo nauali, & copiæ cornu. Alter Prouidentiam cum globo & haſta, aſſcriptum vtrique:

AVSTRIACÆ FORTVNÆ. AVSTRIACÆ PROVIDENTIÆ.

Ad ingreſſum palatij, quod erat inſtructum in ædibus ampliſſimi Ioannis Petri Nigri, hæc inſcriptio legebatur:

REGIO STEMMATI ISABELLÆ ATQVE ALBERTO, PRINCIPIBVS AC CONIVGIBVS PARI FIDEI, PIETATIS, ET RELIGIONIS GLORIA PRÆSTANTIBVS HAS ÆDES REGVLORVM OLIM INSVBRIÆ DECVS AC DELICIVM NEQVE HVMILIORES ÆSTIMATAS, NEQVE TANTIS NVMINIBVS INGRATAS ESSE ITERATÆ PRINCIPVM REDEVNTIVM VICES TESTANTVR.

Fornicem triumphalem qui ſequebatur tempore excluſi perficere nequiuerunt, architectura tamen inſignem. Pietas in ſecunda eleuatione habuit ſeptem præcipuas heroinas Auſtriacas, tres Imperatrices, & quatuor Reginas, in zophoro legebatur:

Sola tenes titulos quotquot poſſedimus omnes.

Altius paulò coloſſea Iunonis figura apparebat, quæ manu diadema videbatur porrectura, ſic enim loquebatur:

Accipe quam tribuas natis clariſſima rerum.

Palladis coloſſus ex altera parte palmam dabat cum his verbis:

Accipe pro meritis palmæ victricis honores.

Notabatur in coronice huiuſmodi ſcriptura:

CLARÆ EVGENIÆ ISABELLÆ PVDICITIÆ ET CASTITATIS TEMPLO, ET ALBERTO HEROVM MAXIMO TICINENSIS CIVITAS.

Intercolumniorum loculamentum aram argenteam cum flamma oſtendebat, quæ ante Auguſtas ferri ſolet, vt Lipſius annotauit ad librum primum Annalium Taciti. Qui hanc ignis præferendi originem temporibus Antoninorum tribuit, vt ex Herodiano in Commodo refert de Lucilla eius ſorore, item de Marcia eius concubina: ſic de Pertinace apud eundem. Citat idem M. Antoninum in libris vitæ ſuæ, eumque morem ait Romam traductum è Perſis, quorum regibus prælatus ignis, vt ex Xenophonte lib. 8. & Aſiaticis ex Ammiano lib. 23. Aſſcriptus fuit huiuſmodi titulus:

TE DVCE.

In ſiniſtro, palmæ arbor cum ſuis fructibus in coronam plexus, trunco adiacebat lapis alectoria, alludens ad Milonem Crotoniatam, qui in certaminibus ea vſus dicitur, inuictuſque fuiſſe, addebaturque:

SINE TE.

Eodem loco Caſtor & Pollux in candidis equis, cum ſtella in capite noſcebantur, verſibuſque:

Tyndaridæ iunxit quos iam concordia fratres,
His quos nectit amor ſidera clara manent.

In arcus teſtudine diſtinctis locis ſpatiiſque pictus erat leo ſuperans elephantum:

DEXTERITATE AC VIRIBVS.

Monoceroti & fonti circunſtant animalia, nec audent accedere, niſi intincto eius cornu, hoc verba explicabant:

NI PRIVS IPSE.

In poſteriori arcus parte Mercurius cælo deſcendens ad inferos fugabat Diſcordiam, Inuidiam, & Furias, aliaque monſtra humanam quietem perturbantia, ad illa enim hic ſermo ſpectabat:

ABITE ILLVC VNDE MALVM PEDEM ATTVLISTIS SECVLI INCOMMODA.

Prope portam D. Mariæ in pertica dictam, arcus triumphalis inſcriptum habebat:

QVÆ

QVÆ OLIM AVSTRIACÆ GLORIÆ AC TRIVMPHIS EXCIPIENDIS PATENS FVIT, EADEM AVGVSTISSIMIS ISABELLÆ ET ALBERTO PRINCIPIBVS FELICISSIMI ITINERIS AC MAXIMARVM VICTORIARVM AVSPICII INSIGNIVM RECLVDITVR IANVA.

Phœbum in latere pictum hîc videbant imberbem, radiis cinctum atque aurea chlamyde, cum ocreis inauratis, lyram tenentem, altera sagittas asscriptis verbis:

SPONTE SVA.

Ex altero latere Luna seu Diana cæruleam amicta vestem stellis plenam, cum iaculis in manu. Quatuor elementa in totidem quadratis erant depicta, ignique asscriptum:

FVLSERE IGNES.

Aeri:

LIBER NVBIBVS ÆTHER.

Aquæ:

ORBIS DEVICTA VICTRIX.

Terræ:

AVSTRIACO PATET IMPERIO.

Nec bonum Euentum oblitus erat pictor, magnificè exculptum, pateram vnâ, spicas & papauer tenentem alterâ, vt nec fauorem Diuinum nudi & aligeri iuuenis forma, cum oculis obuoluris, rotam pedibus calcantem, versus declarabant mentem auctoris:

En fauet Austriacis Diuina potentia rebus,
Ecce Dionæi procedit Cæsaris astrum.

Contenderunt honesta æmulatione iterum Academici, quorum Ticini quatuor sunt palæstræ, siue in litteris politioribus collegia. Primum est Affidatorum, alterum Accuratorum, tertium Intentorum, quartum Otiosorum. Hi dum arcus erigerentur quasdam inter se contentiunculas mouebant siue gloriæ stimulos. Ego hîc à iudicio abstineo, sed rei gestæ scriptorem ago, Affidati solitum suum symbolum in medium protulerunt, Volucrem femellam (Stellinum ipsi vocant) quæ oculis fixis Mercurij stellam intuetur, ouumque suum eodem momento in terra fractum videt, vnde tenellus prodit pullus, verba sunt:

VTRAQVE FELICITAS.

Intentorum commune symbolum Ceruorum est, qui dum alter alterum in aquis sustinet, enatant ad ripam, asscriptum illis est:

PER MVTVA NIXI.

Hæc symbola in aliquibus locis maximè opportunis erant posita.

Aliud symbolum erat Gygni aut Onocrotali, sed existimat auctor Cygnum fuisse, qui inter alias volucres ignobiles ex vulgari opinione canens, illarum oculos in se conuerterat, habebat asscriptum:

CONTICVERE OMNES.

Hirundo stramentum rostro tenens, volansque:

INCONCVSSA MANEBIT.

Sed vt hæc Augustissimam domum Austriacam non tangunt, sic ab aliis quodammodo explodūtur, responsum autem fuit ab Academicis Affidatis per symbolum Phœnicis, vti credirur, renatæ, auibus circunstantibus ignobilioribus cum verbis:

INTENTIQVE ORA TENEBANT.

Alteri symbolo respondebatur per Ceruum cui decidunt cornua signo Geminorum oriente, quod per verba explanabatur:

IAM DECIDVNT.

Addebant iidem duo symbola Cerui obscuram petentis specum, siquidem:

PVDOR ABDITA MONSTRAT.

Cerui erat alterum stolidè aspicientis intensum arcum venatoris in illum iaculum emittentis, titulus est:

NEC EVITARE NOVIT.

Non

Non tacuerunt Academici Intenti, ſed reſponderunt per aliud emblema, auiculæ nimirum, quæ viſa aquila volare altiùs metuit, appoſito hoc ſymbolo:

D'ASCENDER NON M'AFFIDO.

ASCENDERE DIFFIDO.

Hîc non obmutuerunt Affidati, ac pictæ volucri immenſæ magnitudinis, Ruc apud Indos vulgò dictæ ceruum vnguibus tenenti, aquilæ effigie, de qua plura Paulus Venetus, aſſcripſerant:

IMMINENS EXITIVM.

Poſuerant alij Solem in medio hemiſphærij, & auiculam pro ſymbolo λοξίαν Græcis dictam, à roſtri obliquitate, quæ ſola tacet media æſtate cantantibus ceteris auibus, addiderant:

CONTICESCERE FAS EST.

Cui reſpondebatur per Ceruum languidum humi ſtratum, ſole aſcendente medium hemiſphærium, quod ſic explicabatur:

PER TE DEFICIO.

Nec defatigati ſubiungebant Intenti noctuas ſimul plures, cum verbis:

NE PVR L'VNION LE AFFIDA.

NEC FIDVNT MVLTITVDINI.

Quibus per eaſdem noctuas reſponſum eſt, quæ ſole oriente diffugiebant, eratque aſſcriptum:

EXORIENS FVGAT.

Iidem & aliud ſymbolum poſuerunt Cerui ſolo ſpiritu ſerpentes extrahentis è ſuis latibulis ad eos necandos, verbum erat:

VEL SOLO SPIRITV MORDACES VRO.

Huic reſponderunt Cedri ramo Affidati, qui flammis exuſtus ſerpentes fugabat, aſſcripſerant:

FRAGRANTIA TANTVM.

Symbolo Cerui cornua mutantis, per Intentos reſponſum eſt per eundem Ceruum cornibus exutum, additumque:

VT VALIDIORA RESVRGANT.

Affidati verò Ceruo ſine cornibus & genitalibus aſſcripſerant:

PVI RENASCER NON PONNO.

NEQVEVNT SIC DEMTA RENASCI.

Aquilam pennis orbam prope fontem poſuerant Intenti, cum verbis:

RENOVARI NEQVIT.

Affidati contra aquilam volantem, & aſſcripſerant:

SVMMA PETIT.

Poſuerant Intenti Ceruum paſcentem in florido prato, & à muſcis aut œſtro exagitatum, cui aſſcripſerant:

INERTIVM NON PVNGVNT ACVLEI.

Contrà Affidati ceruum depingebant à paruis inſectis vexatum & fugientem, aſſcripta verba erant:

VEL MINIMA QVÆQVE.

Vrgebant Intenti Affidatorum ſymbolum auiculæ Mercurij ſtellam intuentis, aſſcriptumque verbum:

SERVIAM INERS.

Negabant Affidati ſymbolum eſſe, nam Ceruus infra erat poſitus, ripæ adnatans, cum verbis: CÆLVM EGO, TV TERRAS.

Porrò dicentibus metu aquilæ Intentis, ASCENDERE DIFFIDO, reſpondebant Affidati per Accipitrem maiorem volucrem ſuperantem, addebantque:

VIRIBVS NON CORPORE MAGNO.

Olor verò cui asscriptum, CONTICVERE OMNES, sic per eundem respondebatur:

CANIT MORITVRVS.

Hæc vulgaris est quædam opinio de flebili in morte olorum cantu, teste Plinio libro 10. cap. 23.

Addiderant & alia quædam emblemata, Ceruum scilicet naribus nigris, verbumque:

QVOAD ABLVAT IMBER.

Ceruam item quæ hinnulos ceruinos ad fugam instruit:

DARE TERGA DOCET.

Obesior fit Ceruus in latibulo suo iacens:

HAVD PEDIBVS, PINGVEDINE FIDIT.

Alius item Ceruus cum auribus in terram fixis:

NON BENE AVDIT.

Truncato capite vritur Ceruus, congregans serpentes:

ALLICIT ODORE.

Huiusmodi velitationibus ad ingenium acuendum operam dabant Academici, gloriæ Principum ac suæ item studiosi.

DVX Parmensis Raynutius Farnesius, suas hîc Celsitudines salutatum superuenit. Tertio Nonas Iulias Mediolanum ingrediuntur, Castellæ Comestabili cum omni nobilitate obuiam procedente, amplissimo Senatu ad portam expectante, quam opere materiato magnificè exornandam in formam arcus triumphalis, ibiq; solemnem nuptiarũ Regię Maiestatis, suarumque Celsitudinum celebrationem Valentiæ factam splendidè depingi Magistratus curauerat. Vniuersi populi acclamatio gratum Archiducis cum coniuge lectissima ex Hispania reditum, & tormentorum tota vrbe displosorum sonitus comprobauit: Deo etiam publica in templo vota soluerunt, ac eodem palatio, quo prius Regina, excepti sunt & vsi. Quamplurimi Principes, atque inter ceteros Senatus Veneti legatus salutatum & officia beneuola oblatum certatim aduenerunt. Pontificis quoque nomine Cardinalis Dietersteinius legationis ad suas Celsitudines munus obiit. Deinde post solemne sacrum in summo templo celebratum, rosam auream consecratam Serenissimæ Infanti, sacrum item ensem Archiduci dono dedit, tanquam fidei defensori. Ludorum porrò & saltationum cum personatis tota vrbe hominibus mira fuit varietas, ac lepida oblectatio: & quicquid arte elaboratum in Mediolanensibus officinis repetitur, Senatus mandato, palàm fuit expositum suis Celsitudinibus per vrbem vectis spectandum. Quin etiam omnium insignis alicuius industriæ operum artifices in vnum locum collecti, ac suæ singuli artis præsentibus Principibus specimen exhibentes gratissimo eos spectaculo detinuerunt. Pridie verò quàm illinc discederent acta festiuissimo argumento comœdia, cum ludicris Atellanis eximio personarum & scenæ apparatu finem publicæ gratulationi fecit.

DISCESSERVNT Mediolano D. Magdalenæ festo die, ac Seronam peruenerunt, vbi Virgo Deipara miraculis est clara. Inde ad Tradates, hinc Varesium perrexerunt. Heluetiorum postero die fines ad Tressæ amnis pontem attigerunt, vbi Regius apud illas gentes legatus, & ex fœderatis Heluetiorum ciuitatibus optimates adfuerunt, & de transitu Alpium opportuno edocuerunt, operamque beneuolam suis Celsitudinibus & officia detulerunt. Postquam autem opidum munitissimum Belincionam, & Heluetiorum pagos aliquot transiuissent, Faidumque ad montis radices peruenissent, summa Alpium iuga quas Pœninas vocant, & recenti nomine S. Gothardi montem pridie Cal. Augusti ascenderunt. Post descensum in eam Heluetij agri partem venerunt, quam Vrij confœderati incolunt. Altum opido nomen est haud procul à Lucerino lacu, quem postridie

nauigiis

nauigiis traiecerũt, à Regio legato ibidem præparatis. Haud procul Lucernâ præfecti & Senatus obuiam processerunt, suasque Celsitudines gratulabundi exceperũt, & pro gentis consuetudine opimum bouem panno instratum ac per quatuor personatos agresti cultu Siluanos adductum obtulerunt. Triduo apud Lucernates commorati, & aliquot deinde Heluetiorum pagos triduo itidem emensi, Basileam sunt ingressi, ibique dispositis vicatim armatis displosisq; tormentis à Senatu Reip. Principes excepti & salutati sunt, ritûque regionis duo eximij boues oblati, & in equorum pabulum auena. Decreuerant Archiduces, cùm Italia excederent, in hac profectione Burgundiam inuisere, atque ex Heluetiis iter illuc deflectere, sed rebus Belgicis aduentus eorum festinationem quàm maximam flagitantibus, mutarunt sententiam, ac per agrum Alsatiæ mediámq; Lotharingiam iter instituerunt, primóque ingressu in Deodatensi opido, deinde Lunevillæ noctem transegerunt, atque in itinere à Barri Duce & Comite Vaudemontio perbenignè excepti, & Nanceium sunt deducti. Nullum hic officij genus nec beneuolentię testimonium à Lotharingiæ vtriusque sexus Principibus humanissimis, fuit prætermissum. Nanceio digressi prope Musipontem Ducem Lotharingiæ in reditu suo ab aquis Spadanis in Eburonibus, quo se contulerat valetudinis causa, cum filio Cardinale eo die in itinere comites habuerunt, vespere conuiuas.

POSTRIDIE Metensem in Mediomatricibus vrbem præteruecti, quam vt ingrederentur Regius præfectus beneuolè inuitauit, ab eodem cum bono equitum comitatu vsque ad Luxemburgi limites sunt perducti. Hîc equestres turmæ Belgij quodam robur mille equitum delectorum ad Principum suorum ministerium expediti præsto adfuerunt. Prima ante alias Belgij ditiones hospitij Archiducum ornamento aucta est, Thionis, vel vt alij Theodonis villa, opidum & præsidium regionis munitissimum. Prouinciæ prefectus comes Mansfeldius cum nobilibus aliquot Luxemburgensibus quamprimùm accessit, nouisque Principibus ex veteri fide obsequium suum detulit. Ducatus metropolim Luxẽburgum duodecimo Cal. Septembris sunt ingressi, consueto ante portam loco à prouinciæ consilio & ordinibus expectati, vbi clauium traditione potestas & possessio ipsis quoque fuit tradita. Gestabant vmbellam sub qua Principes incedebant, è magistratu aliqui, ceteri præcedebant subsequente cleto tribúsque Prælatis. Archiduces felicis in proprias ditiones aduentus sui voto in diui Francisci æde persoluto, ad palatium diuerterunt. Neque defuerunt ignes sub noctem gaudij indices. Postridie suburbanum Mansfeldij Comitis prædium perlustrarunt, situ loci opportunum, structura sumptuosum, rara supellectile & ornatu magnificum, fontibus amœnissimum. In vrbem reuersos adierunt Ordines, nuptiarum auspicia, Principatus primordia, & successus rerum prosperos lætósque exoptantes: suæque voluntatis & fidei arrhabonem non paucis, pro ærarij per continuas belli clades exhausti ratione, aureorum nummûm millibus Infanti donatis, reliquerunt.

SVÆ verò Celsitudines iter suum prosequentes, & in singulis suis opidis Arluno, aut araLunæ, Bastonaco, & Marza ducatus Luxemburgici ac Sinæi in Eburonibus noctem vna commorantes, secundam ditionum suarum prouinciam quintum Cal. Septembris Namurcum sunt ingressi. Princeps Coméisque Florentius Barlaymontius cum nobilium equitatu in obsequio deferendo, officio suo haud defuit. Claues item oblatæ, ciues armis conspicui ac vicatim dispositi, gentis natæ ad militiam specimen exhibebant. Archiduces sub insigni vmbella equitantes ad templum S. Albini descenderunt, ibíque diuino auxilio imploraro, se ad paratas aulæ ædes recipiunt. Binis postero die certaminibus ludicris, vno grallarorio, altero nauali iuuentus Namurcensis se publicè exercuit, ipsósque Archiduces spectarores habuit. Grallatorum paria magno hinc inde numero sunt producta, qui furculis ad perticas longiusculas alligatis altè insistebant, Ægipanas imitati, vt Festi verbis vtar, graduque citatissimo in se mutuo incurrentes corpora collidebant, deiecti plausum turbæ clamorémque prouocabant: quemadmodum in naui-

culis aduerso remigio velocissimè concurrentes spectaculi voluptatem reddebant auctiorem, quò frequentiores in scaphæ puppi stantes certatores excussi in aquas laberentur, omniumque in se ora risumque conuerterent.

POSTQVAM verò Namurco discessissent, & Brabantiæ limites sunt ingressi, Ducatus eius Ordines constitutos suos Niuellam præmiserunt, Illustrissimos nimirum & Reuerendissimos Matthiam Houium Archiepiscopum Machliniensem, Guilielmum de Bergis Episcopum Antuerpiensem, Robertum Heurion Abbatem Villariensem, & Philippum de Roubergen Grimbergensem Prælatum ex primo Ordinum membro: Ducem Croiacum & Arschotanum, D. Gerardum de Hornes Baronem Bassigny & Boxtelæ, D. Iacobum de Bergis Baronem Grimbergæ, D. Lancilotum Schetz de Grobbendonc Baronem VVesemalæ, ex altero: cum quatuor ciuitatum metropolitanarum Conss. D. Richardo de Pulle Louaniensi, & M. Guilielmo Guilielmi eiusdem vrbis Pensionario: D. Henrico de Donghelberghe Bruxellensium Consule, cum M. Ægidio Martini eorundem Pensionario: D. Blasio de Bejar Equite, Consule Antuerpiensi, cum M. Henrico Schotti eius vrbis Pensionario, ac M. Guilielmo Reys Syluæducensi item Pensionario, Philippo Masio Ordinum Actuario, & Theoderico vander Beken Quæstore eorundem generali. Qui vbi Bruxellæ in Ducis Arschotani ædibus conuenerant, tertio Cal. Septẽbris Niuellam hoc ordine sunt profecti: Tubicines cum nobilibus ephebis & familia Ducis agmen ducebant. Ordinum Quæstor generalis, eorum Graphiarius, Siluiducensis, Antuerpiensis, Bruxellensis, & Louaniensis Pensionarij: sequebantur deinde earundem ciuitatum Consules, postea Barones cum quibusdam Ducis cognatis, tum vterque Prælatus, Dux inter vtrumque Episcopum equitans, qui locus honoris caussa ob ingentes sumtus in Ordinũ gratiam factos delatus illi fuit, cum suis à pedibus stipatoribus, extremam aciem equites octoginta excedentem claudebant. Niuellam transuecti sero licet vespere ab altera opidi parte suis Celsitudinibus obuiam processerunt, de ipsorum aduentu per Solræum Comitem iam tum certioratis. Cùm ex equis descendissent, ac comitatus & stipatorum agmen aliquantum præteriisset, ad rhedam qua suæ Celsitudines vehebantur, omnes subsistentes Infantem serenissimam ac deinde Archiducem reuerentia quàm potuerunt maxima singuli salutarunt. Ordinum aduentum pergratum sibi esse vultu placido ipsa Princeps nutuque declarabat. Tum propius accedens Graphiarius Masius hac oratiuncula Celsitudines allocutus est.

NIHIL vnquam Belgio, nihil huic potissimùm, qui inter septendecim vestrarum Celsitudinum Belgicas prouincias primum locum obtinet, Ducatui Brabantiæ, PRINCIPES SERENISSIMI, fuit optabilius, nihil accidit gratius, quàm Principum suorum conspectu & presentia fruendi opportunitas; ad quos arduis in rebus faciles essent aditus, liberæ in periculis populi querimoniæ, & in quorum patrocinio salutem Reip. omnes constituerent. Neque ipsis Principibus apud subditos suos esse, audire postulata, ac malis eorum mederi, malè cessit. Quod maiorum exemplis haud aliis probabimus, quàm Caroli v. aui vestri memoria, ex animis Belgarum nunquam deponenda, qui ad quæuis discrimina in his prouinciis orta, nullius laboris nec viæ pertæsus ad pericula auertenda persæpè aduolauit, internos motus sedauit, externos represit, ac difficultates in Belgio emergentes, matura remedia adhibendo superauit. Quemadmodum Ordinum generalium nomine tibi ante tuum, PRINCEPS SERENISSIME, in Hispaniam discessum, longiori oratione quàm hîc locus postulat, vel tempus admittit, expositum esse meministi. Verùm enimuerò quum ob rerum statũ Regiæ Maiestati inclytæ memoriæ, & ob regnorum maximorum negotia ab illis abesse, & per prouectam ætatem eius ad nos venire minus erat integrum, eamque ob causam has Belgicas prouincias in dotem Serenissimæ Filiæ suæ conferre satius esse duxit, incredibili gaudio Brabantiæ Ordines affecti fuerunt, maximè cùm eandem Serenissimo Archiduci vitæ

sociam

sociam dedit. Certò enim sibi persuadebant hoc vnum diuturnis calamitatibus nostris finem imponendi remedium superesse, quod non solùm rumoribus rationi consentaneis, sed perlatis ad nos litteris & promissis nitebatur, & in omnium animis radices altas egit, vestras nempe Celsitudines nihil æquè desiderare, quàm bellum conficere, prouincias perpacare, optimos suos subditos suis legibus tegere, & iisdē priuilegia à maioribus concessa, iureiurando per vestras Celsitudines firmata, & adhuc firmanda, farta tecta conseruare. Hac Brabantiæ Ordines fiducia confisi, & officij sui, vt par est, admoniti, amplissimos qui hîc adsunt & præstantissimos viros Oratores suos ad Brabātiæ limites cum mandatis ablegarunt, vt lætitię è felici profectionis successu ab ipsis exoptato testimonium dicant, & desideratissimis Principibus suis aduentum gratulentur, vestrasque Celsitudines enixè deprecentur vt ad erigendam Remp. se accingant, quæ è suo statu tantopere est emota, vt nisi quamprimùm salutiferas manus ei adhibeatis, quemadmodum è felici in prouinciam ingressu benè Ordines ominantur, cum ingenti omnium periculo tota ruet, neque post euersionem restitui facilè poterit. Quamobrem per hos legatos suos orant, vt nulla opportunitas aut occasio differatur, qua confici bellum queat, prouinciis tranquillitas æquè expetita atque necessaria, Belgio suus splēdor & felicitas restituatur. Ad quam rem perficiendam nihil Ordines prætermittent, quantum quidem poterunt pro præsenti rerum statu, quidquid ab eorum studiis, opera & obsequio desiderare possitis, quę semper beneuola, propensa & paratissima cum iis vti libet, aliorum item harum regionum fidelissimorum vestrorum subditorum, vtpote qui ex doloris sensu, quo tot iam annis sunt affecti, remedia huic malo applicanda didicerunt, vestræ Celsitudines reipsa experientur.

HÆc Masius, ad quæ Principes paucis responderunt, & Ordinibus, qui tam longè obuiam ipsos miserant, magnas gratias egerunt. Ceterùm de suo in prouincias affectu, quantus à clementibus optimisque Principibus expectari potest, securos esse iusserunt. Niuellam inde sunt progressi, atque opidum intrantibus, ordo Ecclesiasticus salutare Crucis signum deosculandum præbuit, tum ad templum deducti, vbi Abbatissa vnà cum nobilissimis sui sexus Canonicis Principes reuerentia quàm maxima exceperunt.

Hallam postridie peruenerunt, quo loco Hannoniæ videlicet limitaneo legati cum Duce Arschotano toparcha, quem Bailliuum magnum vocant, & prouinciæ præfecto gratulationis munus obiuerunt. Illustrissimus Cardinalis Austrius Andreas, qui absente Archiduce res Belgij administrauit, ibi etiam adfuit, & imperio se abdicauit. Biduo Hallæ substiterunt, vt cultui diuino in æde Virgini Deiparæ sacra operam darent, ac vt Bruxellensibus ad apparatum perficiendum, aliquid temporis prorogarent. Dux quoque Mantuanus suas Celsitudines in hoc opido inuisit, quæ postridie prope Bruxellam se in Abbatiam Cameræ receperunt, quæ quarta miliaris parte ab vrbe distat, ac noctem ibidem exegerunt.

BRVXELLA.

SEQVENTI die, ipsis nonis Septembribus qui Dominicus erat, hora post meridiem prima, Magistratus equo vectus, suas Celsitudines extra portam Louaniensem in campo spatioso exspectabat. Amictu vtebatur ex veteri consuetudine, Ammannus nimirum, Consul, Senatores, Thesaurarij & Pensionarius togis holosericis longiusculis rubris, veste interiori cum galeris holoserica nigra, thoracibus ex raso cinereo; alteri Consulum qui ex plebe creatur, vt prior ex nobilibus, Quæstoribus Consiliariis, Secretariis & Graphiariis similes togæ Damascenæ dabantur, galeri holoserici non rasi, thoraces ex serico quod armesinum vocant. Eodem campo ciues in acie consistebant numero bis mille, armorum splendore longè nitidissimi. Ex alia parte quinque cohortes iureiurando ciuitati obstrictæ quas ἑταιρίας Græci vocant, ceu quædam sodalitia & contubernia quæ ex ciuibus constant dignissimis, coloribus Infantis rubro siue russo, cœruleo candidoque eleganter amicti, cum thoracibus candidis, caligis cœruleis, hic holosericis, rasis alius, sericis reliqui, ac rubris tibialibus, armorum item ornatu venustissimo, cum eiusdem coloris struthiocamelinis ex Africa pennis quibus galeæ conos exornarant. His imber densissimus, vt & reliquo cultui velut bellum indicebat. Hora circiter tertia post meridiem adfuerunt Principes carpento vecti cum virorum generis claritate maximorum ex omnibus nationibus insigni comitatu, tam ex iis qui fuerant in Hispanica profectione, quàm qui obuiam processerant. Vbi ciues sclopis suis ter illos militariter consalutassent, Magistratus ex equis descendens se Principum rhedæ viciniorem fecit, ac Pensionario sic perorante aduentum iisdem gratulatus est.

INTER opera diuina quæ omnipotens Deus generi humano largiri dignatus est, SERENISSIMI PRINCIPES, hoc maximum esse omnino existimamus, quòd populo suo optimis Principibus prospectum esse voluit, quorum virtute & prudētia singulari gubernaretur & regeretur in iustitia & æquitate. Quod quidem beneficium incomparabile quum hodierno die per felicem aduentum & præsentiam vestram Senatui populoque Bruxellensi affulserit, se offerunt exhibentque submissione & reuerentia quanta possunt maxima, & Diuinæ Maiestati dignas gratias agere se posse diffitentur, vel gaudium exprimere summumque desiderium, quod habent flagrantissimum, vt omni vos cultu & honore prosequātur: præsertim cùm vestræ Celsitudines longa serie à maximis & gloriosissimis Imperatoribus & Regibus originem ducere compertum habeant, qui orbem Christianum virtutibus suis factisque præclaris in pace & tranquillo rerum statu conseruarunt, præcipuè has prouincias tot tantisque beneficiis affecerūt, vt inter alia Regna atque ditiones existimatæ fuerint optimè administratæ, copia rerum omnium & splendore affluentes, ac inter felicissimas mundi vniuersi. Verùm quum vel ad peccatorum nostrorum punitionem, vel iusto Dei iudicio contigerit, vt hoc funesto triginta quatuor annorum bello in extremam inciderint calamitatem, vestrasque Celsitudines ad eas vocauerit, tanquam legitimos earum Principes ac Dominos, donatione quam magnus ille Monarcha tibi, PRINCEPS SERENISSIMA, fecit contulitque, Maiestate fratris assentiente, ratumque habente, quem actū memorabilem omnium voces prædicant; nemo est qui in vestras Celsitudines oculorum non figat aciem, & in faustum hoc connubium vestramque prudentiam insignem, qua bonitatem quà vestræ prouinciæ à tanta malorum mole respirare ac pristinum statum recipere debent. Quæ quidem felicitas tantopere exspectata vt ad hanc vrbem vestram atque domicilium magnopere etiam spectat, Senatus populusque cum incredibili acclamatione & gaudij testimonio Celsitudines vestras deprecantur, orant & obsecrant hanc eorum gratulationem receptionemque vestram, gratam sibi esse sinant, eosque teneant & conseruent in suis pri-

ſuis priuilegiis, antiquo iure & conſuetudinibus ſibique habeant commendatos, vt deuotos obſequentes & fideles ſuos ſubditos.

Cvm finem feciſſet Penſionarius, per Præſidem Richardottum reſponſum fuit, & gratiæ actæ Magiſtratui pro fideli & beneuola in recipiendis Principibus ſuis opera, ſe porrò omni fauore & auxilio vrbi adfuturos quandocúque ſe commoda eius offerret occaſio. Tum Ammannus nodoſam ſuam virgam, Imperij inſigne, claues Conſul obrulit: vtrique ab Infante, illi enim offerebantur, fuerunt reſtitutæ. Ingenti deinde tormentorum fragore omnia miſcebantur. Portam verſus Principes cum vniuerſo comitatu contendebant, vbi è carpento deſcendentes ad ſolemnem introitum ſe parant. Fuerunt ad vrbē ſalutati Muſico concentu, exſpectantibus eos duodecim viris generis claritate aliiſque vitæ ornamentis inſignibus, qui vmbellam ex panno argenteo, ipſi amictu eodem ſplendidi, paratam habebant, vt Principes ſub eadem exciperent. Centum quoque rogati aderant honeſtiſſimi ciues, qui funalibus accenſis capite detecto vtrinque ad Principum latera incedebant. Hac pompa vrbem ingredientes in recta via Louanienſi arcum offenderunt triumphalem, & ſuper eius epiſtylio pictam viderunt ſingularis artificis penicillo, Regis Catholici in ſolio regali ſedentis imaginem, ad dextram filium Principem, & in eius conſpectu Infantem Sereniſſimam. Rex illi ramum offert de quo ſeptemdecim ſcuta dependebant, totidem inſignibus prouinciarum conſpicua. E regione iacebat Belgica neglecta, ſordidata, vepribus obſita, alleuante eam Mercurio ac manu indicante ceſſionem donationemque quam Regia Maieſtas filiæ faciebat, addebantur verba:

HÆC META OPTATA LABORVM.

In ſummo arcus faſtigio eadem Belgica è ligno dedolata vno pede terræ, mari altero inſiſtebat, aſſcriptumque:

TERRA SIMVL ET NOTISSIMA PONTO.

In tranſitu molis ad latus dextrum Iaſon erat adumbratus cum claua & vellere ouis aureo, draconem pede calcans: aſtabant tauri, qui ignem naribus videbantur ſpirare, cum verbo:

ASSIDVITATE.

Quo Princeps Albertus ſymbolo vtitur. Ad læuam Hercules & Hymen compedibus ſtringentes & vinculis furorem, legebatur:

VIRTVS ET VICISSITVDO.

Ad latera prioris frontis huius machinæ, hinc cernas Arthemiſiam, cuius ab hiſtoricis laudatur pudicitia, quòd mariti mortui commiſtos vino cineres ebiberit, ſplēdidumque ei erexerit monumentum, inter orbis miracula relatum, cum hoc titulo:

NEC MORTE REFRIXIT.

Illinc Gracchum & Corneliam de obitu diſceptantes, illo potius coniugi ſalutarem, quàm ſibi partem augurij ſequente, appoſitis verbis:

FERVENS SIC CERTAT AMOR.

Intercolumnia habebant loculamenta commoda ſtatuis Principum collocandis, quæ ducali habitu ornatuque placebant. In poſteriori arcus facie in eiuſmodi intercolumniis receptaculiſque hinc Galliam videbamus, illinc Belgicam, vtraque funiculum frondibus oleæ coopertum tenebat, Regiæ Maieſtatis inſignibus alligatum, ad pacem Gallicam demonſtrandam. In eadem facie ſuper epiſtylio in quadrata tabula Æneam noſcebamus cum Lauinia Latini filia, quo connubio bellum conquieuit inter Latinos & Troianos, nec diſcrepat inſcriptio:

SIC FINEM POSVERE MALIS.

Super quatuor columnarum ſtylobatis hæc emblemata conſpiciebamus, duos turtures vnico inſidentes ramo annulos connexos roſtris tenentes, titulus indicabat quod eſſet:

LÆTA

LÆTA VNANIMITAS.

Alueare apum erat alterum, coronam è violis suprà, ex itide Illyrica habens infrà, & verba:

CASTA FOECVNDITAS.

Symbolum boni felicisque coniugij corniculæ binæ pro tertio emblemate locum obtinent, cum hoc elogio:

FIDA SOCIETAS.

Pro quarto ponebatur Genius vel Cupido adamantem incudi impositum tenens, & brachium è nubibus, vt videtur, exsertum in gemmam malleo vi summa feriens, sensus erat:

INVICTVS AMOR.

In reliquis stylobatis frontis aduersæ gemini hinc Olores masculus & femella arguebant quòd esset:

NVSQVAM DISPARITAS.

Inde pronuba Iuno & penes illam infans velut recèns natus, cum verbis:

FELICITER.

Citharæ duæ, quarum hæc manu pulsabatur, altera videbatur per sympathiam eundem sonum reddere:

CONSENSVS.

Saturnus in quarto pictus apparebat, Plutum secum ducens:

DIVTISSIME.

Interstylobatia variis decorantur Diis & Deabus, pro artibus quibus Belgica est celebris: per Mercurium Artes denotantur, per Neptunum Nauigatio, per Apollinem & Musas, Litteræ, Mineruæ sacrum est lanificium, Dianæ Venatio, Thetidi Piscatio, Cereri Agricultura, Opi Vbertas, Marti Arma, Vulcano Metalla, Pani Armenta, colebat Pales pascua, Flora Hortos, Naiades Fontes, Pomona Fructus, Iuno pro insigni cælestem habebat Iridem, & adscriptum:

SALVBRITAS.

Supra Archiducis & Infantis statuas inscriptio hæc erat:

QVOD DIVINO ASPIRANTE NVMINE PHILIPPVS II. HISPANIÆ REX ISABELLAM FILIAM OMNI VIRTVTVM GENERE PRÆSTANTISSIMAM SERENISSIMO ARCHIDVCI ALBERTO AVSTRIACO VXOREM DEDERIT, EIQVE HAS DITIONES IN DOTEM CONTVLERIT.

QVIBVS OPT. CLEMENTISSIMISQVE PRINCIPIBVS AFFLICTA BELGICA A TOT TANTISQVE CALAMITATIBVS SE RESPIRATVRAM CONFIDIT S. P. Q. BRVXELLENSIS: SVMMA ANIMI PROPENSIONE GRATVLABVNDVS PVBLICÆ LÆTITIÆ TESTIMONIVM P.

Vbi ad locum ventum est qui hortis Principum est vicinus, in octodecim pilis totidem leones cum vexillis notabamus, & in scutis depicta insignia ditionum, quas Baronias vocant, ducatus Brabantiæ: in medio theatrum, vbi Nympha referebat splendido amictu & ornatu Brabantiam, ad dextram Apollo cum Musarum collegio, læuam occupabat Pan cum Nymphis Satyrisque. Canebant omnes nouam Principum honori cantilenam. In fastigio hæc carmina legebamus:

Fæcundæ donis Cereris rurisque benigni
Diuitiis præstans, & multa nobilis arte
Ingenij, magnisque viris & mœnibus altis,
Et vario vitæ celebrata Brabantia cultu,

Phœbi

Phœbi sacra domus, Musarum dulcis alumna,
Belgiaci culmen cœtus & prima sororum.

Ad cœmeterium D. Gudilæ aliud fuit theatridium, & ibi virguncula quæ Limburgum alterum ducatum eiusque insignia sustinebat, hoc versus denotabant:

Gramineos campos, & pabula grata ministro
Armentis: mihi læta seges, mihi fertilis ima
Rupe lapis residet, fuluo vnde augmenta metallo
Adduntur, tacitisque æquant prouentibus aurum.

In decliui via è templi regione, alia item virgo pegmati imposita, pro ducatu Luxemburgi se Principibus offerebat, quod carmen suprà appositum declarabat:

Nympha ego Cæsareis non rarò ornata coronis,
Condensas habito siluas, mittóque ferinam,
Lanigerósque greges: & nostris strenuus agris
Dura pati assuetus solet ire in prælia miles

Hinc ad templi propylæum suæ Celsitudines ex equis descendentes, ab Archiepiscopo Machliniensi, qui ad solemnem hunc actum præcesserat, ac Pontificium habitum sumserat cum vniuerso ciuitatis clero, in primarium eius vrbis D. Gudilæ templum sunt deductæ, duplici Canonicorum collegio insigne: In cuius vestibulo Austrum spectante (quòd pluuia continua prodire obuiam vlterius non permitteret) à Canonicis excipiuntur, Archiepiscopo Crucem ipsis in genua procumbentibus osculandam porrigente, ac lustralem aquam aspergente. Decanus deinde Petrus Pantinus Tiletanus, qui cum iisdem Principibus ex Hispaniis redierat, ipsisque à sacris erat, breui oratiuncula Gallica, aduentum Cleri Bruxellensis nomine congratulatur. Summum postea altare accedentes, precibus fusis templum cum voluptate lustrant, peractisque cæremoniis, ac laudibus pro felici Principum ingressu, prospero progressu, Deo regnorum præsidi decantatis, equos iterum ascenderunt, primoque occursu pegmati magnifico, ac tribus distincto tabernaculis insidentem virginem conspexerunt, quæ ex insignibus & carmine noscebatur:

Geldria flauicomis sedes antiqua Sicambris,
Et pecore & placidæ sum felix vbere glebæ:
Virtutisque memor patriæ, non segnis in armis
Fortem equitem peditémque simul sub signa repono.

Non longo ad proximum quadriuium interuallo pegma elegantissimum Flandriam per virginem cultissimam ostendebat, cui astabant quatuor armati nostrate panoplia, pro Comitatus eiusdem Baronibus, celeberrimam prouinciam hi versus celebrabant:

Magnificas vrbes habeo, populúmque frequentem
Flandria, & omnigeni rerum commercia vultus:
Quattuor effusis quæ mittunt fontibus amnes,
Quíque ferit vastus circum mea litora pontus.
Est mihi pingue solum passim, diuésque colonus,
Et surgit teneræ nostris laus maxima telæ.

In descensu qua ad hortos olitorios dextra itur, in pegmatio haud illepido virguncula pro Artesia se gerebat, quod insignia spectatores, inscriptio huiusmodi lectores edocebat:

Nobilibus præclara viris & turgida Marte
Sto vigil, & patriæ custos confinia seruo.
Totáque frugiferis exporrectissima campis,
Nunc sulcis subigo terras, nunc versor in armis.

Exiguo ad læuam flexu, similis haud dispari loculamento Nympha, nobilissimam Hannoniæ personam referebat, versibus idem explanantibus:

Prata mihi & nitidi fontes, pulchraq́ paludes,
Marmoráque innato variè depicta colore.
Et calx & carbo, dirúmque, sed vtile, ferrum,
Nobilium cœtus Procerum, tectisque superbis
Limina sacra patrum: sunt & quæ regna tuentur
Fortia corda virûm, gens haud incognita bello.

Ad ædem Dominicanorum in simili pegmate virgo Batauiam siue Hollandiam præ se ferebat cum stricto gladio & face accensa, pedibus oleæ ramum calcans. Ad dextram sedebat adolescens cum sclopo de quo liber dependebat, vestis ex variis coloribus & partibus erat consuta, pro Hæresi is se gerebat. Sinistram eius iuuenis occupabat honesto amictu frenum manibus fractum tenens, & in aciem ensis ambulans, Libertatis typus. In fastigio pegmatis Fortuna cum rota partim alba, partim nigra, vento agitata. Columnarum loco, quæ pegmati ad latera astare debebant, bina tormenta ponebantur bellica, & illis affixæ bipennes & sagittæ, scriptura quæ esset patefaciebat:

Diuitias pecudum lactisq́ & pinguia rura
Possideo mediis vndis: dicorque medulla
Ter felix patriæ. Seruit mihi puppibus æquor:
Quæque domi studio solerti Belgica struxit
Effero, & externis satiata reuertor ab oris.
Gallica submittit Mosa, & Germana bicornis
Munera diuiso decurrens gurgite Rhenus.
Eoas merces, Borealiáque horrea, Solis
Occidui mihi pontus opes & dona ministrat.

Nec distabat prouincia Zelandia per virginem exhibita, quæ strictum dextra tenebat acinacem, ancile sinistra, iugum calcans, quod Rebellionem designabat, habebatque ascriptum:

Porta ego Belgarum mitto accipióque perenni
Orbis quicquid habet sinuosa per æquora cursu.
Oceano excubias seruo, & mea litora ventis
Vndarúmque iris immota repagula figo.

Paucis inde passibus Namurci Comitatus per insignia virgunculæ manibus detenta, & versus cernebatur:

Planitie segetis veniunt mihi munera læta:
Vmbrosi pulchra turgescunt Iaspide montes:
Lemniacos agito folles, Mauortia condo
Arma, virúmque armis aptum in certamina mitto.

Simili pegmatio insidebat Zutphania Comitatus titulo & versibus insignis, fossaque Drusiana temporibus Romanorum, vt & nunc, percommoda:

Insignis pecore & pratis herbáque virenti,
Quam rapidus placidis latè rigat Isala ripis,
Piscosósque lacus habeo, & Cerealia dona,
Gloria Menapiæ quondam non infima gentis.

Per pontem transuectos opus materiatum, structum eleganter pictúmque haud imperitè, flectendum ad læuam iter esse admonebat, cum duplici transitu. In medio pegma erat & virginis receptaculum quæ pro Marchionatu Sacri Romani Imperij se gerebat, cuius caput est Antuerpia, hoc inscriptio docebat, & Iustinianus qui instituisse Marchionatum fertur:

Imperij sacri limen me secula prisca
Ad Scaldim dixere, vetus quo gentis origo
Nobilitásque viget: nostris fortissima terris

Pectora

Pectora nata, Aquilas & Regia sceptra tulere,
Vnde genus Princeps habet & cunabula prima.

Deinde ripa fluuij qui Bruxellam interfluit, ad alterum pontem deducebat, & ibidem similis vno transitu machina viam muniebat, insignia in fastigio, & asscripti versiculi hoc opus Dominio Frisiæ dedicabant:

Irriguis spectanda aruis & gramine molli,
Tot foueo pascóque boues quot sidera cælo.
Et bellator equus, quo non præstantior alter
Spumea frena terat, nostra ad præsepia crescit.

Pontem transgressos in viridi tugurio nonnulli cantione Principes salutabant, harmonia eleganti, non musicis quidem legibus astricta, sed quam siluestrem musicam nostri, falsum bordonem vocant Itali. Vlterius progressis arcus occurrit triumphalis quadraginta septem pedibus latus, triplici transitu cum suis columnis, epistylio & zophoro. Hanc machinam Philippo III. Regi ciuitas dedicarat, coronici statuam ipsius imposuerat, cum Fide & Potentia è tabula dedolatis; quatuor orbis partes vtrinque astabāt & suæ Ma^tis insignia prætendebant, duplici hæc machina aspectu, & inscriptione decorabatur:

DIVO PHILIPPO HISPAN. REGI, PHILIPPI II. FILIO, PRINCIPVM TOTIVS ORBIS MAXIMO AC POTENTISSIMO S. P. Q. BRVXELLENSIS GRATITVDINIS ET OBSERVANTIÆ ERGO P.

Iuxta hanc molem descripti erant versus, quos Bernardus Streignart D. de Huldeberge in Principum nostrorum gratiam composuerat:

Gratus ades celebrande nouis, Alberte, triumphis,
Finibus Eois Hesperiisque redux.
Grata venis, Isabella, tuis, optatáque dudum:
Principis egregia est gloria adesse suis.
Grata dies, grata facies, grata omnia circum,
Gratáque spes pacis pectora blanda fouet.
Macte age, sume animos fortes, ô Belgica, tandem
Visa diu tristis, fracta sepulta ferè.
Pristina felici redeunt tibi secula, necnon
Aurea quæ proauûm tempora, læta dabunt.
Gratior est fessis requies quæ sera paratur,
Gratius erumpunt gaudia pressa diu.

D. de Huldenberge gratulabundus P.

Tum D. Francisci monasterio ad dextram, æde D. Nicolai ad lęuam relicta prope fori ingressum, pulcherrimus arcus tripliciter erat peruius, triumphis Alberti Archiducis insignis. Prima eleuatio in prægrandi tabula obsidionem & expugnationem Caleti, Ardæ & Hulsti ad viuum depictam complectebatur, atque hanc in zophoro inscriptionem:

FORTITVDINE AC CELERITATE INCREDIBILI CALETO ARDEAQVE EXPVGNATIS, MARINIS CIRCA HVLSTVM MOLIBVS VI OCCVPATIS, MVNITISSIMO OPIDO CONTINVIS OPPVGNATIONIBVS FRACTO, TANDEMQVE AD DEDITIONEM COMPVLSO, IN PERPETVAM VIRTVTIS MEMORIAM.

In dextro intercolumnio Martis & Archiducis effigies trophæum spectabant inter ipsos positum, cum his notis:

A MARTE TROPHÆVM.

In sinistro Pax suo more adumbrata corollam Alberti templum Iani claudentis capiti imponebat, asscriptis verbis:

A PACE CORONAM.

Posterior frons arcus leonem habebat fasciculum soluentem iaculorum colligatum, cum verbis:

DABIT VIAM VIRTVS.

Alibi Pallas cum naui velificante cursumque versus Vrsam maiorem dirigente, in nubibus apparebat ineffabile Dei nomen tetragrammaton cum verbis:

NVMINE ET PRVDENTIA.

Aderat & Circe homines in bruta animantia immutans, astabat Vlysses, eamque stricto gladio à cœpta metamorphosi cohibebat, volebat enim:

DECEPTIS REDDERE MENTEM.

In transitu hinc leo tigridi humi stratæ vngues iniiciens, ab altera parte tener agnus pascebat, hoc verba declarabant:

MANSVETIS PLACIDVS, CRVDELIBVS ATROX.

Inde aquila quæ vnguibus draconem deiiciebat, oleæ ramum dorso eius imponens, Iouis fulmen vngue complexa, addebatur:

COMPESCAM.

Ab hoc arcu in forum obliquo itinere ad ædes Senatorias, & diagonali ad egressum via, pompam deducebat materiata porticus, quæ hedera infra coronicem dependente, & insignibus Archiducum, Brabantiæ & ciuitatis supra affixis, mirum in modum hunc transitum decorabat. Ante eandem Senatoriam domum scenam temporiam poni iusserat Magistratus, qua in comicis Belgico idiomate fabulis Attellanis seu exodiis edendis vti solent. Diuorum Bruxellæ tutelarium imagines Michaelis & Gudilæ ibidē erant positæ. Suggestum domus Senatoriæ rubris peristromatis circumquaque ornatum, genere & forma spectatissimis virginibus & matronis excipiendis, alusq; virilis sexus Principibus (inter quos Dux Mantuanus) ad spectandam pompam orchestræ vice erat. Principes vmbellam hic egrediebantur, vt omnia sigillatim viderent. Nam apud duos diuos virgunculæ erant, quarum hæc inauratum tenebat iugum, nomine Obedientia, altera nauticam pyxidem, cani illa blandiebatur, Fidésque dicebatur. Inter has Nymphas Cupido consistens cum arcu & pharetra, radiis solaribus caput exornātibus, cor flammatum sceptrumque in columnam vicinam deponebat, quo significabatur, Amor populi, ille enim diadematum & sceptrorum est columna, roburque insuperabile. Ad introitum vici qui Collinus appellatur, moles triumphalis triplici transitu perquam elegans cuiuis spectatori sensum operis indicabat. Etenim supra columnarum ordinis Ionici trabeationem ingens tabula quadrata, artificioso penicillo elaborata, decem muliebris sexus effigies cum suis insignibus, contra septem alias dimicantes exhibebat, ea scilicet serie concertationis qua Belgicæ prouinciæ nunc inter se dissident. Astabat ipsa Belgica amictu bipartito hinc magnifico splendidoq; exornata, inde lugubri ac certamen flebiliter aspiciebat. Suarum Celsitudinum velut cælo missæ imagines cum oleaginis in manu ramis, prœlium dirimebant: in summo fastigio spectabatur figura serpentem manu tenens, altera pateram, humi pessundans diuinæ legis tabulas, pro Peccato erat posita. Ex aduerso muliebris forma globo insistebat, sinistra pugionem in seipsam conuersum, dextra hastam cui inuitebatur, è cuius trūco oleæ ramus exit, eratq;, Salus publica. Supra in eodem fastigio vbi Principum insignia ponebantur, nympha videbatur caput habens flammis cinctum, pedes alis, dextra gladium, sinistra tenens librum, eratque, Zelus. Astabat illi Ordo siue Politia cum sphæra & hastili, super caput horologium. Summum fastigium nympha occupabat cum anchora & manu versus cælum eleuata, hæc Spem denotabat. Hic est sensus: ob peccata Reip. salus versatur in discrimine, sed zelo feruenti, correcta disciplina, spes cælo nobis auxilium spondebat. Ad minora ostiola, hi versus legebātur:

Ah facies miseranda nimis, sic ire sorores
Infensis animis? sic diro incumbere ferro
Viscera visceribus? matrisque in funera natas
Currere, & in proprias flammis grassarier ædes?

Hæc

Hæc pariunt totum quæ fœdant cladibus orbem,
Hæresis, Ambitio, & priuati commoda quæstus.
Hinc arma, hinc versa leges, hinc iura soluta,
Excussumque iugum: hinc periit reuerentia veri
Principis, & stolido malè sumta licentia vulgo.
Sed iam rumpe moras, Princeps, iam missus Olympo
Descende, & vultu tecum tua Nympha sereno
Jsabel, & tristes errantum comprime motus.
En age, vos ramis pulchrè frondentis oliuæ
Iupiter armauit: queis corda imbuta furore,
Duratas mentes, & pectora nescia flecti
Vincite: nam propriâ medicum si senserit æger
Pharmaca ferre manu, conceptum corpore virus
Eiiciet, dabit aurem, & subdet membra saluti.

In aduersa parte arcus quæ gramineum forum spectat Archiduces virenti colli insidentes, rara manu adumbrati, fasciculum iaculorum, concordiç è Plutarcho symbolum, manibus constringebant, Sciluri Scytharum regis exemplo Belgas ad colendam concordiam cohortantes. Ita enim fore, vt quemadmodum Principibus fasciculum colligantibus, varia monstra terrestria & marina procul diffugiunt; sic subditis concordibus quasuis belli pestes è republica excessuras, elogium asscriptum erat huiusmodi:

VNITA IMMOTA MANEBVNT.

Armorum aceruus penes Principes erat stratus: volabat super capita ipsorum Iustitia. Infrà super minores portulas ouium pastor cum lupis depugnabat vt gregem seruaret, quod hæ notæ indicabant:

GREGEM PRÆSENTIA SERVAT.

Ex altero latere Halcyones pingebantur, placidumq́; per eos mare, & nauigabile nunciabatur: VENTVRA TRANQVILLITAS.

Alia tabella Pacem exhibebat atque Iustitiam, quæ veteri mundo detracta cute, nouum super incude informabant, & præsagiebant:

SIC TANDEM VENTVRA SALVS.

In altera tabella Sol glaciem niuemque liquabat, asscribebatur:

SOLVENT MOLLITA RIGOREM.

In zophoro postico Iustitia & Veritas monstra fugabant reip. pernicies, vt sunt Hæresis, Rebellio, Dolus, Adulatio, Vis, Tyrannis, Impunitas. Paulò infrà salamandra in mediis flammis vitam ducebat, ex vulgata opinione, habebatque annotatum:

MIHI VITA.

Contra arbor fructifera ignibus absumta interibat:

MIHI MORS.

Verbo dicam cum Lucano, & multis vtile bellum: non enim omnibus, sed iis tantùm qui ortum suum ex alieno occasu habent.

Portæ medianæ transitus ornabatur hinc Neptuno, inde Mercurio, quibus indicabantur varia artificia, quæ ad omnes nationes nauigio transportantur. In portulis Sol erat stellis cinctus cum notis huiusmodi:

PRÆSVM AC PROSVM.

In altera Nilus inundans Ægyptum, & verba apposita:

EFFVNDOR VT IVVEM.

Tertij ostioli emblema Monoceros erat, qui ex vulgi sententia cornu aquæ immergebat, vt alia animantia securiùs bibant, huic erat asscriptum:

MEDETVR ET SERVAT.

Pro vltimo fraxinus, cuius vmbram vitant serpentes, si Plinio credimus, cum notis huiusmodi: VIRVS NEC SVSTINET VMBRAM.

Circum fontem qui in foro est gramineo, in triquetræ formę æquore tria maxima Belgij flumina figuris humana statura maioribus amœnissimum intuentibus præbebant spectaculum. Pręter vrnas enim & peculiares circum capita corollas, singuli piscibus singulis insidentes in pelagus vehebantur. Rhenus pampinis redimitus acipensere portabatur: Mosa cum serto hederaceo salmoni insidebat: Scaldis in cetarij generis thynno equitabat, lauro coronatus. Hinc in accliui ad palatium via pegma erat positum Machliniæ attributum, quod ex prætorio sanctiore & carmine apparebat:

Sim licet exigui Machlinia limite tractus,
Iura tamen populo dico suprema, Senatu
Purpureo insignis: maris atqui vt linea dicor,
Quod rabidos æstus nostris absoluat in oris:
Sic quoque clausa meis finem discordia tectis
Iurgia habent, tristesq; adimit sententia lites.

Vlterius progredientibus in pegmate simili se virginis specie Traiectum exhibebat, cum hoc versu:

Romanæ soboles gentis, clara ordine sacro
Qui mea tecta colit: campis & pinguibus agris
Gaudeo, & ignipara viscoso cespite terra.
Amplector Batauos, Geldrosq;, atque opida muris
Quinquagena simul circum mihi proxima cerno.

Nec displicebat prope palatium, quod habent Principes Nassouij, Transiselanæ prouinciæ typus:

Blandus ager Cererem grauidis concedit aristis:
Ruricola armentis Pan ditat pascua: portus
Hansaticus populus veteri pro fœdere, & omne
Arctoum pelagus variis mihi mercibus implet.

Arridebat & virgo quæ pro dominio Groeningæ se gerebat, cum tali carmine:

Gens mihi Troiano descendens sanguine, fortis
Militia ingenióque. Solum nec inutile, grata
Vnde dapes pecori: viridi dum sacra colore
Rura Pales ornat, teneros pastura iuuencos.

Spatiosa est ante palatium area, commodum iis qui in aula negotia habent ambulacrum. Eà sepimento lapideo circumcingitur, ad cuius introitum magnifico apparatu collocata erat moles quatuor habens transitus, septem eleuationibus ex omni ordine architecturæ pyramidatâ formâ sensim gracilescens, centum quatuor pedibus alta, atque tam lata vt carpentum quatuor equis iunctum cōmodè transiret. Qua, si artem spectes, nihil queat exactius; si ornatum auriquè radiantis fulgorem, nihil sumtuosius; si contignationem, nihil solidius pro arcu vel machina triumphali erigi. Alterius & posterius operis frontispicium vno eodemque modo erat exornatum, in inferioribus hinc inde intercolumniis statuas suarum Celsitudinum mirabamur ad viuum expressas, cum his verbis supra caput asscriptis:

MAIORVM VIRTVTIS ET GLORIÆ HÆREDIBVS.

Lateralia vtrinque intercolumnia insignibus Archiducum prægrandibus ornabantur. Prima supra portas eleuatio ex quadrato ambitu constabat cum suo ex inauratis columellis sepimento: cuius quatuor angulis leones insidebant similiter inaurati, vexillum singuli sericum ex tribus Infantis coloribus tenentes. Hîc peropportunus tubicinibus, æneatoribus, & buccinatoribus erat locus, qui ibi dispositi Principes palatium ingredientes prosecuti sunt. In secunda eleuatione Regis Philippi & vxoris Isabellæ, parentum Infantis statuæ cernebantur. In tertia Caroli v. Cæsaris Augusti & coniugis Isabellæ Lusitaniæ Regis filiæ. In quarta Philippi I. & Ioannæ vxoris. In quinta Maximiliani I.

& Mariæ Burgundæ imagines erant positæ, cum suis in vtroque latere insignibus, annoque nuptiarum litteris annotato. In sexta hinc Rudolfi I. Cæsaris, inde Philippi cognomento Audacis. In septima & vltima eleuatione sceptrum cum diademate decussatum, & aureo igniario domus Burgundicæ, aureique velleris symbolis. Aureæ in summo fastigio sphæræ insistebat statua, Gloriæ, vt existimo, militare signum tenens. Interior machinæ ornatus erat aquila, trũcis arborum duætum insidens decussatim positis, cum Burgundiæ ignitabulo notisque:

GENVS AB IOVE SVMMO.

Pallas è capite Iouis nata alterius lacunaris erat emblema. Opus intestinum victoriæ erant Philippi II. ad fanum S. Quintini. Caroli V. Tunetana: Maximiliani I. prope Guinegatam: Rudolfi I. victoriæ quatuotdecim. Alibi, Iustitia, Clementia, Pietas, Gloria, Fortitudo, Prudentia, Victoria, Potentia.

PRINCIPIBVS palatium suum ingressis, quisque domum se recepit, atque ad ignes triumphales spectandos, qui fuerunt illustres & magnifici, cum plausu se conuertit. Rheda vecti Principes è spectatorum numero fuerunt, cum gaudio singulati quòd tantam hominum viderent frequentiam, neque enim quisquam meminit talem Bruxellæ aut alibi se vidisse. Hæc tribus diebus noctibusque continuata, & comicæ actiones publicè sunt habitæ, temporis curriculum & Principum encomia eleganter celebrantes. Carmina etiam composita sunt plurima, quorum nonnulla hîc inseruntur.

SERENISSIMIS PRINCIPIBVS, ALBERTO AVSTRIACO ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ INFANTI HISPANIARVM, DVCIBVS BRABANTIÆ ETC.

Ad optatissimum Bruxellarum ingressum Ode tricolos tetrastrophos.

DVLCEM *peracto Belgica sæculo*
Pacem colebat diues in ocio,
Exculta stabant rura duris
Marte procul rabido colonis.
Dum sic in alto splendidus aëre,
Verisq; maior sideribus, malum
Apparuit Belgis malorum
Omen, & augurium Cometes.
Cuius tot annos, non sine criminum
Vltore Christo, non sine vindice
Ipsaque natura, tremendo
Hactenus expositi flagello.
(O triste fatum, diraq; tempora!)
Quas non vbiuis militia, domi,
Sensere discordes ruinas,
Et miseras habuere clades?
Instar procella turbine maximo
Qua dum Notus, dum stridet & Africus,
Turbat solum, calum, salúmque,
Terribili quatiens tumultu.

Sic

Sic Mars cruentus, sauaq́ (prò dolor)
Bellona, flammis, impete bellico,
Ferróque grassantur per orbem,
Et validas populantur vrbes.
Iam iam putasses, & minus antea
Vnquam solutos impia tartara
Exisse, Plutonisque Auernas
Deseruisse domos furores.
At nunc benigno sidera denuò
Exorta rident lumine Belgio,
Et huc ab occasu, secundis
Auspiciis pariter resurgunt.
Non illa cuiquam prælia turbida,
Non arma signant, non rabidam luem:
Solam quietem pollicentur,
Et patrium renouare florem.
Sunt hæc salutis nuncia plurima,
Sunt auspicati semina gaudij.
Quis ergo? quis posit negare
Amplius, aut dubius vereri?
Quin certa rursum compositis quies,
Et pax, & instent aurea sæcula:
Vultúque nos tandem supremus
Respiciat placido relictos.
Hunc culpa lenem noxia læserat,
Hunc pœna læsum debita leniit,
Hic post flagella, excidiúmque
Præsidium dabit, & salutem.
Dabit salutem, bellaq́ tristia,
Ciuilibus tandem positis semel
Armis, in externum ciebit,
Et Mahometicolam tyrannum.
Tam læta nobis prouidus ominor,
Et plura prætendunt noua sidera,
Ducem, Ducem puto meorum,
Et decus Eugeniam Brabantûm.
O illa quantis fulgida laudibus!
Non ora centum, non totidem queant
Æquare diuûm plectra dotes.
Haud ideo tamen indecenti
Te præteribo, Alberte, silentio,
Nec te silebo lumen Iberiæ,
Quæ tanta duro per viarum
Compita proueniens labore,
Et cara cælo, & numine feruida,
Et tam vetusto sanguine nobilis,
Adfers opem, fidémque adauges
Omnibus haud dubiam salutis.

Vt

Vt namque possis militiâ parum,
Est est in aris vis tibi maxima,
Est in potente, quem iugali
Fœdere iunxit amor marito,
Quo Roma tantis inclyta regibus,
Quo nulla quondam regna per integrum
Tulere mundum fortiorem,
Aut magis emeritum coronam.
Præclarus armis ille minacibus
Martis, Mineruæ clarior artibus,
Ciuémque defendet sequentem,
Et tumidum superabit hostem.
Hostem profundo, hei nimium mari,
Suísque spreto numine viribus,
Armisq; confisum, malique
Hei nimium nimium tenacem!
Sed quid minaci stans animo Mimas,
Aut quid superba Porphyrion manu,
Quid Rhetus, & cuncti gigantes
Intrepidis potuere telis,
Contra Deos aut Palladis ægida?
Virtutis expers, inq; malum sua
Vis mole succumbit, Deúsque
Promouet in meliora robur.
Ergo auctor ingens Austriadûm Deus,
Qui regna donat, regibus imperat,
Pro singulari quem tot annos
Austria promeruit fauore?
Quidquid vel armis, vel placido magis
Albertus vsus consilio volet,
Huic non minus clarum daturus,
Quàm dedit Austriacis honorem.
Fœliciorem ducet ad exitum,
Hostisq; confringet temerarios
Ausus, & ad iustum superbos
Imperium redîget rebelles.
Testis Caletum, testis & Ardrea,
Hulstana testes fortia mœnia,
Vnde vnde diuina supremum,
Dexteritate tulit triumphum.
Nec verò quanto consita milite,
Quantóve sis circundata flumine
Bommel, resistes, si coruscis
Experiare ferox in armis.
Ille ille Belgas ingenuo simul,
Sic fata poscunt, fœdere vinciet,
Nodóque coniunget priore,
Et reduces dabit esse Musas.

Ipsis Nonis Septemb. Petrus. V.V. Bruxell.

SERENISSIMIS ALBERTO ET ISABELLÆ AVSTRIACIS BELGII PRINCIPIBVS:

Anagrammatiſmi aduentorij.

ALBERTVS AVSTRIACVS: LVBES SACRATA VIRTVS.
ISABELLA CLARA EVGENIA: ALIENA SALVARE BELGICA.

AVSPICIIS *Macedo diuûm, Rex magne Philippe*
L inquis Alexandro regna ſuperba tuo.
B ucephalum ſolers etenim popyſmate flexit,
E t domuit fato frenaq́ ferre docet.
R egia ſubmiſſo venerans nam poplite, ſolum
T oruus Alexandri membra recepit equus.
V ictrix nimirum virtutis gloria Magni,
[Anagrammata.] *S ucceſſit tanto dignior imperio.*
[Carolus Quintus.] *A lma tibi* QVI NOS LVCRATVS *Carole Cæſar*
V nica delitia Belgica ſemper erat.
[qui noslucratus BELGIADES:] *S ic quoque* BELGIADES *ter maximus orbe Philippus*
[Gleba Deis.] *T raxit in amplexus, nam ſacra* GLEBA DEIS.
R umpere conatus ſed enim furibundus habenas,
I nſultat Domino Belga rebellis equus.
[Philippus Auſtriæ. Pius. patriæ philus.] *A ſpexit miſerans* PATRIÆ PHILVS *&* PIVS *archos,*
C onſulit hippomanes vellere ne furiat.
V irtus lecta Ducis fuit Alba digna Catone
S cilicet vt medicas adferat ille manus.
[Ferdinandus Albanus. Frænans diu blandus.] *L uxuriantis equi* FRÆNANS DIV BLANDVS *habenas,*
V eſanam ſtrigili perfricuit ſcabiem.
[Ferdinandus Albanus. Abundans frena ludis.] *B ella* LVPVS CELER *hinc, Mars* IMPIVS, *arte* TIRANNVS
E xcit: VAH *miſcet toxica Tiſiphone.*
S tratoris LVDIS *ſed* ABVNDANS FRENA *caballe,*
S pectraq́ flammiuomo concipis ore ſtygis.
A rte rapax ſimili lupus vt ruit arua coloni,
Concuſſumq́ gregem diſſipat & laniat:
Raptat ſic Mauors furibunda armenta, viciſſim
A rmiger audaci ſingula ſoluit equo.
T unc ferus excuſſis retinacla momordit habenis,
A rcta capiſtra, lupos, frenaq́ comminuens.
V ix bene colla humeros, & libera ſenſerat ora,
I nſultat, ſternit, calcitrat, hinnit equus.
R ex magis ingemuit: nemo Hyppodamus mihi? nemo
T antopere effranem qui domet, inquit, equum?
V ictrices frater quatit Auſtrius armaq́ dextras:
S uſcipit imperium, & Regia bella ciet.

Ingenti

I ngenti ille heros compreßit strage proteruos,
S emper & vltrices promouet vsque manus.

Ioannes austriades: ne Iano ardua sistes.

A t fata impediunt Rex IAÑO NE ARDVA SISTES,
B elgas vi partim vicerat, at moritur.
E nsis Alexandri sequitur Parmæ Ducis, ipse
Luciferi Martis clara trophæa tulit.
L imina Belgarum transcendis, & oppida victor
A rmipotens regi maxima restituis.

Alexander Parmensis: lex eris arma pandens.

C onatus maiora: rebellibus ARMA*que* PANDENS
L EX ERIS, *hæc cælo fama perennis erit.*
A ugustum hinc legitur genus Ernestus, vel auito
R omani dignus Cæsaris imperio.
A rdua concepit constanti pectore bella,
E t virtute pari iungere nisus equos.

Ernestus Austriacus: Ausurus, nece tristas.

V enisti AVSVRVS *sed nos citò dux* NECE TRISTAS
G loria debetur maxima post cineres.
E n quàm certa sient Parcarum fata: caballo
N emo ante hac Belga stringere colla potis.
I d seruasse igitur tibi certum est magne Ducum Dux,
A ugur or haud vanus, sic cecinere Deæ:

Albertus Austriacus: Lubes sacrata Virtus.

A VSTRIACVS *Princeps* ALBERTVS *ephippia sternet,*
L ibera non altri terga daturus equus.
I, SACRATA LVBES VIRTVS, *te poscimus omnes:*
Et sedet hoc sinui Diue Philippe sacro.
N ata cùm cedis vice dotis Belgica sceptra,
A lberto natam fœdere legitimo.
S tirps antiqua placet Romanis aucta triumphis:
A rmarunt studio Marsq; Minerua pari.

Albertus Austriacus: Vrsus Caletia turbas.

L imine primo, VRSVS *velut, arua* CALETIA TVRBAS,
V icisti Ardeam & Hulstum ampla trophæa tibi.
A lberte & fato, virtute tuáque Philippi
R egis & auspiciis flectere possis equos.

Albertus Austriacus: Curulis res Batauas. Isabella Clara Eugenia: Aliena saluare Belgica.

E ia age: consilio, prudenti & arte CVRVLIS
B ATTAVAS *modò* RES *ordine restitue.*
En SALVARE ALIENA *quidem pars* BELGICA, *nostris*
L imitibus præsunt gaudia nostra Duces:
G audia nostra Duces multis quos Iuppiter annis
I mperio seruet progenieq; beet.
C LARA ISABELLA *tuis optata* EVGENIA *votis*
A LBERTVS*que adsunt, Belgica plaude manu.*

CHRONICON.

LVX IsabeLLa tIbI BrVXeLLæ ALberte refVLsIt
qVInto septeMbrIs, BeLgICa LætItIa.

Carolus Brooman Bruxell.

PANEGYRICVS
IN ADVENTVM SERENISSIMORVM PRINCIPVM
ALBERTI ET ISABELLAE
ARCHIDVCVM AVSTRIÆ, DVCVM BVRGVNDIÆ, BRABANTIÆ ETC. IN CIVITATEM BRVXELLENSEM.
Auctore Philippo Numanno.

SIQVA dies optata tibi, si, Belgica, votis
Unquam prona tuis cælestia Numina: vultus
Nunc liceat sumsisse hilares, nunc fronte serena
Longa fatigatæ deponere tædia mentis:
Phœbus adest, cedunt tenebræ, gratissima cælo
Aura venit, placidæ pacis quæ spirat odorem.
Olim dum superas Cæsar conscenderet arces
Carolus, & regni molem sceptrumq́ Philippo
Linqueret, ille pari vt cunctis libramine terris
Iura daret, sedem ex reliquis sibi sumsit Iberam.
Inde et enim tanquam media de parte theatri
Prospiciens, simul hinc Belgas sociosq́ videbat:
Illinc Parthenopen, Siculos atque Itala regna.
Quà verò occiduas Titan decurrit ad vndas,
Peruuiam, Mecicumq́ noui miracula mundi.
Hîc dum fortè moras trahit, & se reddere coram
Non datur, ob varias in tanto pondere curas:
Interea in diros malè prudens, Belgica, casus
Mille ruis, tristi conturbans omnia motu,
Ac veluti accenso dum voluitur æthere feruens
Sirius, ardorem fugiens se frondibus abdit
Pastor, & errantes sinit ire in prata capellas:
Mox illæ abripiunt sese, lateq́ vagantur:
Pars vinet a petit; teneras pars vertit aristas:
Per syluas aliæ & scopulos præruptaq́ saxa
Prosiliunt, lapsaq́ ferunt cum morte ruinam.
Pastor at, errorem vt videt, & nutantia circum
Agmina, consurgit subitoque imponit habenas,
Disiectumq́ gregem legit & sub iussa reposcit;
Haud secus euenit Belgis dum turbida versant
Consilia, ab recti immemores nimium atque decori.
Hinc illæ clades, hinc illa incendia, fœdo
Dissidio, & fratrum toties conspersa cruore.
Et quæ non cura, quæ non medicina Philippo
Tentata, vt lapsis ferret solatia rebus?
Nunc blandis reuocare modis & tendere dextram,
Nunc agitare armis & vi proferre quietem,
Nunc socios Belgis Proceres, Regesq́ propinquos

Urgere,

Vrgere, & variis magni sceptra ipsa mouere
Imperij cœptis, & longi pondera belli
Tradere Cæsareis votis: iterumq́, iterumq́,
Legatis aperire viam & rem subdere iusto
Concilio & quouis moliri fœdera ductu:
Immensas impendere opes & fundere regni
Thesauros, tumidam & placidè compescere gentem:
Sed nihil arma, nihil tanti clementia Regis:
Nam desperato turgebat pectore virus,
Et rigida obducto marcebant vulnera callo.
Instinctu tandem Superûm, sic doctus ab alto,
Ille parens patriæ fidus, suprema propinat
Pharmaca, tam longo finem factura dolori.
Vna erat ætheriis longè clarissima donis
Nata, patris decus & magni spes altera regni
Isabel: illa inquam fesso quæ sæpe parenti
Subdere sueta humeros, lancem clauumq́, tenebat
Imperij, Hispanum compescens legibus orbem.
Hanc statuit sacris digno sociare marito
Nexibus, & meritam nuptura asscribere dotem:
Inuenitq́, virum qui nec virtutibus esset
Inferior, donisue animi vel sanguinis ortu:
Austriaci Heroem generis patre Cæsare natum,
Magnanimum Albertum, claris belliq́, togæq́,
Insignem factis, populi qui frena tenebat
Belgici, & à sacro ducebat Marte triumphos.
Illum, inquam, Albertum nuper qui fortibus ausis
Ardeacas arces, atque vndis cincta Caleti
Mœnia victricis dextra virtute subegit,
Oceanoq́, natans Hulstum, licet omnibus irent
Contra armis Bataui, & magnis conatibus vnà
Neptunum Martemq́, simul tellure mouerent.
Hunc thalamo addicit Nata, & dotem insuper addit
Belgarum terras, magna regna optima sedis
Maiorum, iungitq́, vrbes quas Sequana lambit.
Donum ingens, tali sponsa ac tanto patre dignum.
Acceptumq́, habuit frater, dotemq́, sorori
Annuit: & plenis quamuis matura diebus
Fata patrem tulerint, tamen immutata remansit
Res nato, Regisq́, stetit mens Regia dictis.
Ergo abit, vxorem terra adducturus Ibera
ALBERTVS, *quosuis promptus superare labores.*
Teuthonaq́, arua petens spumosi litora Rheni
Traijcit, & celerem sistit se Cæsaris aula
Ac fratrem inuisit: sed mox ibi pauca moratus
Omissum repetiuit iter, subitoq́, Tridentum
Aduolat, Italicas hinc perrecturus ad oras.
Venit & interea Regi desponsa Philippo

Margaris Austriaca virgo pulcherrima gentis:
Quæ simul Hesperiam peteret: sed vincula primum
Connubij nectenda sibi augustissima sumpsit
Maximus Antistes Clemens, cui stringere Christus
Et laxare dedit terris, nunquam irrita cælo.
Huic tum fortè dabat celebris Ferraria sedem,
Romanis nuper signis Diuo addita Petro.
Hic igitur propria pater almus fœdera sancit
Sacra manu, coniuxq; datur Margrita Philippo,
ISABEL ALBERTO, & sanctos pro munere ritus
Ore beat, superosq; vocat faustumq; precatur.
Et post acceptos regio quos omnis honores
Edidit Italica, ad Genua se litora vertunt.
Hic valida pulchra stabant in classe triremes
Quadraginta, agili Heroes quæ ducere cursu
Per rabidos flatus, per turbida cærula possent.
His vecti, Ligurum fines orámque Sauonæ
Dimittunt, sulcant q; auris Borealibus vndas,
Et tandem Hispanis salui sistuntur arenis;
Mille metus tamen experti, quos acta furore
Æolico, aduersis fecerunt æquora ventis.
Deinde Valentinis accepti mœnibus ambo
Absoluunt cœptas post longa volumina tædas.
Et mox completis thalami solemnibus, alto
Corde gerens orbata dabat quas Belgica curas
ALBERTVS reditum accelerat, puppesq; relictas
Sollicitus repetens, optati certus amoris
Vxorem educit, rursumq; Ligustica carpit
Litora & infesti concludit tædia ponti.
Hic primum Ligures, mox gens Insubrica tectis
Quique suis, magnis animis præclara ferentes
Officia, Heroes summo venerantur amore.
Sed pergunt, tolluntq; moras: nam Belgica diro
Vndique Marte tremens, tardantes corde vocabat
Anxio, & expassos tendebat mœsta lacertos.
Iamq; citi excelsas superant sub nubibus Alpes,
Heluetiosq; petunt; dein per iuga saxea Iura
Descendunt, breuibusq; viis in Principis arua
Tendunt Lotharici, qui agnatis Regia præbet
Hospitia, & festis epulis & honoribus ornat.
Hinc Luxemburgum veniunt, tandemq; subactis
Per mare, per terras perq; ignes mille periclis
Lætantur patriæ optatos contingere fines.
Et iam saluus adest io pæan, terq; io pæan
ALBERTVS, faustoq; venit iam numine salua
ISABEL illa graues tandem positura querelas.
Saluete Heroes, saluete ô lumina nostri
Luminis, aura animæ & nostræ spiramina vitæ.

A vobis,

A vobis, longo squallentia pectora luctu,
Et tot pressa malis languentum corda virorum,
Iam recreata nouos animos viresque resumunt:
Ad vestros cæli Phœbúsque & sidera vultus
Exiliunt, ridet tellus, arua omnia rident.
Hunc albis inferre diem atque inscribere fastis,
Annuáque à memori celebrare encænia mente
Fas fuerit, dum secla fluent, dum regna manebunt
Belgica, & Austriacæ viuet fama inclyta stirpis.
O quàm sollicitì templis adoleuimus aras,
Impletásque faces optauimus, inuida contra
Dum sparsit falso liuor commenta susurro!
O quoties ventos, lenésque vocauimus auras,
Nunc placidam Tethyn nunc æquora tuta precati!
Qualis vt infesto percussus pectora telo
Per nemus obscurum sæuo à latrone viator,
Anxius optat opem, & poscit qui vulnera curet:
Tales & patrij prostrati cuspide belli
Semineces plagis, affectu cordis anhelo
Iam dudum dubia vestrum exspectauimus aure
Aduentum, medicásque manus finémque laborum.
Et pater illa dabit fati qui legibus æquis
Imperia & populos & totum temperat orbem.
Bella cadent, cedétque furor, scelerata resident
Arma intestino tinxit quæ sanguine Mauors.
His Ducibus sanctæ nascentur fœdera Pacis,
Et pietas & cana fides, rediuiuáque surget
Iustitia, & læto venient regna aurea seclo.
Et veluti quondam dum sceptra excelsa Quiritum
Rex Numa præceptis sacris sanctísque teneret
Ægeria comitante Dea: tunc protinus omnis
Romulidûm creuit sublimi gloria vultu,
Euexítque altum caput ad fastigia cæli
Fama, opibus, virtute & claris Roma triumphis:
Sic quoque speratas Princeps ALBERTVS *habenas*
Dum capiet, sociáque reget cum Pallade Belgas,
Surget honos populo, crescet fortuna: relicta
Bello iterum repetentur opes, & pristina regno
Virtus, & lapsis veniet mox gloria rebus.
Hæc spondent animi, Superûm hæc sententia, tandem
Post vastas strages post funera cruda nefandi
Dissidij, his tædis cunctis inducere finem
Cladibus, & solitum Belgis reparare decorem.
Et poterit superesse malis & vincere casus
Præteritos omnes malè concors Belgica, diri
Inuidiam Martis furialiáque arma leuari
Si detur: neque enim virus letale medullas
Possidet, afflictæ sic vt spes nulla supersit:

At ve-

At venis vigor altus inest, fortísque remansit
Spiritus, vnde animos & priscos sumat honores.
Et quamuis lustris plus sex agitata feratur
Turbarum Oceano, Martíisque in fluctibus erret;
Non tamen impulsam scopulis mersere procellæ,
Non nymbi, ventíque truces, non horrida ab Orco
Edita tempestas, Stygiísque à sedibus iræ.
Sed tulit, & melius meliori sidere fatum
Sperauit, viditque & adhuc se tollit in auras.
Forsitan haud aliis tanto sub pondere vires
Consistant: populis quanquam titulísque superbis
Se iactent, sceptróque alto diuisq. coronis.
Atque ita non pigeat regnis cessisse paternis
ISABEL, *Hesperiâs & fratri linquere sedes.*
Non etenim indigna est (clarissima Nympha) tuarum
Virtutum dos ista: tuis contingere votis
Imperium poterat Romanáque regna; sed illis
Prætuleris Belgas, potioráque munera duces
Dona patris, gustata fient, si temporis vsu.
Belgica, nobilibus nulli non cognita glebis
Frugiferæ Cereris pratisq. & gramine læto,
Egregij diues pecoris, seu rura colonis
Exercenda, feros seu dura in prælia miles
Poscat equos, texenda petas seu dona Mineruæ.
Mellitis fœcunda fauis & nectare dulci,
Pampineisq. opibus spumantis gaudet Iacchi.
Sunt montes, colles, syluæ, pinguisq. ferinæ
Copia, stagna, lacus, nigricantes piscibus amnes,
Irriguique simul blando sub murmere fontes,
Gratus & à Zephyris agitatus mollibus aër,
Visceráque inclusis præbet distenta metallis
Ære grauis tellus, ferróque & alumine venæ
Et solidis saxis & puro marmore turgent.
Bis centum, bis denæ altis sub mœnibus vrbes,
Quinquaginta etiam & centum oppida, turribus arces
Innumeræ insignes, decus & munimina regni.
Insuper & pagi sex mille, vbi plurimus aurum
Agricola incuruo terris extorquet aratro.
Ingenio præstans populus, variæq. peritus
Artis, & ad quosuis gens omnis docta labores.
Pingere siquis amat, viuásque in imagine ficta
Pulchrè mentiri species & fallere visum:
Non (si vel Zeuxis redeat, vel Cous Apelles,
Gloria vel Rhodiæ quondam Parrhasius vrbis,
Praxiteles, Mentorue, aut arte instructa Pelasga
Turba omnis) Belgas cunctis neget esse priores.
Si certetur acu, pictósque aptare tapetes
Fert animus: nitidæ si quæras licia telæ,

Nec Phariis, nec Achamenius (si nostra paretur)
Laus erit vlla: suosq́, sagax Tritonia fusos
Frangat, & à Belgis haud notam acceperit artem.
At potiora etiam, studiis & munere sacro
Pieridum illustris, totum diffundit in orbem
Nomen & haud vlli concedit Belgica laurą.
Verùm hæc dona togæ, sed num gens concita Marte
Militia valeat, quondam duce patre Philippo,
Funesto didicit nimium certamine Gallus.
Discimus ab quoque nunc rabido quantum acta furore
Belgarum diris valeant conatibus arma.
Siue opus instructas peditum densare phalanges,
Siue equitum validas in pugnam mittere turmas,
Seu iuuet infestas pelago deducere classes:
Omnia habent Belgæ, dociles arma omnia versant.
Nec quoque oborta recens, subitóue assumta tumultu,
Sed venit antiquâ demissa ab origine virtus.
Quippe Palæstinas olim perrumpere in arces
Victores potuere Dei pro nomine Belgæ:
Sancta Gothofredus quando in certamina duxit,
Et Solymæ vindex Regis quæsiuit honorem.
Atque etiam patrias quoties tutarier aras,
Proq́, focis decuit pugnare, aut vertere Martem
Vicinos in agros iusta pro Principis ira.
Iungit & his populus solers Cyllenia dona,
Quando suis cunctas percurrit sedulus oras
Mercibus, Antipodes circum & Japanica regna.
Belgica nam refluo portus & litora ponto
Multa tenet, grauidas licet vnde educere puppes,
Et viridem vario Tethyn transmittere cursu.
Inde Danos, Moscosq́, truces atque vltima Thules
Arua petunt, gelidos hinc visit nauta Britannos.
Hinc etiam ad Libycas pergit mercator arenas,
Ad Siculos, Venetos, ad Tusci rura Liburni,
Romam etiam, Cretasq́, & Turcica mœnia Ioppen.
Hinc rursum tumidis spatiosa per æquora velis,
Æthiopes, Persas, & Eoum peruolat axem,
Et latè occidui ditissima litora Phœbi.
Nunc Gades superans Batimq́, aut ostia fului
Vasta Tagi, aut salsas quas torquet Cantaber vndas.
Atque ita quicquid habet magnis anfractibus orbis,
Vnica id ad proprias deducit Belgica sedes,
Emporia instituens toti celeberrima mundo.
Hæc te, Nympha, manent, hæc dos, hæc sancta Philippi
Consilia, hæc vestra ponenda est fronte corona.
Hæc gemma ætherei clarissima sideris instar
Lumen erit, laudemq́, dabit, nomenq́, decusq́,
Vnde tuum sceptris & magnis Regibus æques.

 Ac sic

Ac sic felicem credes te munere tanto,
Et qui te toties Belgarum ad vulnera pronam
Eminus egit amor: nunc nunc tibi pectora coram
Accendet, fidoq́; inerit res cognita cordi.
Sic quoque felices nos, terq́; quaterq́; beati,
Si tua Belgiacas virtus moderetur habenas,
Elizabeth, domus alma Dei, generosa propago
Austriadûm, Clara & factis & nomine Clara.
Omnia fausta sonant, sunt & faustißima Belgis
Connubia, & vestras pacato à Numine tædas
Speramus: quales dum Maximus Æmilianus
Austrius, afflictæ quondam sacra vincla Mariæ
Iungeret, vnde ægræ adduxit solatia genti.
Nam per & Atrebatum victor confinia Gallus
Et Morinos, tristes miscebat funere flammas.
Interniq́; artus patriæ in contraria scißi
Aduersis ibant studiis, vicinaq́; morti
Belgica pendebat, sed mox sublata reuixit
Coniugio Augusto, atque animos erexit inertes.
His quoque iam thalamis ventura est meta malorum,
Et quæ intestina decertant cæde sorores,
Exercentq́; odia atque iras ciuilibus armis,
Ad vestros placidæ ponent certamina vultus,
Mutuaq́; accipient blandas in fœdera lauros,
Tunc semel vnitis consistet Belgica telis,
Nec tumidi motus pelagi, nec dira timebit
Monstra, nec Eumenides ipsas, à faucibus orci
Inuidiæ licet atra ferant fomenta veneno.
Sic erat in fatis, sic nos diuina tenere
Consilia impellunt, sic præmonstrauit ab alto
Rerum opifex, ventura cui vt præsentia viuunt.
Nuper enim vt solitum carpebant laxa soporem
Membra, fatigatos somnusq́; resolueret artus,
Et varias animus species rerumq́; figuras
Volueret interius, totusq́; à pondere liber
Corporeo, virtute sua subuectus Olympo,
Cælestes caperet visus arcanaq́; Diuûm:
Mitia viciniis quæ spondent fata diebus
Vidit, adhucq́; imis mihi sensibus hæret imago.
Æterni patris ad solium, quem terra polusq́;
Et maria & stygiæ trepidè venerantur abyßi,
Procubuere duæ duplicato poplite nymphæ:
Vna genus Diuûm niueo splendebat amictu,
Altera terrenos habitus, mortaliaq́; ora,
Purpuream vestem, cœnoq́; & sanguine fœdam,
Et tristi sparsos gestabat fronte capillos.
Tunc prior orsa trahens alto suspiria corde:
Quando (inquit) ter sancte Deus, quando illa quiescet

Tempestas,

Tempestas, miseram quæ me furibunda tot annos
Iactat, & antiquas nimium discordibus iris,
Deserere heu cogit sedes & auita parentum
Limina, iam tantis firma & certissima seclis?
Sumne ego prisca fides, proles purissima veri
Instillata animis hominum spiramine sancto?
Tot passim celebris signis, tantoq; refulgens
Sanguine, cælestis quo creuit gloria palma:
Cur igitur pateris nugas & vana malorum
Commenta, & falsum specie se obtrudere recti?
Cur miseras animas, cur deuia pectora cæco
Errore inuolui sinis & concedere fuco?
Incautum inuasere gregem scelerata luporum
Agmina, diuisis gens omnis classibus hæret:
Anxia quid credat, vel cui se iungere parti
Instituat, cum recta sequi vestigia quisque
Iactitet, & Christi cuncti se nomine velent.
Hinc populi ardescunt iris animoq; furenti
In propria obuerso grassantur corpora ferro.
Hinc ædes araq; iacent, hinc perditus almæ
Relligionis honos: & quæ pater optime, tandem
Meta mali? sacris iam ruptis Anglia frenis
Cæca ruit, periitq; mihi malefida tot annos.
Nec melius (pacata licet) Germania, virus
Cui tacitè impuni corrodit viscera morsu.
Gallia dissidiis feruens & plena ruinis
Vulnera vix curat, dubioq; stat anxia vultu.
Belgica, quæ primos olim ducebat honores
Constantis fidei, veteres dum sedula cultus,
Maiorum insistens monitis seruabat, iniquo
Nunc temerata iugo variis fert toxica membris,
Tota ardens rixis, tota horrida, tota nefandis
Conquassata odiis: & nunc pater alme, precantem
Aspice, da finem pœnis, & parce dolori.
Tunc quæ purpuream vestem, vittasq; cruentas
Monstrabat, madidis oculis, linguaq; tremente,
Voce humili multis rupta singultibus, inquit:
O Superûmq; hominumq; sator, Rex maxime, nostræ
Num miseret sortis? nunquid tibi Belgica curæ?
Belgica, deliciæ quondam & lux vnica mundi:
At nunc pressa malis, ciuili impleta tumultu
Languida, deformis, solito spoliata decore,
Aduersas foueo mihimet contraria partes.
Undique sunt gemitus, lacrymæ, dolor, vndique luctus,
Inuidia, arma, doli, rabies, violentia, fraudes,
Impetus, ira, furor, flamma, vindicta, tyrannis,
Seditio atque minæ, scelus & discordia ab imo
Exsurgens Erebo: & quicquid Phlegetonte refuso

Euomere in terras potuit crudelis Erinnys.
Et nisi depulso redeat pax candida Marte,
Finis adest, succumbo oneri & dissecta fatisco.
Tum pater omnipotens: iustas grata aure querelas
Accipio Nymphæ, & miseret me sortis acerbæ:
Iamq; diu hæc animo versatur cura, ruentem
Solari populum, & tenebras perfundere luce:
Verùm qua terras moderor ratione polumq;,
Dum vitiis homines torpent, dum iussa recusant
Nostra, rebellantum vindex ego, crimina pœnis
(Ad meliora vocans) plecto, cogoq; morantes.
Non tamen æternas miseris mortalibus iras
Constituo, & paruo me humiles conamine placant:
Atque ita post clades, post tanta piacula lapsam
Fert animus pulsis turbis componere gentem.
Componam, & iam strata via est, iam stamina paci
Ordior, & placido tandem concordia filo
Texitur: æterno nam quum mihi cognita visu
Cuncta suos fines habeant metasq;, labores
Dum mitto & meritis pœnas ac vulnera figo
Castigante manu; tunc (quò me amor intimus vrget)
Auxilium simul instituo, meditorq; salutem.
Dum primum à patrio cœpit discedere ritu
Belgica, & antiquas errantum ob dogmata leges
Mittere, & insano sursum deorsumq; tumultu
Sacra, profana ferens, signis aduersa Philippi
Signa dare, & motis agitare incendia terris.
Tunc ego quæ nato post fata impleta veneno
Pharmaca certa daret, cælo mortalibus auris
Demisi Nympham, cuius præsentia tardem
Vera salus Belgis foret & medicina dolorum.
Nam dum sæua nimis varium post Gallia Martem,
Hesperiiq; duces clausissent fœdera, pacem
Coniugij visum est firmare & nectere vinclis.
Isabel Henrici proles, Regi vxor Ibero
Traditur & populis mansere haud irrita pacta.
Hinc & pacifica meruit Regina vocari
Nomine, & optatæ venerata vt causa quietis.
Illaq; persimilem virtute ac nomine & ipso
Euentu rerum, tulit alto à sanguine Natam.
Quæ nuper thalamis Alberti iuncta, tumentes
Oceani transuecta vndas, iam montibus instat
Italiæ, & miseros festinat visere Belgas,
Pacificæ matris soboles & filia Pacis.
Hæc, inquam, dilecta mihi, Princepsq; maritus,
Heroum lecti flores, & lumina Regum,
Magno consilio vobis seruantur, vt arma
Et scelus & cladem, cædes & pessima tollant

Dissidia, & pestem quam cæcus protulit error.
Vulnera qui patriæ curent, qui membra vigori
Restituant luxata suo, gentisq; perennem
Cernere dent pacem, & rebus florere secundis:
Sic ait & menti fixit mihi dicta profunda.
Ferte igitur lauros Heroes, iungite oliua
Diuisos populos, & templa patentia Iani
Claudite & inuisum terris educite Martem.
Sint procul arma, iræ, furibunda incendia, cædes,
Sitq; procul patrio madidatum sanguine bellum.
Bellum quod rabidis Acheron spirauit ab vndis
Exitium populo, rerum pestem atque ruinam.
Quod sanctas violat leges, quod & irrita rumpit
Fœdera, & infaustos gaudet producere motus.
Quod socerum genero, patriq; opponere natum
Assolet, & diro quoscunque accire furori.
Quod sontem insontemq; rapit discrimine nullo,
Quod sitit horrendas clades, quod sacra profanis
Miscet, & effractis versat scelera omnia frenis.
Cui fraus est decori, cui vis funesta, voluptas,
Cui vitium laus est, cui multa iniuria, virtus,
Diuitiæ, furtis & tristi cæde rapina,
Cui vigor est proferre nefas & vertere rectum,
Indulgere malis & cuncta implere dolore,
Et gemitu & lacrymis miserorum pascere vultus,
Damna dare & vanos clamantum temnere fletus.
Bellum quod populos perimit, quod diruit vrbes,
Instabilis quod regna facit ludibria sortis,
Alta terens pedibus, tollens vilissima cælo.
Quod viduat thalamos, & anhelos matribus vlnis
Affigit natos victu vitaq; carentes:
Opida nuda viris, desertáque rura colonis
Reddit, & in steriles arua arida vertit arenas.
Bellum quod minimè est bellum, sed corpore toto
Immane, horrendum, fœdum, triste atque nefandum.
Nos iuuat, Heroes, quoque vos optata iuuabit
Pax illa ætherio Diuûm insignita decore:
Cælestes imbuta auras, verissima summi
Nata boni, magni species & imago Tonantis.
Hæc condit populos vrbesq;, hæc fœdera sancit,
Coniungitq; animos, & amorem inuitat amori.
Hæc veri rectiq; tenax, fidissima legum
Iustitiæq; altrix, humanæq; anchora vitæ,
Hac nascuntur opes, plenoq; opulentia cornu
Surgit, & ereptos concordia reddit honores.
Hac duce securæ stant otia tuta quietis,
Et lætæ segetes campis & collibus vuæ,
Et pecudes pratis, armentaq; pinguia siluis,

Et circum vario pinguntur rura colore.
Pax reparat clades, pax terras ciuibus implet,
Dat'q; vias turgere viris atque aequora velis.
Pax priuata fouet, pax seruat publica, & omnis
Pace vna stabilitur honos & gloria regni.
Ergo chaos belli, diriq; horrentia Martis
Dissidia intereant, veniatq; à sedibus altis
Pax patria, sed nixa Deo & rationibus aequis:
Non falsis temerata dolis, nec Principe iusto
Indigna, aut turpi concordia parta tepore:
Non timido vultu, nec iniqua ad vota superbi
Hostis, at errori qualem moderata rigore
Principis haud duri prudens clementia poscit.
Tunc demum iunctis populis si iura ferantur
Aequa, sibi veteres si seruet Belgica leges,
Si factis dictisq; fides non irrita constet,
Mitia si fuerint leni moderamine frena,
Si blandi vultus, faciles si Principis aures
Oranti pateant, si iusta à plebe petantur
Subsidia vt prosit, sed non pereat, nec in vnum
Cuncta terantur onus: qualis fuit improbus olim
Ille error, tetro cuius commota veneno
Seditio incaluit tantósque euasit in ausus:
Si ductus sequimur patrum, si forma regendi
Moribus antiquis; nil quod sibi poscere Princeps
Iure queat, votis deerit: sed ad omnia promtos
Obsequiis animos & pectora fida suorum
Discet, & optato populi potietur amore.
Ille equidem regni robur virtusq;, perenni
Praesidio potior, malè certis fortior armis:
Hoc duce tuta manent, sceptra inuictaq; coronae:
Hoc vires & opes, regniq; potentia & omnis
Stat splendor, firmósque tenet respublica nexus:
Tanti amor est populi, non quem sub imagine vili
Confingat vulgus, sed quem dulcedine morum
Principis acta parent, qualem producere virtus
Vna solet: verùm sic vt clementia nullos
Contemtus habeat, nimio nec turgida fastu
Maiestas odium pariat, libramine recto.
Sic olim Austriaci Belgas, sic ducere quondam
Burgundi Heroes, quorum super aethera nomen
Viuit, & aeternam conseruant secula laudem.
Nec contra quidquam sibi mens praesaga futuri
Iam metuit: namque illa tui sanctissima, Princeps,
Haud aliud sperare iubent primordia cursus.
Atque ita felici felix sub Principe crescet
Belgica, & alterno consurget gloria cultu.
Et veluti prudens si quando rura colonus

Blanda

Blanda habet, vberibus variè præstantia glebis,
Omnes ingenij neruos intendit & artes:
Nunc Solis Lunæq́ vices, nunc sidera seruans,
Quo cœlo inducat sulcos, quo semina iactet,
Quis farris lætetur ager, quisq́ hordea poscat,
Quando fatiscentes æstu præcidat aristas,
Quando etiam captanda quies, frugumq́ labores
Mittendi, vel quando fimo arua vngenda tenaci.
Hæc animo versat solers & fida ministrat
Auxilia, vt segetem messis concedat opimam:
Nec curas quoque fallit ager, sed grata refundit
Officia, & largo reddit conamina fœtu.
Sic quoque dum vigiles animos, curamq́ fidelem
Principis, & factis certum experietur amorem
Belgica, & obsequiis & re fœcunda, rependet
Accepti memor, & pleno feret omnia cornu.
Et sic, Heroes, sic vos pia Numina longam
Iucundo faciant vitam decurrere filo.
Sic veniant votis regni fundamina, Nati
Nataq́ illustres, sacro de sanguine stirpem
Qui multa in seros deducant prole nepotes:
Sic inconcussa firmentur sceptra quiete,
Et restaurata florescant munera Pacis.

POSTERO die quinque ciuium armatorum collegia eodem cultu, amictu & Principum conspectu, per aulam ordines ducunt. Sequentes aliquot dies admittendis legatis & gratulationibus auspicatò sunt exacti; paucisque post diebus ludi apparatissimi, prouocatore Duce Mantuæ, sunt editi. Certamen fuit pedestre in magna palatij aula celebratum.

DIXIMVS Comitem Solræum cum Alberto Archiduce in Hispaniam profectum, mandata ab Ordinibus ad Regem habuisse. Is de legatione sua scripto ad ipsos retulit decimo quarto Cal. Nouemb. (nam tum Ordinum comitia indicta nondum erant) in hanc ferè sententiam: Se cùm Mediolanum cum Regina & Archiduce feliciter peruenisset, à sua Celsitudine nequid temporis deperiret, dum Reginæ nauigatio ob anni intemperiem diutius protrahitur, in Hispaniam cursu publico ablegatum fuisse, vt quæ ibi essent apud Regem peragenda, cum celeritate quam res Belgicæ postulabant interea præpararet. Mense itaque Decembri Mediolano decessisse, atque superatis anni & itinerum difficilium periculis, postridie Cal. Ianuarij Madricium peruenisse, ibique aditu ad Regem postero die impetrato, legationis suæ causam Regiæ Maiestati pluribus exposuisse, cuius hæc erat summa: Ordines Belgij generales ingenti dolore ob Regiæ Maiestatis patris sui excessum, qui in summa temporum difficultate incidisset, affectos fuisse: ipsos tamen eum luctum leuare hoc solatio, quòd huiusmodi filium & hæredem reliquisset, qui in ipsis primordiis regniq́ue rudimentis, magnum suę pietatis & prudentiæ specimen dedir, in assensu de prouinciis Serenissimæ sorori à patre cessis præbito. Maximas eo nomine Ordines gratias ei agere, eiusq́ue Maiestati potentissimę monarchię, ad quam Dei prouidentia legitimè vocabatur, successionem gratulari; eos porrò obsecrare, vt paterni erga Belgium affectus imitator, & promissorum memor, quæ per litteras suas ad ipsos datas fecerat, res eorum non deserat, sed Sororem Serenissimam & Archiducem iuuet, subsidia consue-

consueta, belli neruum mitti curet, denique nequid absentibus à Rep. Principibus aliquod ea grauius detrimentum capiat. Bellum siquidem geri vt tot annis diuturnum, sic non minus vehemens & formidolosum, nisi hostis eiusque confœderatorum viribus, quæ non contemnendæ sunt, fortiter resistatur, bellumque omni conatu, opibus & potentia ipsis inferatur. Neque hoc tantùm ad prouincias Belgicas conseruandas, & tranquillitati restituendas pertinere, verùm etiam alia Maiestatis suæ regna in aliquam periculi communionem venire. atque ad commercia noui & Indici orbis retinenda spectare, ac permagni interesse, vt hostis, ex recenti ad inaccessas illi oras nauigatione, insolentia reprimatur. Ordines operam daturos quantam possunt maximam, vt ab ipsis, in extremis licet rerum angustiis, nihil amplius requiri aut desiderari queat, & in fide ac obseruantia Regiæ Maiestatis perpetuo permansuros, cuius clientelæ ac benigno patrocinio iterum atque iterum commendari sese rogant. Rex oratione Comitis non minus patienter ac clementer audita, non minus beneuolè ac benignè respondit: Pergratam sibi esse hanc Ordinum legationem, eámque quantumuis benè intellectam, mandari scripto iubet, vt de sua in ipsos voluntate certiores & securos faciat. Ceterùm cordi sibi esse vt paternis in affectu suo declarando vestigiis insistat, & sorori suæ charissimę nunquam desit, eámque se non solùm regnorum suorum potentia adiuturum, sed præsentia quoque sua, si res ferat, adfuturum. Quantopere ea res ad regnorum suorum quietem & commercium, ac Regij sui nominis existimationem spectet, compertum sibi esse, se de omnibus cum Alberto Archiduce Valentiæ, quo Comitem sequi iubet, deliberaturum, & Ordinum postulatis scripto responsurum. Parem quoque Solræus diligentiam adhibuit apud inclytam Augustam Celsitudinis suæ matrem, & Infantem Serenissimam Archiducis sponsam; & accessu ad heroinas sæpius impetrato, statum rerum Belgicarum multis vtrique verbis exposuit, atque huic causam filij, illi propriam commendauit. Effectum legationis successus mox edocuit: nam Austriæ Cardinali Belgij præfecto stipendia trimestria septingentorum & quinquaginta millium aureorum, pro subsidio ordinario, quingenta item millia extra ordinem missa sunt. Valentiæ & Barcinone per Regiam Maiestatem cum sua Celsitudine de re summa constituitur. Hæc Solræus, suamque relationem ob honorificam legationem ab Ordinibus sibi delatam cum multa gratiarum actione conclusit.

LOVA-

LOVANIVM.

Breuis narratio ſolemnis ſuarum Celſitudinum introitus, & inaugurationis quæ more maiorum Louanij fieri ſolet, vtpote metropoli Brabantiæ antiquiſsima.

POSTQVAM Prælati, Nobiles, & quatuor Metropoles Ducatus Brabantiæ, tres Ordines eiuſdem referentes intelligerent Principum voluntatem, de ritibus antiquis & ſolemnitatibus à maioribus ſemper obſeruatis, ſe mores maiorum, conſuetudines, priuilegia tam ad ditionem generatim vniuerſam, quàm ad ſingulas ciuitates, municipia & pagos ſpeciatim pertinentia tenere, ſeruare & iureiurando confirmare, paratos eſſe: Conſules quoque & Senatus Louanienſis vbi reſciuerunt ſuas Celſitudines introitum ſuum facere in eam vrbem velle, vt conſueto & antiquo maiorum more & obſeruatione ab iiſdem Ordinibus vt Duces Brabantiæ inaugurarentur: Id ſtatim ſuis ciuibus incoliſque indicarunt, vt ſibi vnuſquiſque de rebus neceſſariis maturè proſpiceret, quibus omni, quo par eſt, cultu & reuerentia Principibus ſuis eant obuiam, & propenſam voluntatem affectumque demonſtrent, lætumque ſuum animum in ſua ciuitate illos recipiendi, quibus maximè poſſent teſtatum modis facerent. Omnes itaque artifices ſe operi accingunt, quodcumque ipſis à Ludouico de Schore & Guilielmo Liebarts ciuitatis nomine delegatis imperaretur. Cùm igitur de certo die conſtaret, octauo ſcilicet Cal. Decem. anno CIↃ. IↃ. XCIX. is D. Catharinæ profeſtus erat, quo Principes in vrbem venire decreuerant, omnes nobilitatis titulo inſignes, qui in opidis, municipiis pagiſque ſub Louanienſi ditione morantur, adeſſe ad dictum diem requiſiti, vt Principibus ad primum ab vrbe lapidem obuiam procederent, & præſentia ſua pompam exornarent. Dux Arſchotanus iiſdem nobilibus ſe beneuolum præbuit, vt omnium nomine Principes alloqueretur, obſequium operámque fidelem offerret. Is pulſu campanæ, quod ſigni loco erat ad D. Petri audito, equum cum omnibus nobilibus conſcendit, & in viam ſe dedit, ſuaſq; Celſitudines intra primum lapidem reuerenter ſalutauit cum omni obſequij fideiq; delatione. Senatus Louanienſis viatorē ſuum Bruxellam miſit, vt quādo Principes diſcederent inquireret. Qui vt eos hora decima digreſſos nunciauit, pulſu campanæ ciues admoniti ad locum cuique deſignatū, contendunt: Ordo Eccleſiaſticus in D. Petri ſe recipit, Magiſtratus in Senatoriam domum, & quatuor armatorum ciuium collegia ante ſuas quas in foro habent domos. Hinc ad templum omnes iuerunt, inde ad portas, & extra eaſdem Principibus obuiam hac pompa proceſſerunt. D. Petri prælata ſunt vexilla, tum Capuccinorum (Italica vox eſt à veſtis genere quod capite geſtant) patrum ſodalitas, quæ vitæ auſterioris inſigni ſanctimonia ſacræ militiæ ſub diuo Franciſco nomen dedit, hinc qui D. Auguſtino, ſequentibus diuorum Franciſci & Dominici è veſtigio ſodalibus. Hos ſubſecutum venerabile D. Petri collegium, vnà cum nobiliſſimo & generoſiſſimo Domino Georgio ab Auſtria Louanienſi Præpoſito digniſſimo, tum religioſi Abbatiarum ſanctæ Gertrudis, Parcenſis, & Vlierbacenſis, cum reuerendis ſuis Prælatis. Poſteà quamplurimi ſacræ Theologiæ, Iuris vtriuſque ac Medicinæ, lytæ & prolytæ vt vocat Imperator, vel loquamur cum vulgo Baccalaurij & Licentiati, cum funalibus accenſis. Secuta eſt vniuerſitas ſiue Academia, Doctores nimirum medici nigris amicti togis Damaſcenis cum rubris pileis & epomidibus, Iuris inde Doctores eodem amictu cum rubris epomidibus & pileis violaceis, poſteà Doctores Theologi cum nigris tunicis panneis talaribus & pileis violaceis & epomidibus. Hos ſequebatur magnificus D. Rector Vniuerſitatis, clariſſimus D. Thomas Fienus Doctor medicinæ &

professor celeberrimus cum omnibus sceptris inauratis, quæ illi præferebant quos Bedellos vocant, sceptrigeros sunt qui nominant eiusmodi appatitores. Collegia quæ aliàs armatorum erant, togata sequebantur, panneis togis nigris, raso duplicatis & serico nonnulli, quod armesinum vocant cum bullis in manicis argenteis inauratis, funale accensum singuli gestabant. Erant autem qui sclopis vtuntur in publicis certaminibus, vel ad vrbis custodiam sub D. Christophori patrocinio, viri septuaginta. Qui arcubus acernis sagittas emittunt D. Sebastiano militantes, viri quadraginta. Qui arcubus chalybeis siue balistis spicula eiiciunt in tutela D. Georgij, quadraginta duo; veteres verò arcubalistarij, qui D. Virginem habent tutelarem, viri sexaginta. Hanc pompam sequebatur vniuersus Magistratus huiusmodi ordine:

EX CAMERA LANIFICII.

Mr. Matthias Rogghe, à Secretis eidem collegio.
Ioannes vanden Broecke. Iodocus Bouba.
D. & Mr. Dionysius de Beringen, Iuris vtriusque Licentiatus.
Ioannes Boysac. D. Philippus de Schore.
D. Antonius vander Burcht. D. Ægidius vander Vorst D. de Loonbeke.
D. Guilielmus de Duffele.

SECRETARII OFFICII REGESTI.

Mr. Ludouicus Huens. Guilielmus Boonen. Mr. Laurentius Boonen.

QVÆSTORES.

Gregorius Loomans. Cornelius Nuekers.
Ioannes à Valckenborch. Carolus Rombouts.

SECRETARII ET PENSIONARII.

Mr. Michael de Villiers. Mr. Guilielmus de Cauerson.
D. & Mr. Petrus Vekemans Licentiatus I. V. Pensionarius & Secretarius.
Mr. Rolandus Princeps.
Mr. Guilielmus Guilielmi Pensionarius & Secretarius.
Mr. Gothofredus Reynders.

SENATORES.

Adrianus de Schutteput. Guilielmus Liebrechts.
D. & Mr. Petrus de Greue, I. V. Licentiatus.
D. & Mr. Philippus de Buck, I. V. Licentiatus.
D. Gaspar Roelofs. D. Guilielmus de Angelis.
D. Carolus vanden Tympel.

EX CIVIBVS QVAS NATIONES VOCANT.

Andreas de Pape. Bernardus de Smet.
Carolus de Maelstede. Gerardus vander Beken.
Lambertus Rogge. Ioannes van Ouerbeke.
Ieremias de Dormale. Ioannes Ooge.
Ioannes Moons. Franciscus vander Hoeuen Consul.

NOMINA EORVM QVI AD STIRPES LOVANIENSES GENVS SVVM REFERVNT.

D. Dionysius Vter hellicht. D. Daniel ab Assche.
D. Ludouicus de Schore.
D. Octauianus vander Thommen D. de Oplinter.
D. Paulus de Rycke. D. Philippus Heuleth.
D. Martinus Lieuens. D. Petrus van Griecken.
D. Arnoldus Vincx. D. Guilielmus Edelheer.
D. Richardus de Pulle Consul.

OFFICIARII.

D. Carolus vanden Tympel eques, Maior Louaniensis,
Ioannes Baptista Spoelberch eius Vicarius.

Summi

Summi ſubſellij Senatores, quique ad certas ſtirpes genus ſuum referunt, palliis incedebant ſolito geſtamine longioribus ex ſerico armeſino Neapolitano nigro, ſuffulris ex ſerico villoſo concolore, à pellium ſimilitudine, pelluciam vocant Itali, cum galeris holoſericis: qui plebem referunt panno nigro togari erant, veſte ex raſo eiuſdem coloris duplicata: Penſionarij & Secretarij togas ex armeſino atro habebant. Præcedebant Magiſtrarum viatores iurati cum fabris reip. togas geſtantes panneas violaceas, prętextatas ſerico albo & rubro, ac raſo vel armeſino duplicatas. Hac pompa ad virginum monialium cœnobium, ter Bane vulgò dictum, quæ leproſaria eſt, veniunt, ac ſuas Celſitudines in ſacello deprehendunt, quod peripetaſmatis erat exornatum, in medio ara, in qua venerabile Crucis ſignum iacebat, ad hunc vſum pro Ducibus Brabantiæ ab æuo conſeruatum, quod D. Alaidis vander Linden monaſterij Priorißa, D. Georgio ab Auſtria Præpoſito porrexit, qui illud Infanti deinde Archiduci deoſculandum præbuit. Acceſſit poſtea magnificus D. Rector cum ſuo comitaru, & ad Principum pedes prouolutus Vniuerſitatis & Ordinis Eccleſiaſtici nomine aduentum ipſis gratulatus eſt. Eodem ſubmiſſionis ritu D. Carolus vanden Tympel eques, & Maior Louanienſis nodoſam Principibus virgam detulit, Imperij inſigne, claues Conſul Richardus van Pulle. Alloquitur tum Principes his verbis Penſionarius:

OFFERVNT ſe qua maximè poſſunt reuerentia & cultu, Maior, Conſul & Senatus Louanienſis, PRINCIPES SERENISSIMI, ſuo totiusque reip. nomine, vt vobis aduētum in hac vrbe gratulentur. Nihil ipſis accidere poſſet vnquam gratius veſtro hoc conſpectu, vt introitum veſtrum hîc faciatis, & in Principes legitimos inauguremini. Nam ſummopere confidunt Principum qui pacis & quietis publicæ ſtudio ita ducuntur, vti veſtræ Celſitudines, virtute & prudentia, has Belgicas prouincias ex cladibus & miſeriis, in quas diuturnum & inteſtinum bellum eas adduxit & præcipitauit, priſtino ſplendori reſtitutum iri. Hæc ciuitas potiſſimùm quæ totis octo annis occupantibus vicinas ciuitates hoſtibus pro conſeruatione Catholicæ religionis & obſequij, quod Regi, tuę Celſitudinis parenti, debebamus, in perpeſſione longè alias antecellit, quæ tamen damno, detrimento & diſcrimine incolarum ſic ſeruata eſt, vt deformes ruinæ dent locuples teſtimonium. Cum aliis itaque exempli vice fuerit fidei Principi debitę, cum bona veſtra venia non ſolùm hoc meremur, vt antiqua priuilegia & maiorum inſtituta nobis conſeruentur, ſed vt aliis nouiſque amplificemur, cumulemur, augeamur, ſicut ſuæ Maieſtati nos in ſpem erigere litteris ſuis placuit. Veſtræ igitur Celſitudines eandem voluntatem rogamus nobis adferant, vt deuotis ſibi ſubditis, qui fortunarum & ſanguinis profuſione eam gratiam ſtudebunt promereri.

Reſponſum fuit pro ſolita clementia, quo loco ciuitatem Rex pater habuerit, benè ſibi conſtare, eandem ab illa fidem & beneuolentiam ſe quoque expectare, ſibi eam ſimiliter commendatam fore, Imperij inſigne clauesque illis reddere, curæ ſibi futurum vt meritis eorum votiſque ſatisfiat.

AD vrbem itaque vniuerſi contendunt, primùm ſacra ſodalitia, Canonici, Vniuerſitas; equeſtris dehinc turma Grobbendoncana, & Principum excubiæ cum magna aulicorum & nobilium frequentia. Magiſtratus ſequebatur, deinde Status conſilium, ſequentibus aulæ œconomis ac proceribus, Duce Arſchotano, Principe Auraico, Duce Aumalæ, Hiſpaniæ Regis legato, ac Nuncio Apoſtolico. Tres deinde caduceatores, quos Heroaldos vocant, cum paludamentis Burgundiæ, Brabantiæ, Arteſiæ: poſt hos Maior Louanienſis cum nodoſa in manibus virga, tum Borlutius ſeu primus Heroaldus, quem armorum regem vocant, ſuo more paludatus. Comes Solreus capite nudato ſtrictum enſem humeris geſtabat. Suæ denique Celſitudines equis vectæ candidiſſimis, veſtéque amictæ argentea ſubcærulea, Princeps ſereniſſima monilibus adamantinis aliiſque excultiſſima, dextrum ſtringebat Archiducis latus. Excepti ſub vmbella rubra damaſcena cum fimbriis aureis à ſex Senatoribus Louanienſibus geſtata, Dominis nimirum Paulo

de Rycke, Ludouico van Schore, Carolo vanden Tympel, Guilielmo de Angelis, Philippo de Buck, & Gaſparo Roelofs. Nobilium feminarum poſtea gynæceum, ponè ſtipatores cum eſſedis ciſiiſque ac impedimentis ibant. Nullæ hîc ciuium armatorum cohortes, vtpote è tranquillo Muſarum domicilio, in medium prodierunt, ſed habitu pacifico togati cum funalibus, à porta comitati ſunt, immixti ſtipatoribus. Tibicines publici ſuis inſtrumentis, tormentarij machinis Principes ſalutabant. Ad ingreſſum portæ quatuor columnæ ad inſtar fornicis triumphalis cum ſuis ſtylobatis & capitulis zophoriſque quadratam tabulam ſuſtentabant, & in ea depictum Cæſarem Auguſtum in prima iuuentute Apollonia reuerſum, vrbemque ingredientem, cum Iride ſolarem circulum ambiente, quod illi imperium orbis portendebat, vt varij auctores memoriæ prodiderunt, aſſcripta verba hiſtoriam indicabant:

FATA CORONANT.

Sed reddebat clariorem appenſa tabella:

OCTAVIANI AVGVSTI IN VRBEM ADVENTV
CORONA IRIDIS SPECIE CIRCA SOLEM APPARVIT,
NOVÆ POTENTIÆ,
NOVÆ PACIS AVSPICIVM.
HANC VOBIS, O PRINCEPS NOSTRI,
S. P. Q. LOVANIENSIS
IN IPSO INGRESSV DEDICAT,
NOVÆ POTENTIÆ,
NOVÆ PACIS AVSPICIVM.

In altera verò tabellæ parte ſic legebatur:

SOL VOBIS AB HESPERIA FVLSIT,
CIRCA EVM ET AB EO CORONA
PROVINCIIS VARIEGATA, IRIDIS SPECIE REFVLSIT.
O FAVSTA, FIRMAQVE ISTA SINT!
ET TV ILLE VTRVMQVE ORBEM,
VOS ISTI NOSTRAM BELGICAM
SALVTARI LVCE PERFVNDITE,
VITAM ET VIGOREM REDDITE,
HEV BELLIS CIVILIBVS AMISSVM.

Infra vtramque inſcriptionem ſic erat exaratum:

DEVS ET SVPERI VOTA NOSTRA AVDITE,
VOS PRINCIPES OBSEQVIA ADMITTITE,
QVÆ FIDELITER ET ÆTERNVM DEFERT
S. P. Q. VESTER LOVANIENSIS.

In faſtigio Principum inſignia hedera coronabantur, cum bractea crepitante; Inferius Brabantiæ & Louanij noſcebantur. Progreſſis vlterius ad monaſterium quod vocant Annunciatæ pegma fuit in conſpectu, quod Angeli ad D. Virginem legationem eleganter exhibebat, facta alluſione ad fundationem.

Paulò vltrà procedentibus, gigantea ſtatua ſeſe offerebat, quem primum Brabantiæ Ducem ferunt Saluium Brabonem; prope eum eiuſdem ſtaturæ muliebris coloſſus Belgicam referebat, turribus coronata cornu copiæ brachio tenens. E regione ingens erat equus, ſeſſorum quatuor capax, quos totidem filios Aymundi indigitant, cum ſuis Brabantiæ paludamentis lauriq; in manu ramis, quæ ex pompæ amburbalis Louanienſium ſunt ferculis. Ex eodem ſpectaculorum ludo decem cameli ſunt producti, quibus pueri inſidebant habitu regio & ducali antiquos Brabantiæ Duces referentes:

CAROLVM BRABONEM qui regnauit anno mundi	MMM. DCCCC. XXIX.
IVLIVM anno Chriſti	XL.
OCTAVIVM	LXXX.

VVERICVM	CC. IX.
ANSIGISVM	CCCC. VIII.
LANDONEM	CCCC. LX.
CAROLOMANNVM	D. LX.
PIPINVM	DC. XVI.
CAROLVM MARTELLVM	DCC. XIIII.
CAROLVM MAGNVM	DCC. LXVIII.

Procedentibus ad eam quæ Biestporta vulgò appellatur, alius fornix occurrit seu pegma triumphale XII. pedes latum, profundum XVIII. cum suis stylobatis & columnarum trabeatione ad architectonicam dimensionem, accedentibus ad ornatum magnis duobus vtrinque Geniis qui lauream manibus tenebant coronam, ibique legebatur:

VT FELIX FAVSTVSQVE SIT SERENISSIMIS PRINCIPIBVS
ALBERTO ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ INGRESSVS, VOVET
V. S. P. Q. L.

Supra verò in eadem porta, hæc lector describebat:

Archiducem visura suum Parnassia liquit
Culmina, Musarum domus (auctor Apollo serena
Lætitiam cum luce vehens) dant gaudia plenis
Pectoribus: lætum, Princeps, pæana tuorum
Quo promunt animo capias, quia semper habebunt
Te lyra, te cithara, te nostra, Alberte, camœna.

Ad læuam hæc carmina legebantur:

Ite procul curæ: antiquos oblita labores
Vrbs ouat in mediis luctata tumultibus olim,
Nunquam victa tamen, virtutis conscia lætum
Illibatæ fides vrbis fremit, atque fidelem
Audet auétque Ducum dextris coniungere dextram;
Ite procul curæ, noua nunc vrbs gaudia sumat.

In pegmate tres virgines has personas sustinebant, prima Fidem cum signo in manu Saluatoris Crucifixi, altera erat Vniuersitas libros penes se habens artesque liberales, tertia pro Louanio ex insignibus noscebatur, laurum manu prętendens. Venientibus coram hoc pegmate Principibus hos versus anagrammia in se continentes, voce articulata prolocuta est Fides:

Saluete magna maxima lumina
Gentis, propago stemmatis Austrij:
Alberte salue, túque Belgi
Clara animosa leæna salue. Anagramma.
Ceu qui procellis victus in obruta
Rector iacebat semianimis rate,
Polluce tranquillum rubente, aut
Castoreo reuiuiscit igne:
Sic pressa gressu signa Louanium
Vestro vt notauit consonat impotens
Sensisse Principum fauentem
Protinus aduenientium auram.
Musæ parentes suscipiunt suos,
Semper fidelis propositi tenax
Vrbs maximos Duces, serenis
Vultibus icta Deûm renidens.

Vrbs bina binis partibus, vnica
Iunctis duarum mentibus, & fide,
Nunc voce iuncta te salutant,
Fausta Duci reduci precantes.
Ergo Austriorum progenies ducum
Procede felix, & tibi creditos
Defende, proruas rebelles
Sic cuneos sine clade victor.

Paululùm progressi arcum inuenerunt duodecim pedes altum, totidemque latum & profundum cum suis columnis, stylobatis, epistyliis, zophoris, coronicibus, super quibus stemmata D. Philippi II. in medio Brabantiæ & Louanij vtrinque cernebantur, & ibidem legebatur:

DIVO PHILIPPO II.
QVOD HANC ACADEMIAM ET OPIDVM SINGVLARI GRATIA
ET CVRA FOVERIT, DICABAT CONSECRABATQVE
V. S. P. Q. L.

Superius erat scena vbi habitu regio solioque sedebat adolescens Regem denotans, cui virgo se gerens pro Vniuersitate hæc carmina, cùm Principes in conspectu essent, memoriter recitabat:

Quamuis regna tuum priscis incognita seclis
Mille iugum ferrent, latéque potentia sceptra
Idem finiret magnum qui terminus orbem,
Te coluisse tamen terris magis omnibus vnam
Hanc sibi quam pietas sedem Musæq; sacrarunt,
Nouimus, & grates agimus tibi magne Philippe.

Sinistram scenæ occupabat Louanium sub virginis persona eleganter comtæ, proferens hæc carmina:

Sed quæ causa fuit tanto condigna fauore?
Nempe impollutos quia relligionis honores
Assiduo retinet studio, Regíque Deóque
Mente fidem solida (flammis vicina videret
Feruere regna licet) constans seruauit auitam,
Cuius perpetuo flagrabat pectus amore.

In vicinis ædibus Musica harmonia ipsis Archiducibus summopere placuit. Super pontem lapideum in ingressu erant positæ duæ pilæ quadratæ in fornicem desinentes; super dextro è ligno dedolatus Saluius Brabon, primus, vt fertur, Dux fuit Brabantiæ, cum vxore Svvana ab altera parte. In ipso ponte Hermæ viriles porticum efficiebant, hos verò Duces Brabantiæ referebant, annumque quo regnarunt:

CAROLVM ANNO	DCCCC.
LVDOVICVM	DCCCC. XV.
CAROLVM	DCCCC. XXXI.
OTHONEM	DCCCC. XCI.
GOTHOFRIDVM BARBATVM	M. C. VIII.
GOTHOFRIDVM SECVNDVM	M. C. XL.
GOTHOFRIDVM IN CVNIS	M. C. XLIII.
HENRICVM PRIMVM	M. C. LXXXVI.
HENRICVM SECVNDVM	M. CC. XXXV.
HENRICVM TERTIVM	M. CC. XLVIII.
HENRICVM QVARTVM	M. CC. LX.
IOANNEM PRIMVM	M. CC. LXVII.

Ad pontis egressum visus est insignis arcus triumphalis seu honoris porta, alta pedes viginti quatuor, profunda viginti, lata sedecim, columnis quatuor in anteriori fronte, totidem in posteriori fulta, cum suis stylobatis, capitulis, epistyliis, zophoris & coronicibus eleganter adornata. In quatuor stylobatis metropoles Brabantiæ Louanium, Bruxella, Antuerpia, & Siluaducis sua agnoscebant distinctè insignia; interior ornatus quatuor matrimoniis Brabantiæ quondam Ducum oculos detinebat, Anchisæ vel Ansigisi & Beggæ, Lamberti & Gerbergæ, VVenceslai & Ioannæ, Maximiliani & Mariæ. A primo introitu portæ ad dextram vidisses hæc carmina:

Hac sacra Principibus laurus Ducibúsque Brabantis
Insitione noua, cui vos (augusta propago
Austriadum) illustres iam læta Brabantia ramos,
Dux Alberte, tuúmque decus, Isabella, secundis
Inserit auspicijs, vestro vt sub tegmine frondis
Tot quassata Notis & fulmine adusta malorum,
Securas quærat latebras tutósque recessus,

Læua hos versus legere quiuis poterat:

O fortunati quibus hæc duo germina surgunt
Semine Cæsareo Belgæ! quæ florida regna
Cernere erit tali imperio, tædáque iugali!
En Boreæ conclusa metu melioribus astris
Claustra sui calycis perrumpere nititur, orbe
Productura nouos fœtus pietatis, in illo
Errorum fidei euulsis cum stirpe labruscis,
Nequa filix nostris rediuiua repullulet aruis.

Super portam materiata erat porticus cum suis columnis affabrè factis. Quatuor hîc è ligno dedolatæ figuræ, vna Episcopi siue Prælati, primum Brabantiæ Ordinem referens, habebat asscriptum:

NEC SPE NEC METV.

Alium angulum eques occupabat armatus cum suo vexillo, pro nobilitate positus, vel secundo Ordinum membro, sic ibi legebas:

IN VTRVMQVE PARATVS.

Stabat tertius togatus, pro tertio membro seu Brabantiæ ciuitatibus, cum hoc symbolo constantiæ:

NE CEDE MALIS.

Quartus locus agricolam vendicabat cum rastris & ligone, erat illi asscriptum:

PACEM TE POSCIMVS OMNES.

In hoc quadrato repagulorum ambitu cantores consistebant, qui dulci modulamine hos versus concinebant:

Viuant parentes patriæ, viuant diu
Albertus, annos æquet & æuum Nestoris,
Viuat Isabella Clara, clara Eugenia
Felix, diúque regnet Austriadûm domus.

Erat & tertia eleuatio, basis nimirum octo pedes alta, lata decem, cum suis in quadrato circuitu columellis, ac super eadem arbor plantata quam Iessæam nominare potuisses, triginta & octo pedibus sublimis. Hinc duodecim rami prominebant cum suis floribus siue coliculis, quibus insidebant totidem pueri eleganter personati stemmate Brabantiæ, paludamentis, regiisque sceptris & ducali tiara: exhibebant autem non inuenustè sequentes heroës, annumque regiminis:

IOANNEM SECVNDVM	M. CC. XCIIII.
IOANNEM TERTIVM	M. CCC. XIIII.
IOANNAM	M. CCC. LV.

ANTONIVM BVRGVNDVM	M. CCCC. VI.
IOANNEM QVARTVM	M. CCCC. XVI.
PHILIPPVM A SANCTO PAVLO	M. CCCC. XXVII.
PHILIPPVM BVRGVNDVM	M. CCCC. XXX.
CAROLVM BVRGVNDVM	M. CCCC. LXVII.
MARIAM BVRGVNDAM	M. CCCC. LXXVII.
PHILIPPVM AVSTRIACVM	M. CCCC. XCIIII.
CAROLVM AVSTRIACVM	M. D. XIIII.
PHILIPPVM AVSTRIVM	M. D. XLIX.

Summum fastigium seu apicem arboris ascenderat adolescens, qui Deum patrem Sole amictus cum Luna ad pedes & mundo quem tenebat, verbisque referebat:

REX REGVM,
DVX DVCVM,
D. DOMINANTIVM.

Ad arboris radicem ex rubro serico fimbriisq; aureis stabat conopeum decem pedes altum: sedes duæ holosericæ vacuæ, sessores videbantur exspectare, ante conopeum tres nymphæ excubabant, prima erat virgo Brabantica, quæ cornu tenens Amaltheæ Principibus aduenientibus hæc carmina proferebat:

Saluete Belgicis in oris iam diu
Optata votis lumina Austriacæ domus,
Alberte, túque Isabella Clara Eugenia:
Longam hic seriem Ducum meorum, & nobilem
Propaginem in hoc ramo videtis, qui meas
Felici tractauêre habenas dextera:
Nunc has viduas sedes auitas defero
Vobis, tibi vnam, Alberte, sublimem alteram,
Isabella, tibi, vt æquis popellum legibus
Regatis, & concreditas prouincias.
Via hîc Honoris passa vobis, scandite.
Hæreditatis sceptra iure debita
Committo vobis, me meósque mancipo;
Vt sicuti virtutis & prudentiæ,
Generosa posteritas, nec aquilæ degener
Propago, tantis estis hæredes viris;
Ita quoque honoris, dignitatis, muneris.
Cura paterna ab hoste defensam date,
A seruitute vindicate, & pristina
Pacis sequestris iura sceptris reddite.

Deinde Pax in hunc modum prolocuta est, secunda virgo tabernaculi custos:

O ter beata, ter ampliúsque Belgica:
Quis non quietas hîc sibi sedes legat?
Hæc nos sorores fixa tandem habitacula
Patrio occupemus sat diu extorres solo,
Summa hic voluptas solida futura, & gaudia
Secura sine Martis metu felicitas.

Tertia ianitrix Iustitia sic est effata:

Nec mirum, siquidem Austriacæ ius est datum
Fatale dia lege propagini, graui
Vt mole calamitatis attritos leuet,
Miserísque præsidium serenum, & opem ferat.

His

His ita dictis pueri in florum coliculis sedentes sic exclamarunt: VIVANT NOSTRI PRINCIPES, VIVANT NOSTRI DVCES. Eadem via quæ lapidea dicitur ad forum vsque ornata deducebat: hîc hermis & coronicibus cinctum forum vidisses decem pedes distantibus, atque alternatim stemmata Principum, & Brabantiæ ac Louanij posita insignia, viridi hędera circumamicta. Duo ibidem cernebantur anagrammata:

SVCCVRRIT BEATA SALVS.

EN EA BELGICA ARA SI VLLA.

Pilis etiam Duces Brabantiæ sequentes insistebant:

MAXIMILIANVS ET MARIA.

PHILIPPVS ET IOANNA.

CAROLVS ET ELEONORA.

PHILIPPVS ET ISABELLA.

PHILIPPVS ET MARIA.

ALBERTVS ET ISABELLA, CLARA, EVGENIA.

Nec ornatu carebat templi propyleum, vbi in stemmate hederaceo & bractea pendebant Archiducum insignia, atque hinc Brabantiæ, inde Louanij, infra in simili quoque ornamento hæc carmina ponebantur:

Arctius atque hedera procera astringitur ilex
Lentis adhærens brachiis;
Nos Alberte, tibique, tibique, Isabella, ligamur
Belgæ perennanti fide.

Ante templi vestibulum ex equis descenderunt, & per vtrumque Consulem introducti, à Præposito & Decano D. Petri in chorum deducuntur, refragante Archiepiscopo Machliniensi, qui ad se ratione dignitatis hanc prærogatiuam pertinere contendebat. Precibus & ceremoniis peractis pro D. Petri aliisq; Brabantiæ Ecclesiis in manibus Præpositi iusiurandum dixerunt:

NOS ALBERTVS ET ISABELLA, CLARA, EVGENIA, &c. iuramus & promittimus ad hæc sacrosancta Euangelia, quòd ab isto die in antea erimus fideles Ecclesię nostræ Sancti Petri Louaniensis, ac aliis Ecclesiis nostri Ducatus Brabantiæ. Et obseruabimus, faciemusque obseruari, iura, priuilegia, statuta, consuetudines, possessiones & libertates dictarum Ecclesiarum, & hominum spęctantium ad familiam beati Petri Louaniensis antedicti, prout prædecessores nostri Duces Ducatus Brabantiæ hactenus fecerunt, sic iuuet nos Deus & omnes Sancti eius.

Hoc autem iusiurandum ab Audientiario prælectum, Præpositus sumptis sacrosanctis Euangeliis, & Archiducibus vt oscularentur præbitis, hæc verba Principes pronuntiantes quidam audiuerunt, Hoc iuro & promitto. Decantato deinde beatorum Ambrosij & Augustini hymno, equos conscenderunt, & theatrum ad læuam reliquerunt ante domum Senatoriam præstando postero die iureiurando, longum pedes centum, latum XII. cum exedra pedum XXXVI. vtrinque cum gradibus ascensui commodis. Fastigium pictas habebat imagines, Pacis, Iustitiæ & Veritatis cum aliis ornamentis stemmatum Celsitudinis, huiusque inscriptionis:

ET IVRABIS VIVIT DOMINVS IN VERITATE ET IVDICIO ET IN IVSTITIA, ET BENEDICENT EVM GENTES IPSVMQVE LAVDABVNT.

IEREMIÆ CAP. IIII.

Rubris peristromatis theatrũ vndique velabatur, ac aureo suggestum ante ædes Senatorias panno; hîc Ordines Brabantiæ Principes exspectabant, Dux cum iis Arschotanus ac Princeps Comes Arenbergius, ipsisq; transeuntibus reuerẽter assurgebant. Quandoquidem obuiàm non processerant, ante annos enim quinquaginta in Philippi Regis inauguratione aliter factum fuisse memoria nõ exstabat. Deinde reip. interesse existimabant ne per importunam quorundam ambitionem, sese iterum ordinis non satis pro sua dignitate seruati, sicut in prouinciæ ingressu acciderat, periculo cõmitterent. E regione aliud erat

pegma sexaginta pedes latum, profundum octo, Comicis spectaculis exhibendis accommodum. Procedentes vlterius ad læuam domus Senatoriæ arcum triumphalem inuenerunt in via quæ ad Hallas ducit, notum studiosis professorum lectiones frequentantibus locum, qui totam plateam eleganter obstruxerat, viginti quatuor pedibus erat sublimis, latus viginti, in transitu duodecim complectebatur pedes; pilæ octo singulis frontibus quatuor erant attributæ, cùm aspicienti legendum occurrebat:

BRABANTIA PRIMA PROVINCIARVM,
IN TRIPLICI SVO ORDINE,
ANTISTITVM, NOBILIVM, CIVIVM,
SERENISSIMOS POTENTISSIMOSQVE PRINCIPES,
ALBERTVM ET ISABELLAM DVCES SVOS
LÆTA FRONTE SVSCIPIT,
DEVOTA MENTE SVSPICIT,
ET FIDEM OBSEQVIVMQVE
MORE ET CANDORE MAIORVM
ÆTERNVM VOVET.

Hæc etiam carmina vtrinque legebantur:

Ad Albertum.

Cæsarea de stirpe genus, virtutibus ipsam
Qui stirpem superas, latúsque volénsque venito:
Suscipe Belgica sceptra arcani munera fati,
Suscipe, & æterno populos vt fœdere firmes,
Accipe dáque fidem, dea cana hac alligat orbem.

Ad Isabellam.

Quæ cæleste decus generis cælestibus æquas
Moribus aut superas, sidus quod splendet in orbe
Occiduo, radiis tu nostras pelle tenebras:
Da pacem sexus pacate, & Belgica regna
Suscipiens, sero ad seros transmitte nepotes.

Transitus huius machinæ pictas continebat Ducum Brabantiæ memorabiles victorias, quæ Rhythmis vernaculis in hunc modum explicantur:

Int Jaer twelf-hondert en tachentich acht
Heeft den iersten Hertoghe Jan van Brabant
Het heyr van seuen Heeren omgebracht/
Alquamen zy thien tegen een ter hant.
Door Godts help ende zijne Brabanders vaillant
Heeft hy om Limborch desen strydt anuecrt/
By Woeronck/ en dat meest by onderstant
Der Louenaers die hy creech lief en weert;
Wantse hem setten op een ander peert/
Heeft hyse mildelijck gheprivilegeert
Ende t'Peeter-manschap daer toe gheconfirmeert.

Quæ Latinè sic sonant:

ANNO CIↃ. CC. LXXXVIII. SEPTEM REGVLOS ET EORVM EXERCITVM IVXTA WAREMIAM SVPERAVIT IOANNES PRIMVS DVX BRABANTIÆ OPE DEI, MANV ET ARMIS TVM RELIQVORVM BRABANTORVM, TVM PRÆCIPVE LOVANIENSIVM, QVIBVS HAC CAVSA NOVA ADIECIT PRIVILEGIA, ET ALIVD VVLGO DICTVM het Peeter-manschap CONFIRMAVIT.

Ad læuam historia anni CIↃ. CCC. XI. pulchrè adumbrata ex scriptura cognoscebatur:

Den derden Hertog Jan door Mars praccyck
Heest van syn volck berooft ende gematteert/

Heeft

Heeft den selten Philips Coninck van Vrancrijck
Tegen t'lant van Brabant gheconspireert/
Met sesthien Landts-Heeren gearrueert
Tot Sint Truyden/om stortẽ Brabandts bloet:
Maer siende dat Hertog Jan wel gheanimeert
Tot Heylichsem had ghestelt den voet/
Es door den regen ghebluſt sijnen moet/
Die op Brabandt onsteken was seer grouwlijck
En gaf Hertogs Soon sijn Dochter te houlijck.

IOANNEM III. DVCEM BRABANTIÆ BELLIS VARIIS ATTRITVM ET PENE EXHAVSTVM PHILIPPVS VI. GALLIÆ REX VNA CVM SEDECIM REGVLIS DEBELLATVRVS TRVDONOPOLIM PERVENERAT. SED BRABANTIS STRENVE IN HEYLICHSEM VSQVE OBVIAM EVNTIBVS, NIMBOQVE PRÆCIPITI ACCIDENTE HOSTIVM REPRESSVS EST IMPETVS: PAX DEINDE VTRINQVE INITA, NOVO CONIVGIO FILII DVCIS BRABANTIÆ CVM FILIA PHILIPPI VI. FVIT FIRMATA.

Pro ſecunda eleuatione ex armamentario depromta erat moles ad pedes xxxvi. ſublimis in quatuor circulari forma coronas eleganter diſtincta. In ſupremo faſtigio leo videbatur altus ſex pedibus, qui Brabantiæ inſignia prætendebat, ſub hoc ſex virgunculæ laureum ramum dextra, ſiniſtra tenebãt ciuitatum inſignia, Limburgi, Valckenburgi, Traiecti, & quatuor opidorum Tienæ, Lewæ, Niuellæ & Liræ. In ſecunda & tertia ſeſſione virgines ſedebant ſplendido amictu cum laureo ſimiliter dextra ramo, & inſignibus opidorum quæ referebãt læua, Landæ, Gemblaci, Arſchoti, Diſtæ, Bredæ, Bergarum ad Zomam, Fani D. Gertrudis, Steenbergæ, Hanũti, Sichenæ, Helmontij, Endouiæ, Viluordię, Herentalij, Megemij, Rauesteynij, Iudoignæ, Halæ & Grauiæ. In inferiori plurimæ virgunculæ candido amictu cum aureis ſegmentis ſtemmata tenebant earum ditionũ quas Baronias vocant, Arſchoti, Bergæ, Grimbergæ, Gaesbecanæ, Cuyckij, Perweſi, Diſtæ, Bierbecæ, VVeſemalæ, Rotſelaræ, Duffelæ, Ghelenſis, Bouterſemæ, Bouxtelæ, Bredæ, Cranendoncæ, Leefdalæ, Raynéſiæ, Sombreuiæ & Heuerlæ. Ad quatuor huius eleuationis angulos virgines totidem cum quatuor ciuitatum quę in Brabantia metropoles ſunt, Louanij, Bruxellæ, Antuerpiæ, Siluęducis, inſignibus conſidebant. Pegma ad Hallas conſpiciebatur pedes altum viginti quatuor, profundum duodecim, in quo ſeptem artes exhibebant liberales, Grammaticam cum claui primisq́; elementis: caduceum Rhetorica, libram Dialectica cum volumine, inſtrumenta & libros habebat Muſica, Arithmetica tabulas, circinum regulamq́; Geometria, ſphæram Aſtronomia. Accedebat ad dramatis perfectionem Artium facultas cum libro in manu, & Theologia cum candido amictu & libro inaurato, factam puta paginam, Iuriſprudentia cum libro & gladio: baculo ſerpente ſpiratim circumuoluto Medicina, quod tribuitur Æſculapio. Accedentibus illuc Archiducibus gratulatorios aliquos verſus prolocutæ ſunt:

Infra Archiducum ſtemmata gentilitia hæc carmina lectorem ſtudioſum detinebant:

Te Grudiis, Iſabella, tuis Naſica Cybellen
Aduehit, vt caſta ſuſcipiare manu.
Caſtas Caſtalides, caſtam veneranda facultas
Tendit, da maneat virginitatis honos.

Scenam temporariam ad Hallas inuenerunt, quæ vſque ad proſcenium octo pedibus attollebatur, viginti ſex lata, tribus diſtincta tabernaculis, quorum ſingula victoriam denotabant Caletanam, Ardeatinam & Hulſtanam, ita ſingulis erat aſſcriptum:

CALETO.

Illa ego Marte potens, vaſti qua frena guberno
Oceani, quam mille rates & mille virorum
Turma tenet, multóſque in triſtia bella per annos

Possedit Gallo multum indignante Britannus:
Victrices Alberti aquilas experta, triumphum
Incipiens, sperare dedi maiora; praisse
Principis aduentum victoria læta videtur.

VENI, VIDI, VICI.

ARDEÆ.

Ardea quæ quondam dominatus ferre Britannos
Nescia, & Armorici sceptrum agnouisse tyranni
Immemor, insurgens sublimibus ardua muris,
Nunc iaceo, & magni nutum seruare Philippi
Atque sub Austriacis cogor vi degere signis.

VIRTVTE DVCE.

HVLSTO.

Illa egò quam recreat tellus prædiuite gleba,
Ætherium cæli numen magnúmque secuta
Albertum, dubiis belli mea viscera flammis
Eripui, & Batauum nebula vinclísque solutis
Pectus in antiqua fidei statione locaui,
Victorísque sequor laurum, nutúmque fidémque.

COMITE FORTVNA.

Cùm ante scenam Principes peruenissent egressa Hulsto formosa virgo suæ Celsitudini portarum claues detulit, additis his versibus:

Nunc inimica meas teneant licet agmina sedes,
Atque graues dederint tormentis fracta ruinas,
Non tamen ambiguus turbat mea pectora mæror,
Nec mihi flere lubet tanti discrimina belli.
Maxima nam clarus præstat solatia victor:
Cuius ob audaci partos Mauorte triumphos
Gloria per totum viget admirabilis orbem.
Non Thetis Æaciden ad Troia mænia ferro
Hectoreo quondam foret indignata peremptum,
Sed Paridis cecidisse manu plorauit inertis.
Non secus Alberti quia virtus inclyta nostros
Exæquauit humo muros, dolor intima nullus
Iam mea sollicito vexat præcordia luctu,
Plurima quin tacitam pertentant gaudia mentem.
Namque fui dominis parere coacta superbis
Hactenus, Alberto nunc seruitura potenti,
Qui nostros pro Rege lares ditione tuetur.
At mea si quid habent veri præsagia, nostros
Inclyte tu dominus quondam moderabere ciues,
Et populo tu iura meo dabis. Ipsa facessam
Iussa; vtinam hanc coniux properet Tithonia lucem.
At precor interea viuat tua fama, tuorum
O sublime decus procerum, tua gloria viuat,
Viuat nobilibus laus accumulata trophæis.

Cùm vlteriùs incederet pompa, ex columnis ſcenam reperit in amœni hortuli formam, vbi in introitu hæc carmina lectori occurrebant:

Dum ferus armatos leo Belgicus aſperat vngues,
Ciuiléſque terit ſalebras temerarius auſu,
Altius acta pedi perſedit vulnere ſpina,
Spina penetratis quæ perculit ima medullis:
Quo fera ſe vertat, qua ſaucia voce dolorem
Explicet! in veſtros imploratura medelam,
Auſtriadæ, fugit amplexus, veſtráq́ repoſcit
Mite patrocinium dextræ, miſereſcite tandem
Afflictæ, auxilium præſénſque, Alberte, leuamen:
Túque ſalutifera Pandora è pyxide certam
Iſabel affer opem, vt priſco reddatur honori
Belgica tantorum detracta ſente malorum.

In eodem hortulo Androdi cum leone è Gellio hiſtoria parum immutata ſpectaculo accedebat. Aderant enim Principes perſonati, qui ſauciæ feræ ſpinam euellebant, atque hoc modo Archiducibus gratulabantur:

ALBERTVS. *Huc mea voluptas, huc meum ſuauium*
Iſabella, fraternæ Heſperiæ negotiis
Grauibúſque curis ſepoſitis procul, aduola.
ISABELLA. *Quid ſpes mea, meum præſidium optatum & decus,*
Alberte, quid te cruciat, angit, excoquit?
ALBERTVS. *Attende parumper, intuere quàm graui*
Planctu, quibus rugitibus ſe ſaucium
(Inuictus eſſe qui ſolet) ingemat leo.
ISABELLA. *Propius adeamus, quis miſerum ſcrupus premat,*
Quo torqueatur ſauciatus vulnere.
Luſtremus attentiùs; vt iſtum ſi potes
Præſente dolorem leniamus pharmaco.
ALBERTVS. *Per me lubèt, nec belluæ ferociam*
ISABELLA. *Exhorreo, audens ibo. Coniux coniugi*
Comes adèro in diſcrimine, & ducem ſequar.
ALBERTVS. *Spinam hanc vides totam doloris originem*
Maliq́ fontem? hæc eximenda robore
Niſuque noſtro, agedum pari luctamine
Iunctiſque ſpinam cara coniux viribus
Vellamus, vt leo conualeſcat Belgicus.
ISABELLA. *Me ſanè iniquus belluæ caſus mouet*
Miſerétque ſortis, vt pariter opem feram.
ALBERTVS. *Tu gratus animo, quo vales ſenſu leo*
Meritas Iſabellæ beneficio grates refer.
ISABELLA. *Alberto eaſdem ingentiores aut refer,*
Virtute cuius ſanitati es redditus,
Solito vigori priſtiniſq́ viribus.

Muſica deinde harmonia ſuaui concentu hos verſus modulabatur:

Io triumphe, io triumphe vicimus,
Optata votis parta hodie eſt victoria;
Pœnas luerunt perduelles impij,
Cruórque tumidas auget vndas æquoris.

Ad patrum Societatis collegium pegmati occurrerunt, quod cum ſuis ornamentis ſpectandos hos verſus tranſeuntibus dabat:

SERENISSIMIS PRINCIPIBVS,
ALBERTO ET ISABELLÆ,
MAGNIS BELGARVM DVCIBVS,
S. P. Q. L.

Hæc quoque carmina ibidem in dextra parte legebantur:

Saui maris Mars incola ſauior,
Telluris atræ miles atrocior,
O triſti recreate ſæpe ludo!
Luſiſti ſatis & ſatis bibiſti,
Bellona tibi poculi miniſtra.

Ad læuam autem hos verſus curioſus lector deſcribebat:

Longis procul te diuidit inuia
Terris via, & nos non patet amplius
Viſendi locus, obſidente militis
Mæandro vada flexibus marina.
Te (ô ſtringente pedem ligate nodo, vt
Quondam arctante pedem ſolute nexu)
Clauſo deinceps carcere iactita.

In ſcena pegmatis Vulcanus in ſua ferraria officina ex armis vomeres informans, tædium belli paciſque deſiderium ob oculos ponebat, iuxta Prophetam:

CONFLABVNT GLADIOS SVOS IN VOMERES,
ET LANCEAS IN FALCES.
ISAIÆ II.

Hoc virgines ſeptemdecim eleganter amictæ Duce Belgica Archiduces precabantur huiuſmodi verſibus:

Saluete Auſtriaci clariſſima ſidera cæli,
Sidera Belgiacas illuſtratura tenebras.
Queîs cadet Martis furor accedentibus, & trux
Deſinet infauſtum diſcordia ſcindere vulgus.
Queîs veniet pacis decor aduenientibus, & dux
Incipiet fauſtum concordia iungere vulgus.

Vicinam palatio portam, quod in Collegio Antuerpienſi (à Petro van Dale fundatore nomen habet) erat inſtructiſſimum, ciuitas ſcenâ temporariâ exornarat, pedes altâ decem, profundâ ſedecim, thronumque in ſummo triginta pedum fecerat, cum ſuis ex architectura partibus, affixumque ſuperius huiuſmodi ſcriptum:

PATRIÆ PATRIBVS,
ALBERTO ET ISABELLÆ,
PACIS AVCTORIBVS,
S. P. Q. L.

Sedebant in ſolio tres perſonæ, quæ hanc inſcriptionem ante ſe habebant:

VERITAS DE TERRA ORTA EST, ET IVSTITIA
DE CÆLO PROSPEXIT.
PSAL. LXXXIV.
IVSTITIA ET PAX OSCVLATÆ SVNT.
PSAL. LXXXIV.
ORIETVR IN DIEBVS EIVS IVSTITIA ET
ABVNDANTIA PACIS.
PSAL. LXXI.

Pax

Pax & Iustitia ad hominum vota in scena consistentium ex alto descendebant, qui eas musico concentu suauiter excipiebant.

Affixa vtrimque scenæ erant hæc carmina:

Vrbis delicium polique amores,
Orbis delicium deique amores,
Pax certè Dea Patre nata summo,
Pax enixa Deum profectò summum,
Quas tandem latebras fugâ petisti,
Quos iuncta tibi Gratia recessus!
Exoptata redis, sat abfuisti
O mundi decus, ô mei lepores,
Quas Belgi modò despicis iacentes
In fulgente throno statuta terras,
Belgi (inquam) bona visita nouales
E splendente polo reducta campos.

Ante D. Quintini portam interiorem, arcus triumphalis erectus fuit, in altitudinem triginta sex pedum, & octodecim latitudinem, duabus innixus magnificis columnis, & supra eum Persei & Andromedæ historia intuentibus, inscriptio huiusmodi legentibus patebat:

SERENISSIMI PRINCIPES,
ANDROMEDA CEPHEI ET CASSIOPEÆ FILIA
FORMA ET ANNIS FLORENTISSIMA,
OB MATERNAM IACTANTIAM
IN SCOPVLO ALLIGATA CETO EXPONITVR,
SVI IMPOS, SPEI EXPERS.
PERSEVS IOVIS PROGENIES
PEGASO ALATO VECTVS,
HARPE ADAMANTINA ARMATVS,
SCVTO GORGONEO MVNITVS,
ORCI GALEA TECTVS,
ATQVE HÆC OMNIA CONSILIO VEL AVXILIO MINERVÆ:
ADEST, MISERATVR, SVBVENIT,
MONSTRVM PEGASI OPE OCCIDIT,
ANDROMEDAM TORO SIBI IVNGIT,
ET CVM LÆTA LÆTAM ÆTATEM AGIT,
LIBERIS NEPOTIBVSQVE FELIX.

In tabellæ altera parte sic descriptum obseruabatur:

AT BELGICA HÆC VESTRA ANDROMEDA EST,
FORTVNA ET OPIBVS OLIM FLORENTISSIMA,
NVNC OB MAIORVM SVPERBIAM ET LVXVM
MAXIMIS FLVCTIBVS ET MONSTRIS EXPOSITA,
SVI IMPOS, SPEI EXPERS.
TV, ALBERTE, CÆSARVM PROGENIES
HESPERIO PEGASO SVBVECTVS,
HARPE MILITIÆ ARMATVS,
SCVTO PIETATIS MVNITVS,
GALEA PRVDENTIÆ TECTVS.
ATQVE HÆC OMNIA CONSILIO VEL AVXILIO TVÆ MINERVÆ
ADES, MISERARIS, SVBVENIS.
MONSTRA PEGASI OPE SVBMOVES,
BELGICAM SVB DITIONE TVAM HABES.

CVM

CVM LÆTA IGITVR LÆTAM ÆTATEM AGE,
LIBERIS NEPOTIBVSQVE FELIX.

Paulò inferiùs in tabella singulari scriptum legebatur:

QVOD APPRECATVR ET SVSPIRAT
SACRA DEVOTIONE VESTER
S. P. Q. LOVANIENSIS.

Principibus palatium suum ingressis, ad ignes auspicij & lætitiæ indices tota vrbe exstruendos, vt & biduo sequenti, omnes ciues sese parant. In quos vir clarissimus Iustus Lipsius, qui præcedentium aliquot inscriptionum auctor est, calore deuotionis hos versus ἐχεδίασε:

Æmulus assurgat Phariis vel turribus ignis,
Igne fora, igne via, templa quoque igne micent.
Quæ causa? ignis amor, flagrant nunc omnia amore,
Princeps, ipsa vxor Principis, & populus.
Ille atque hac vtriusque, atque vltimus ille, vtriusque,
Dij facite, æternum mutuus hic sit amor.

Idem πλατύτερον.

Quòd latis flagrat ignis in plateis,
Quòd fora occupat & domus sacratas,
Quòd domus simul occupat profanas,
Non miraberis, hospes, ecce flamma
Multa huc venit, & ipse flamma Princeps,
Vrit, vritur, idem & eius vxor.
Ille hunc, hæc magis illum, vtrumque Belga,
Nam suos amat ille & illa Belgas,
Suos obsequio & fide perenni.
Quid Belgæ? ij quoque amant & illam & illum,
Et colunt sibi cælitus dicatos
Principes Dominósque. Flamma felix!
Vre atque vrere tu caterua triplex,
Donec machina dædala ista mundi
Fatali ruet & peribit igni.

Comicis etiam actiunculis scena in foro perstrepebat. Postero D. Catharinæ sacro die ad præstandum iusiurandum dicto, Ordines Brabantiæ Principibus consultis quo ordine ad solennem hunc actum incederent, è Collegio Pontificis ad palatium equis vecti sunt. Inde Principes ad templum peracta re diuina inaugurandos deduxerunt: præcedebat turba aulica, cum nobilibus & magnatibus, Ordines seruato ex præscripto ordine proximi Archiducibus hac serie sequebantur: Franciscus de Hauthem D. VVeueræ in opido Thienensi duumuir siue Consul, Iacobus de Ranst ibidem Secretarius: M. Iudocus de Haelwyck Scabinus vel Senator opidi Leuwæ (Leuacos hîc fuisse sunt qui putant) M. Cornelius vanden Auoirt Graphiarius, Eustathius Iuerart duumuir Niuellæ, Paulus Roels Maior, Natalis Faulconnier Pensionarius eius opidi: Melchior de Cortbempde duumuir, ac M. Ioachimus de Postel Lirę opidi Secretarius: Illorum enim opidorũ legati ad huiusmodi solemnitatẽ conuocari etiam solent. Tum Quæstor ærarius Ordinum generalis cum ipsorum Actuario. Incedebant deinde Arnoldus de Breughel primus ordinis Senatorij apud Siluæducenses, cum M. Guilielmo Reys eius vrbis Pensionario: M. Henricus Schotti Pensionarius Antuerpiensis, cum D. Ioanne van Brecht eiusdem vrbis Senatore, D. Eduardus vander Dilft eques, D. de Leuergem & Doirne, cum D.Hen-

D. Henrico van Halmale equite D. de Vriessel Consule Antuerpiensi. M. Ægidius Martini Pensionarius Bruxellensis, cum D. Carolo de Lathem D. de Court, eius vrbis Thesaurario, D. Ægidius de Busleyden eques, Senator, cum D. Henrico de Dongelberge eius vrbis Consule. M. Guilielmus Guilielmi Pensionarius Louaniensis, D. Ioannes de Schore à consiliis eidem Reip. D. Guilielmus de Angelis Senator, vnà cum D. Richardo de Pulle eius vrbis Consule: qui quatuor ciuitatum Brabantiæ metropolitanarum erant legati, vnúmque siue tertium inter Ordines membrum repræsentabant. Sequebantur D. D. de Aiseau & Euerberge, Barones de Bassigny, Grimbergæ, & VVesemalæ, Princeps comes Arenbergius, Bergarum ad Zomam Marchio, Princeps Auraicus, Dux Croiacus & Arschotanus, pro altero: D. Gertrudis, Euerbode, Diligemi, Tongerlonensis, Heylichsemi, Grimbergæ, Villariensis, Vlierbecanus Prælati, Siluæducensis & Antuerpiensis Episcopi cũ Archiepiscopo Machliniensi, pro tertio Ordinum Brabantiæ membro sequebantur. Heroaldi seu caduceatores, Carolus vanden Tympel, & Solræus Cômes cum stricto ense, tum Infans Serenissima carpento vecta, cuius lateri sinistro Archidux adequitabat, veste vterque argentea amictus. In templi item choro Ordinibus dextrum latus, sinistrum magnatibus & aulicis attributum. Celebrabat rem diuinam Parcensis Prælatus tanquam hæreditarius Ducum Brabantiæ capellanus. Euangelio decantato Iacobus Baius Sacræ Theologiæ Doctor ad suas Celsitudines hanc orationẽ habuit:

FAVSTVM, felix fortunatumque Principatus auspicium religioni, Serenissimis vestris Celsitudinibus, patriæ, vicinis, totique Reip. Christianæ, Academia, vnà cum Clero Louaniensi, communibus, publicisque votis comprecantur, MAXIMI POTENTISSIMIQVE PRINCIPES, iucundissimoque Serenissimarum vestrarum Celsitudinum in hanc vrbem aduentui, exoptatissimæque inaugurationi, animis præ gaudio subsilientibus congratulantur: Deoque Optimo Maximo Christianæ religionis ritu gratias agunt, quòd suo fauore saluos, incolumes, omnibusque numeris absolutos Principes Belgio dederit, qui longo plurimarum rerum vsu, omnia quæ ad Reipublicę gubernationem belli pacísque tempore necessaria sint, perspecta habeant; quique ob singularem rerum gerendarum dexteritatem, prouinciarum, regnorum, Hispanicæque ipsius Monarchiæ habenas in parte direxerint, rebusque pace belloque gestis suo nomini celebritatem apud mortales omnes comparauerint: quorum eximia in Deum pietas, rara sapientia, in re militari virtus, in administranda Repub. in omníque genere prudentia, incredibilis animi magnitudo, alacritas, temperantia, morum integritas, amor iustitiæ, innumeræque aliæ maximis Principibus dignæ virtutes, vt optimam vitæ pacatioris spem concipiamus, efficiunt; suadentque vt omnes credant Serenissimas vestras Celsitudines à Deo in Belgium destinatas, vt pace otióque constitutis, feralia intestini belli mala depellant, ciuiumque diuulsos animos concordiæ glutino coadunent, Belgioque priscum decus & florem restituant. Ac præter excellentes illas virtutes quæ ab vsu, studio, consuetudine, iure quodam peculiari Serenissimarum Celsitudinum vestrarum sunt, etiam rei melioris spem ingerit clemẽtiæ fama, quod Augustæ domui Austriacæ familiare, ac veluti hæreditarium sit, religionis Catholicæ tuendæ, pacísque publicæ componendæ fouendæque studium, quam nostra memoria Germaniæ ciuilibus bellis profligatissimæ restituit inclitæ memoriæ auus Serenissimarum vestrarum Celsitudinum Ferdinandus, deinde sartam tectam toto Imperij sui tempore cõseruauit piæ recordationis Maximilianus pater, & post eum qui modò imperij habenas temperat Rudolfus frater, plurimũ quoque ad animorũ concordiam feliciter conciliandã gentiliriorum Principum reuerẽtia, splendor generis, maiorumq́; gloria conferet, qui multis seculis non solùm Belgio summa cum laude, omniúmque gratia præfuerunt, sed amplisima insuper Hispaniarum, Germaniæ, Pannoniæ, Bohemiæ, Italiæ, aliarumque gentium regna, imperiumque ipsum Romanum strenuè moderati sunt: nec Europa & Africa contenti, ius Imperij sui terra marique vsque ad extrema Occidentalium populorum, Orienta-

 liúmque

liúmque Indorum litora produxerunt, gestarúmque rerum amplitudine, nominísque sui gloria, orbem vniuersum in sui admirationem commouerunt: in tantaque rerum omnium felicitate prosperoque successu, nunquam diuini numinis immemores, primamque semper religionis curam habentes, Deum piè sanctéque omni studio coluerunt, Christíque Redemptoris nomen atque doctrinam vsque ad fines orbis terræ simul cum imperio suo propagauerunt. Et pro Christi religione tuenda non solùm contra gentiles & barbaros, verùm etiam contra hæreticos & quoscumque infideles armis constantissimè decertarunt, Iudæos, Saracenos, Mauros, Arrianos, Mahometanos, Turcas, Hussitas, Lutheranos, Caluinistas, similésque humani generis labes. De quibus quot & quantas, sæpe non absque ingenti miraculo victorias retulerint, prolixum foret recensere. Si enim vnius tantùm potentissimi monarchæ (quo nullus ab orbe condito regum latiùs imperauit) gloriosæ memoriæ Philippi secundi Hispaniarum Regis Catholici, Serenissimarum Celsitudinum vestrarum parentis, clementissimíque Principis nostri, magno sui desiderio bonis omnibus relicto nuper defuncti, res præclarè gestas commemorare voluero, non solùm dies, sed vox ipsa, virésque deficient. Is enim se, suáque omnia, fortunas, statum, sceptra, vitam, & quidquid in hoc mundo charum habuit, in discrimen adducere, bellaque summu maximo sustinere maluit, quàm in minimo ab auita pietate discedere, vel quàm religionem ab Apostolis eorúmque successoribus in Belgio ab initio plantatam, contaminare, & qualem à suis maioribus longa serie acceperat, incorruptam non conseruare: aut demùm quàm in patrimonij sui locis abominabili fornicationum matri (vt loquitur Apocalypsis) turpium errorum lupanar concedere. Quanta insuper cura, molestiis, & sumtu religionem Catholicam in Galliis laborantem adiuuerit, tamquam recens compertissimumque prætereo. Hic sanè vnus fuit qui in ruinam inclinantem Ecclesiam in Europa, suppositis antibus sustentauit, quíque fugientem à nobis veritatis doctrinam, inuictissimè retinuit, cuique post Deum incunctanter debemus quod in Belgio, præsertímque Louanio, intrepidè sana doctrina semper tradita fuerit, & verus, purus & antiquus Dei cultus inuiolatus steterit, cuius apud homines perpetua, grataque erit memoria, merces in æternitate apud Deum. Si denique ad eiusdem inclyti patris augustæ memoriæ Caroli quinti Imperatoris virtutes, gestáque pertransiero, labyrinthum ingrediar. Is enim Princeps iustissimus, fortissimus, & clementissimus fuit, gestarumque rerum gloria clarissimus, talis filij dignissimus pater, frequentissimus maximúsque in Africa & Europa victoriis nobilitatus, de Saracenis, Mauris, Turcis, Francis, nec non Germaniæ Principibus Lutheranis, quos profligauit, vicit, perdomuit, Dominator cepit. Cuius pater inclytæ quoque memoriæ Philippus primus, florentissima Hispaniarum regna matrimonio Iohannæ inuictissimi Ferdinandi Hispaniarum regis Catholici filiæ Belgio coniunxit, ac Maximilianus Austrius Imperator eiusdem parens opulentissimas Belgarum ditiones coniugio Mariæ, nobilis Caroli Audacis Burgundiæ Ducis filiæ Austriacæ domui adiecit, quæ nunc totius orbis clarissima, potentissimorumque Principum, Ducum, Archiducum, Regum, Imperatorum, orbísque Monarcharum antiquo stemmate splendens nobis Serenissimos Principes Albertum & Isabellam Claram Eugeniam, Deo ita prouidente, ad sui nominis immortalem gloriam, afflictissimique populi solamen, procreauit ac dedit; qui & suarum virtutum, summæque nobilitatis merito venerationi cunctis esse debeant. De quibus iure confidimus quòd à maioribus suis omni virtutum genere conspicuis non sint degeneres futuri, quorum vita optimi Principis effigiem contineat, posterisque libri, doctoris & magistri loco deseruire queat. Nam heroicas virtutes quas viri sapientes in Principibus & Regibus necessarias esse tradidere, has in Austriacæ familiæ Principibus reperire licet, religionis obseruantiam, pietatis zelum, benignitatem, animi moderationem, æquitatem, reliquasque optimo Principi necessarias virtutes, quales sunt, paterno amore subditos complecti, populorum commoda potius quàm sua sectari, homines imaginem Dei gerentes, in terris exemplo & auctoritate, præmio & pœna regere, ad veras virtutes cælestémque patriam

triam

triam dirigere, seipsum in magna potestate vincere, suos alienósque effrenatos impetus recta animi moderatione cohibere, viros sapientes bonarúmque artium peritos libenter audire, amare, diligere, colere. Ex iisdem idoneos, qui non solùm præesse, sed etiam prodesse velint & possint, in Ecclesiarum Prælatos, in vrbium prouinciarúmque Præfectos, in belli Duces, in Consiliarios, adiutorésque alios deligere, qui Dei honorem publicúmque bonum, hoc est, Rempub. pace otióque constitutis florentem, omnibúsque bonis affluentem reddere studeant. Pacem verò atque tranquillitatem rectus ordo Reipub. præstat, qui hoc exigit vt suo quidque loco firmiter constituatur, vt Deo suus cultus, Principi obedientia debita, legibus sua auctoritas, æquabilis omnibus iustitiæ administratio, Ecclesiasticis sua dignitas, Nobilibus suus honos, plebeis & infimis suæ immunitates & priuilegia, delinquentibus pœnæ, benè merentibus præmia, ipsi denique Reipub. amplitudini quod suum est tribuatur. Vtque Princeps auctoritate sua obedientes singulos efficiat, subditísque tamquam sedulus pastor, piusque pater consulat, publica damna, concussiones, oppressiones & iniustitias à Republica studiosè auertat, in id inuigilet vt subditi benè, piè, iustéque viuant. Iustitia enim firmatur solium, Regnúmque de gente in gentem transfertur propter iniustitias, iniurias, contumelias, variósque dolos. Nam sine virtute nulla societas stabilis, infirmus est omnis Reipub. status: Dei enim timore sublato, vita hominum sceleribus & immanitate completur. Cúmque vnicus sit Deus zelotes, qui honorem suum alteri impendi, sponsámque suam adultero exponi vetat, Princeps Christianus vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam credens, vnicam quoque veram orthodoxam religionem teneat, illam summa vi tueatur, colat ac defendat, Deíque iniurias vindicare nullo humano metu negligat, illius diuini oraculi memor, Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; & quicumque contemnunt me, erunt ignobiles. Non enim Christiano Principi sola pax temporalis (quam terrena ciuitas Babylonia dicta solummodo quærit) sufficere debet. Cùm enim fidelis Princeps etiam regni Christi minister, Ecclesiæque filius sit, totis & personæ propriæ, & auctoritatis publicæ viribus Christo inseruire tenetur, atque conniti vt eius subditi in omni pietate quietam & tranquillam vitam agant, Dominóque in timore ac tremore seruiant, iuxta illud regij Vatis: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta:* sicut (proh dolor) non paucos magistratus, Principes ac Reges, qui se à Romani Pontificis summi Ecclesiæ in terris militantis capitis obedientia substraxerunt, aut omnino, vel saltem per infidelitatem, de via iustitiæ periisse cernimus, secundùm Isaiæ vaticinium: *Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit.* Seruit autem Princeps Christo quando religionem Christianam contra impios, sacrilegos, blasphemos, hæreticos, aliósve hostes Ecclesiæ iustis legibus & armis tuetur: Similiter quando templorum, monasteriorum vel collegiorum erectione, aut litterarum bonarúmve artium promotione Dei cultum exornat & auget, aut sacerdotij cleríque dignitatem propugnat, vel Ecclesiæ immunitatem, iura, bona, & priuilegia conseruat. Quod sapienter ac piè Iustinianus Imperator attendens: *Nos,* inquit, *omni prouidentia curam Ecclesiarum gerimus, per quas nostrum imperium sustineri, & publicas res per Dei clementiam & gratiam muniri credimus.* In eandemque sententiam Leo Magnus Leoni Augusto scripsit: *Debes incunctanter aduertere Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Quod Serenissimarum Celsitudinum vestrarum maiores piè sapientérque etiam expendentes, non solùm Ecclesiæ, Cleríque patroni, defensores, & aduocati esse, ac dici voluerunt, sed iurisiurandi vinculo sese insuper ad Ecclesiarum Cleríque protectionem libenter obstrinxerunt. In quo Serenissimæ vestræ Celsitudines eorum pietatem laudabiliter sunt imitatæ. Quorum sanè maiorum pium ac liberalem in Ecclesiam Clerúmque animum contestantur plurima Belgij augustissima templa, pretiosissimaque

que eis relicta ornamenta & iocalia, diuersáque religiosorum monasteria, & Canonicorum studiosorúmque collegia, eorundem fundata liberalitate, opibúsque dotata; inter quæ hoc ipsum est insigne Diui Petri templum, cuius turris suo hiatu Serenissimarum vestrarum Celsitudinum opem efflagitat. Nec aliundè hæc ipsa est Louaniensis Academia singulare Belgij lumen & ornamentum Catholicæ fidei, religionisque orthodoxæ inuictissimum propugnaculum, nec non hominum doctrina & virtute præstantium, ciuilis etiam status & ordinis, totiúsque reipublicæ seminarium. Hanc enim Academiam Serenissimarum vestrarum Celsitudinum maiores Catholicæ fidei perpetui vindices ad pacis artes in veræ pietatis ac iustitiæ cultu consistentes instituerunt, variisque immunitatibus, priuilegiisque adornarunt, eandémque singulari studio & amore complexi non secus quàm oculi sui pupillam curandam duxerunt, & ab omni bellorum iniuria tutam esse quidem voluissent, sed ita dispensante Deo, tristi continuoque multorum annorum bello flagrante vniuerso Belgio incredibilibus miseriis penè obruta fuit. Ex quibus tandem diuini numinis misericordia ex parte liberata, spem reliquam saluris, post Deum, in Serenissimarum vestrarum Celsitudinum fauore collocat, non ambigens quin quidquid ad eius restaurationem & incrementum pertinere videbitur, hoc Serenissimæ vestræ Celsitudines benignè sint concessuræ: eoque magis quòd augustissimæ domui Austriacæ Principibus innatum sit, non solùm rem litterariam in pretio habere, velléque scire legere, scribere, Latinéque loqui, sed etiam scientissimos esse, atque quaslibet bonas artes & scientias, ac viros omnes eruditos, incorruptisque moribus vel egregiis ingeniis præditos, singulari amore complecti, tum etiam quòd id promeruerit eiusdem Academiæ in hoc potissimùm ciuili bello fidelitas, & in obsequium Regiæ Catholicæ Maiestatis perpetua constansque deuotio: quam & in posterum Serenissimis vestris Celsitudinibus pari animorum alacritate Deo auxiliante præstabit; & quidquid amoris, beneuoli animi, officij, obsequij, promptæque obedientiæ à fidelissimis, addictissimis, integerrimísque subditis exspectare liceat, id omne Serenissimis vestris Celsitudinibus, eiusdem Academiæ, totiúsque Cleri Louaniensis nomine spondemus, offerimus, pollicemur, Deúmque ter Opt. Max. votis publicè priuatímque nuncupatis orare non intermittemus, quo pios & sublimes Serenissimarum vestrarum conatus secundet, populum subdat, obedientémque efficiat, rebelles potenter subiiciat, de hostibus victoriam, pacem in diebus vestris donet, sapientes piósque hæredes suscitet, quibus terrenum hunc principatum Serenissimæ vestræ Celsitudines relinquere valeant, quando ad possidendum cæleste regnum easdem summus sempiternúsque Rex euocabit. Quem supplices exoremus vt Serenissimis Principibus Alberto & Isabellæ Claræ Eugeniæ dies super dies adiiciat, eosdémque suo afflatu consilioque instruat, virtute corroboret, præsidio sepiat, in omnique rerum discrimine, præsenti numine protegat, animique magnitudinem, fiduciam, inuictæque virtutis robur & constantiam inspiret, omníque virtutum ornatu præstantes, diuinósque efficiat, quo præclarum & difficile sibi commissum Principis munus, ex eiusdem summi Regis voluntate ad suam subditorúmque salutem exequantur, diuináque fulti ope rempublicam Belgicam diu saluam, florentémque conseruent, donec ex hac fluxa mortalíque vita ad beatam & immortalem translati, immarcescibilem gloriæ coronam accipere promereantur, quam ipsis & nobis concedat vnus & trinus Deus in secula benedictus.

AMEN.

SVB sacro viam materiatam à templo vsque ad locum iureiurando destinatum, sterni fecit Magistratus. Peracta re diuina ad theatrum ante ædes Senatorias perrexerunt, vbi suæ Celsitudines duobus gradibus eminentiores sub aureo tabernaculo consederunt. Circumstabant Ordines, Legatus Regis Catholici, Dux Aumalæ, Marchio Haureus, Comes Mansfeldius, Admirantius Aragoniæ, œconomus & Comes Dysegem: Præses Richardottus, Assonleuillus, Cancellarius Brabantiæ Damantius, Audientiarius ad læuam astabant, Infantis gynæceum dextræ eius humi assidebat. Principum nomine & mandato Cancellarius Ordinibus causam huius conuentus & solemnitatis, pararamq; suarum Celsitudinum volunratem ad conseruanda antiqua priuilegia, Lætumque Introitum, & ad consuetum iusiurandum præstandum breuibus exposuit, & vt idem ipsi facerent Ordines admonuit. Deinde Læti Introitus priuilegium suarum Celsitudinum manibus signatum, sigillóque paterno munitum, quo adhuc vtebantur dum suum conficeretur, ab Audientiario est perlectum. Tum scamno prolato, quod panno aureo erat instratum, cum puluinis item aureis, & imposito Missali, Archiepiscopus ex vna, Cancellarius ex altera parte, nomine Ordinum accedentes, in genua prociderunt, lectáque ab eodem Audientiario Latinè & Teutonicè iurisiurandi formula, vsque ad verba, ITA NOS DEVS ADIVVET, &c. quæ præibat Archiepiscopus, accessit Infans Serenissima, genibúsque innixa, tactis manu Euangeliis, iusiurandum præstitit, quod ab Archiduce separatim factum est. In altera iurisiurandi dictione, de omnibus iuribus & reliquis priuilegiis conseruandis, idem ritus obseruatus est. Tum Ordines à Cancellario admoniti Audientiario iurisiurandi formulam lingua Teutonica Belgica prælegente, quæ est huiusmodi:

NOS in genere & quilibet in specie seorsum promittimus, affirmamus & iuramus vobis D. Alberto & D. Isabellæ, Claræ, Eugeniæ, futuris nostris Dominis ac Ducibus Brabantiæ, ac aliarum patriarum ad Ducarum Brabantiam pertinentium, qui impræsentiarum iuramentum præstitistis, quòd de cetero erimus in omnibus negociis boni, fideles, & obedientes subditi, & vos iuuabimus in defensione & conseruatione dominiorum, patriarum ac confinium vestrorum. Et quantum in nobis erit, iuuabimus arcere & propulsare vim ac iniuriam quæ vobis inferetur: quodque vobis seruiemus, ac in omnibus faciemus sicuti boni & fideles subditi erga veros Dominos & Principes suos facere tenentur & obligantur. Ita nos &c.

Omnes se eodem, nimirum Ecclesiastici manu dextra pectori admota ritu & verbo sacerdotis, reliqui duobus digitis sublatis, sacramento obligarunt. Quo facto, à populo vniuerso acclamatum est, vitam diuturnam Ducibus Brabantiæ apprecante. Deinde Ordinum actuarius Masius eorum nomine Principes allocutus est:

INGENTES gratias agimus Omnipotenti Deo, PRINCIPES SERENISSIMI, de præsenti die tam feliciter peracto. Viderunt vestræ Celsitudines animorum qua tres Ordines ad dicendum iusiurandum accesserunt propensionem, quam erga suos veros & legitimos Principes, vestro nutui deuotissimos optimosque subditos exhibere decuit. Qui vt iuxta tenorem sacramenti quod dixerunt, obsequio vobis debito & officio nunquam deerunt, quantum præsens rerum status prouinciæ huius permittet, annisúque superioribus se probasse vobis existimant, solitoque in huiusmodi inaugurationibus donatiuo, grati aliquod animi reddent testimonium; sic in vestra quoque erga illos clementia & benignitare securi conquiescunt: & quos parentum loco diuinirus sibi daros iam iam receperunt, eos etiam sperant non minori indulgentia imperium moderaturos, paternumque affectum nunquam depositvros, iura & priuilegia, & quas habent prærogatiuas perpetuò obseruaturos, nihilque omissuros quod ad has prouincias è tot cladibus erigendas, à teterrimo bello liberandas, ac pristino splendori restituendas pertineat. Quod vt quàm primùm fiat, ad conseruationem Religionis & augmentum, in priuatam quoque rem & vtilitatem vestram, denique ad reip. subditorumque salutem, Ordines Brabantiæ animorum qua par est submissione orant.

Ad quæ Archidux in hæc verba reſpondit: Gratam ſibi fuiſſe, qua ad præſtandum iuſiurandum acceſſerunt, omnium alacritatem, promptamque in obſequio & opera deferenda, Ordinum voluntatem; ſe vt votis eorum ſatisfiat effecturum, & maximè vt priuilegia iureiurando confirmata, ſarta tecta conſeruentur, modis omnibus curaturum. Acceſſit deinde Brabantiæ Cancellarius, eumque Ordines ſecuti, ſinguli reuerentia ſiniſtro genu humi flexo primùm Infanti, tum Archiduci exhibita, fidelitatis obſequium præſtiterunt.

Opidorum legati Tienæ, Lewæ & Niuellæ in tempore aduenerunt; Dieſtenſes qui ſeriùs acceſſerunt deſiderati. Magiſtratus denique Louanienſis acceſſit & aliqui ex membris ciuitatis, qui rogatis comitiis ſolent intereſſe, quibus Principes eodem quo ſuprà dictum eſt modo iuſiurandum dixerunt, in hanc ſententiam:

NOS &c. promittimus & iuramus ſuper ſanctis Euangeliis, quòd ina duentu noſtro & ſucceſſione huius patriæ ſeruabimus, ac curabimus benè & fideliter obſeruari incolis huius ciuitatis Louanienſis, prout boni & iuſti Principes facere tenentur: Omnia eorum iura, priuilegia, chartas, conſuetudines, vſus & obſeruationes, quemadmodum ea ſeu eas habent à quondam prædictis prædeceſſoribus noſtris Ducibus ac Duciſſis Brabantiæ, & ſicuti ipſi hactenus iis vſi ſunt ſine infractione vlla: & quidquid horum infractum aut innouatum eſt reparabimus & reſtaurabimus. Ita nos Deus, &c.

Principes etiam iuſiurandum fidei acceperunt à Louanienſibus, quod tale erat: NOS in genere, &c.

Ingens poſtea tubarum clangor ſolemni huic actioni cataſtrophen impoſuit, ſparſique populo vice congiarij, aurei & argentei nummi cum vtriuſque Principis effigie & hac inſcriptione:

AVSPICIIS ALB. ET ELISAB. D. G. ARCH. AVST.

Ab altera parte:

DVC. BVRGVND. BRABANTIÆ.

Et in ſcuto laureo:

MVNIFICENTIA PP.

Vocatis etiam ad ſe nobilibus viris Richardo van Pulle Conſule, Theodorico Borchgraue vigilum Præfecto, & Guilielmo de Angelis Senatore Louanienſi, Archidux gladio, quem Solreus Comes præfert, ter humeris in genua procumbentium tactis, equeſtris militiæ honóre decorauit. Quibus rebus per horarum circiter trium ſpatium ſolemniter peractis, eodem quo venerunt ordine ad palatium ſunt deducti. Sub veſperum Magiſtratus tribus magni ponderis ex argento crateribus inauratis, & ex arte cælatis, ac vino Rhenenſi, vt fert patriæ conſuetudo, cum chirothecis Louanienſibus, quæ propter præſtantiam paſſim in deliciis ſunt, ſuas Celſitudines donarunt. Munus etiam verbis ornarunt orante Penſionario:

NON potuerunt, SERENISSIMI PRINCIPES, Maior, Conſules & Senatus ciuitatis veſtræ Louanienſis prætermittere, quin ſe iterum veſtris Celſitudinibus ſiſtant, & vt ſubmiſſi deuotique ſubditi felicem hodiernam inaugurationem vobis gratulentur. Hinc ſe fructum tantopere deſideratum ſemel percepturos, vniuerſi ſinguli que, hæc potiſſimum ciuitas, confidit, pacem nimirum vnicum reip. noſtræ leuamentum, cui deprecantur vt modis omnibus incumbant: huiusque ciuitatis incolis concedant quædam beneficia, quòd pro fide Catholica & debita ſuæ Mat^ti obedientia tam multa pertulerunt, quemadmodum ſcripto exhibebunt, reliquis huius ducatus vrbibus perpacatis. Vt ſuum veſtris Celſitudinibus affectum probent, eaſdem hoc munuſculo donant, rogantes vt ipſos commendatos ſibi habeant, vtpote qui ſemper fideles, obſequentes ac deuoti ſubditi permonebunt.

POSTERO die Vniuerſitatis profeſſores cum doctore Fieno Rectore, omnium nomine Latinam oratiunculam habente ad ſalutandos Principes ſunt admiſſi. Aliquot etiam

etiam horas insumserunt in videnda & audienda comica actiuncula cui Andromeda erat argumentum, quam Pædagogij Falconis studiosi Principibus ediderunt. Post meridiem disputationi publicæ interfuerunt, filio Præsidis Richardotti publicè disputante, factoque sacræ Theologiæ tyrocinio ad gradum Baccalaurei coram ipsis Principibus, theses & chirothecas ex solita consuetudine benignè accipientibus, cum laude admisso. Hinc ad clarissimi viri Iusti Lipsij auditorium itum est, qui sumto à loco Senecæ libro I. capite III. argumento, docendo & orando egregia de Principis officio præcepta in hunc sensum disseruit:

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPES,

Etsi fateor haud planè rudem & tironem me esse in dicendo; tamen hic splendor vester, qui oculis meis inopinatus apparuit, & hic insolens consessus, turbat me aliquid (non nego) sed & delectat. Sicut qui è tenebris & longo situ ad solem subitò educuntur, caligat iis acies, & oculi præstringuntur: sic mihi euenit, & duo simul maxima sidera cùm video, hunc SOLEM, vt ita dicam, & hanc LVNAM, hebescit nonnihil ingenij acies, & linguæ hæc promptitudo retardatur. Quid tamen est? sicut idem ille sol excitat mox & recreat, & innatâ suâ vi dat vigorem: sic mihi sentio ab aspectu Sct^(tum) V. alactitatem infundi, & iisdem, quibus terrebar, excitari. Itaque parebo libens Ser^(ti) V. quæ me voluit subitò & ex tempore pauca dicere: pauca certè erunt, & ideò excusata, quia subita & ex tempore. Non recedam autem longè (nam & sic iussistis) à more lectionis solitæ: *Annæum Senecam* (æternum Hispaniæ decus) in manus sumam, & pauca eius verba à consessu & tempore hoc non aliena, cum bonâ veniâ vestrâ PRINCIPES, cum bonâ gratiâ vestrâ reliqui AVDITORES, explicabo. Ait I. De Clementiâ. cap. III.

,, *Illius demum Principis magnitudo stabilis fundatáque est, quem omnes tam supra se*
,, *esse, quàm pro se sciunt: cuius curam excubare pro salute singulorum atque vniuersorum*
,, *cottidie experiuntur. Quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal è*
,, *cubili prosilierit, diffugiunt: sed tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim aduo-*
,, *lant, obijcere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua,*
,, *si per stragem illi humanam iter ad salutem sternendum sit.*

Pauca verba, vt solet ille scriptor: sed magnæ rei inclusæ, & à me breuiter educendæ. Ait, *Illius demum Principis magnitudinem stabilem esse.*] Cuius? qui hæc faciet, quæ suggerit. Si quis ergo neglegit? negat, & parum firmæ altitudini insistere eum putat. Sicut domus, cui fundamentum non substernitur, caduca est: sic Princeps, cui non ista. quæ iam addit: *Quem omnes tam supra se esse.*] Dignitas Principis tangitur & eminentia. quis autem eam nescit? Ille est imago & exemplar Dei in terris, rerum moderator & arbiter, in cuius manu positæ opes, dignitas, vita omnium nostrûm. Sicut anima corpori præest, & animæ ratio: sic Princeps hàc populum regit, & eadem illa ratio ipsum. Tolle, cadauer ac funus est hæc omnis multitudo: & vt Cyclops apud Homerum, amisso vnico oculo, huc illuc impingitur, & denique ruit: sic ista moles populi, sine lumine illo Principatus. Ergo *supra omnes* eum meritò esse sciunt, & fatentur. quid amplius? *Pro se esse.*] O monitum eximium! ò in duobus verbis inclusum finem, munusque Principatuum! Non præesse solùm Princeps, sed prodesse debet: nec sibi tantùm ciues datos, sed se etiam ciuibus arbitrari. Sicut sol ille (ne abeam ab hâc imagine) non lucet modò, sed fouet, vegetat, animat: sic verus ille populorum rector, in splendore suo commodat & iuuat. *Moderatori*

ratori reip.(ait Cicero) *beata ciuium vita proposita est, vt ea sit opibus ampla, copiis locuples, virtute instructa.* Et Hadriani Principis laudata illa vox est: *Ita se remp. gesturum, vt sciret rem populi, non suam esse.* Sed quomodo hoc fiet, & eò veniet? addit noster: *Curam eius excubare pro salute etiam singulorum.*] Itáne excubare? & nec noctes vacuæ exceptæque sint? nec noctes. *Magna fortuna, magna seruitus est*, ait quispiam: & maximo cuique imperio maximam curam, atque adeò assiduam inesse, vos & animos vestros, SER^mi, testor. Vt Palinurus ille in mari, non de die solùm gubernabat, sed ipsâ nocte

—clauumque affixus & hærens

Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat:

tale in Principe, cuius *curam excubare* Seneca vult pro salute etiam *singulorum.*] Quid tu ais? nec satis *vniuersorum?* Aio, inquit. & vt pater aliquis in magnâ familiâ, ad singulos animum atque oculos adiicit; ita verus Princeps. Philippus Macedo, inter laudatos olim reges, admonitus huius muneris sui à feminâ etiam fuit, quę ipsum adiens, desiderium aliquod expositura, cùm reiiceretur & *negaret sibi vacare*: animosè subiecit, *Noli ergo imperare.* Animosè, inquam, sed verè: & rex agnouit, sed monitus à feminâ: ab ipso autem se Imp. RVDOLFVS. ille dico, primus auctor & fons magnitudinis vestræ, à quo inclita gens AVSTRIACA per annos iam plus trecentos in hoc æuum floret, & in omne (ita voueo) florebit. Is cùm tenuiores aliquot homines aditum ad eum captarent, & satellites aspernati hoc genus, reiicerent: animaduertit, &, *Per Deum*, inquit (ipsa Annalium verba ponam) *sinite homines ad me venire. Non enim ideo Imperator sum, vt in arculâ includar.* Vocem inclitam, vocem auream, vocem verè AVSTRIAM! & in quâ hoc de curâ (quid enim melius addam?) concludam. Pergit noster: *Quo procedente.*] Fructus est, qui Principes manet, ex hoc munere suo & curâ. Quis ille? duplex, Beneuolentiæ & Fidei, quam vtramque subditi præstant. De illâ, *Quo procedente*, inquit, *non tanquam malũ aut noxium animal* (tigris, lupus, serpens) *è cubili prosilierit, diffugiunt*: quod in Caligulâ, Nerone, Domitiano aliquo obseruare licuit, qui nunquam è cubiculo, & ex illâ solitudine suâ in publicum prodibant, nisi vt solicitudinem, imò & solitudinem, facerent: sed *tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim aduolant.*] Ita sanè, aduolant, non accurrunt; certatim, non lentè aut timidè; viæ, domus, opida sunt angusta. Videtísne ô nostri PRINCIPES? tanquam ad clara & benefica duo sidera concurrimus: tanquam ad gemellos illos Castores respicimus, in diuturnâ hâc Belgicâ tempestate. Illi conspecti, nautas recreant; illi, cùm nauibus insiderunt,

—— tumida æquora placant,

Collectasque fugant nubes, Solemque reducunt:

ita vos, qui insedistis, & corpore pressistis iam Belgicæ hanc nauim, è bellorum fluctibus, ex insidiarum procellis, subducetis eam in portum. Atque hæc igitur Beneuolentia est. de Fide sequitur: *Obijcere se pro illo mucronibus parati.*] Quidni faciant? in vobis, vt dixi, viuimus: animam & spiritum hunc in animâ Principum ducimus: & meritò ergo pro iis obiecturi ea, imò proiecturi. Ego SER^mi PRINCIPES, publicâ Belgarum voce & sensu, vtraque hæc offero: Beneuolentiam, inquam, & Fidem. & simul sine iactantiâ addo, duas in nobis notas siue insignia ab antiquo esse: Fortitudinem, ac Fidem. *Fortissimos Gallorum Belgas*, Iulius Cæsar iam olim dixit: de Fide, idem & Plutarchus, DEVOVERE Gallos (qui mos & Hispanis) corpora vitamque suam Principibus solere: id est, ita consecrare, vt cum viuis viuerent, pro iis periclitarentur, morerentur, atque adeò cum iis. Nam superesse nefas erat. Magna fides, & nescio an alibi gentium lecta vel audita. Sed iam desino, memor apud quos dicam: & quàm breues sermones non solùm apud Deum sæpe, sed apud Principes semper, grati decorique sint. Gratias tantùm ago, Athenæi huius & meo nomine, quos tam clarâ istâ luce perpetuùm illustrastis. In eo quoque imitati magnos illos Principes: vt Cn. Pompeium, qui è bello Mithridatico victor, Rhodum veniens singillatim omnium Professorum ædes circumiuit, iniuit, & fasces illos laureatos priuatorum ianuis submisit. Quid Tiberius Imp^or in eâdem vrbe? *circa scholas & auditeria Professorum* (Suetonij verba sunt) *assiduus fuit.* Quid Claudius Imp^or? ille verò inopinatus sæpe recitantibus in-

bus interueniebat; quod vos SER^mi nunc fecistis. Gratias igitur agimus, & voto eas claudimus: vt felicibus auspiciis cœptum hoc imperium diuturnum ac stabile vobis, & stirpi vestræ (ô Deus eam donet!) sit, cum Dei ipsius, cum vestrâ gloriâ, & publicâ Belgarum salute. DIXI.

PERLVSTRATIS postea magnificis Croiacorum & Arschotanorum in Heuerle monumentis, ab eodem Duce cum proceribus & nobilibus vniuersis ac aulica familia; mensa epulisque opiparis sunt excepti in eiusdem Ducis ædibus, quas Heuerle habet splendidas. Bruxellam postea omnium votis eos comitantibus sunt reuersi. Annus quo hæc contigerunt his litteris numeralibus versibusque includitur:

ALbertVs ende IsabeLLa zeer VVIIs en pLaIIsant
ALs Hertoghe ende HertogInne nV VVeert ghepresen/
OntfIngen te LoVen het oVde LandT Van Brabant
Den XXV. daCh Van NoVeMber VVIIege Lesen.

SoLe sagIttIferI CeLsIs ardente sVb astrIs,
ECCe dIes sanCta CoftIdIs ILLa fVIt:
QVa dVCIs AVstrIaCo ConCessa tIara BrabantI est
LoVanII ALberto, aC CLara IsabeLLa tIbI.

BRVXELLA.

BRVXELLAM IV. Cal. Decembris redierunt, & introitus sui inaugurationem solemniter perfecerunt, sed mutato consilio ob magnum & assiduum imbrem, sacellum quod consueto ad duas quercus loco extra vrbem poni solet, ad portam est erectum, ibique exosculato salutiferæ Crucis signo, ad templum perrexerunt, vbi ad chorum cum symphoniæ cantu deducti, genibus flexis, priuilegia Ecclesiæ sanctæ Gudilæ huiusmodi sacramento confirmarunt:

NOS ALBERTVS ET ELISABETH CLARA EVGENIA Hispaniarum Infans Dei gratia Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Videlicet ego Archidux tanquam maritus & legitimus tutor prædictæ serenissimę Infantis, & ego Infans tanquam Princeps proprietaria supranominatarum prouinciarum: Vt satisfaciamus atque exequamur ea quæ vigesima prima Augusti anni millesimi quingentesimi nonagesimi octaui per nos, & ex nostra parte promissa & iurata fuere, singulis Ordinibus huius Belgij Inferioris, tunc Bruxellis existentibus & congregatis in maiori aula nostri palatij ibidem, Iuramus ac promittimus ad hæc sacrosancta Euangelia, quòd semper erimus fideles Ecclesiæ nostræ sanctæ Gudilæ, ceterisque Ecclesiis districtus & territorij ciuitatis nostræ Bruxellensis, & obseruabimus, faciemusque obseruari iura, priuilegia, statuta, consuetudines, possessiones & libertates dictarum Ecclesiarum, prout prædecessores nostri Duces Ducatus Brabantiæ hactenus fecerunt: Sic nos Deus adiuuet, & omnes sancti eius.

Cùm interim Decanus librum missalem coram ipsis apertum tenens, dicto à singulis iureiurando præbuit osculandum; astante vtrinque Canonicorum collegio, & D. Stephano van Craesbeke I. V. Doctore, curiæq; Brabantiæ consiliario, & D. Antonio vander Hert eiusdem vrbis scabino primario, tanquam fabricæ dictæ Ecclesiæ præfectis laicis. Tum Decanus his ferè verbis Principes alloquitur:

X SERE-

SERENISSIMI ARCHIDVCES,

INTER ceteras rationes, quæ bonorum animos atrociſſima hac tot annorum, funeſtiſſimáqué patriæ calamitate meritò afflictos nón nihil erigunt, nec prorſus de Republica deſperare ſinunt, hæc vel præcipua eſt, quòd ſapientiſſimo Maximi Regis conſilio, vos ſibi Principes datos conſpiciant: quorum prudentia, magnanimitate, continentia, ſolertia, vigilantia, amore erga haſce Prouincias ſingulari, futurum ſperamus, vt Gallia noſtra Belgica, ornamentum quondam ac ſplendor, & vt verè dicam, totius Europæ ocellus, pertinaciſſimis hactenus factionibus lacerata, atque diſtracta, ferali tandem armorum rabie depoſitâ, inque ſalubrem, ac toti orbi Chriſtiano exoptatã, totieſque, & tanto conatu, nequicquam huc vſque tentatam, pacem conſentiẽs, priſtino aliquando ſplendori reſtituatur. Scio nos, quum hoc ſperamus, magnum quid & deſperatum pleriſque ſperare: ſperamus tamen, vel contra ſpem. Non quòd nos fugiat, quàm periculosè hic æger noſter decumbat, quantiſq; malis affectum, ac penè confectum iam, hoc noſtrę Reipublicę corpus habeamus interius exteriuſq;: ſed quòd etiam in grauiſſimis quibuſque morbis maiores noſtros ab Auſtriacis medicinam petere & accipere ſolitos, recordemur. Siue enim hæc familiæ veſtræ felicitas, ſiue fatum eſt; quemcumque tractum ſideris iſtius veſtri fulgor ſaluberrimus irradiaſſet, vimq; ſuam ad publicas calamitates diſcutiendas efficaciſſimam immiſiſſet; omnem protinus ægritudinem ab eodem expelli conſueuiſſe, multiplici experientia comprobatum habemus. Teſtes annales, teſtes hiſtoriæ, teſtis omnis monumentorum vetuſtas, quæ hîc proſequi non vacat. Maximiliani tamen Imperatoris abaui veſtri vel vnicum exemplum, quem non permoueat, & ad quamuis de vobis fiduciam concipiendam impellat? venerat ille in has regiones temporibus difficillimis, rebus noſtris turbatiſſimis: quum Carolo Audace ad Nanceium infeliciter cæſo, imbelli tantùm muliercula, eáque puellâ adhuc, relictâ ſuperſtite; ærario noſtro diutinis bellis exhauſto, milite Prouinciali partim fame & frigore, partim ferro necatò, Nobilitatis maxima parte & ipsâ peremptâ, multæ vrbes à Gallo eſſent inuaſæ, plurima caſtella aut dedita aut expugnata, Prouinciæ integrę planè nutarent, omnium mentes eſſent conſternatæ, Gallicuſque ille furor omnia impunè perſultaret. Quid breui factum maximi iſtius Herôis ad noſtros aduentu? vrbes receptæ, caſtella recuperata, prouinciæ in fide retentæ; & tanquam ſigno ad benè de publica ſalute ſperandum per ipſum ſublato, omnium protinus animi erecti & confirmati. Nam de Carolo auo quid dicam? quoties hoſtem illum infenſiſſimum profligauit? quoties paruis copiis maximas ipſius internecione deleuit? quanta cum laude, quæ præter ius & fas ille interceperat, cum auctario reſtituere coegit? longior eſſem, ſi ſingula per partes diducere, & recenſere vellẽ. Tantùm hoc repeto, quum maiores noſtri in dubio rerum ſuarum ſtatu, tam promptum, paratumque ſemper in Auſtriacis præſidium ſunt experti; non immeritò nos quoque eundem de vobis, SERENISSIMI PRINCIPES, ſenſum iudiciumque concepiſſe: idque eo magis, quòd præter ceteras dotes, quæ in vobis ſummo numinis beneficio maximæ plurimæque effloreſcunt, ea ſitis pietate, eo veræ auitæque religionis propugnandæ, propagandæque ardore, omnibus vt merito ſuſpiciendi venerandique occurratis. quibus velut alis ſubnixi quid ita arduum quò non pertingatis? quibus armis tecti quid ita munitum, quod non expugnetis? Potentes fortè ſint hoſtes noſtri: at quæ poteſtas aduerſus Deum vobis propitium? maris ſe dominos inſolenter iactitent: ſed quanti hoc contra eum, qui leui auræ flatu equum & aſcenſorem proiecit in mare? exercitus ſuos maximos vbique obtendant: ſed quid illi ad tot cœleſtium vobis militantium ſpirituum millia? agant, moliantur, fremant, inſaniant; pietas vos veſtra, SERENISSIMI PRINCIPES, noſque per vos conſeruabit. Gedeonem ſpectate, Dauidem intuemini, Ezechiam conſiderate, qui omnes, & innumeri alij hoc præſidio ſepti maxima ſæpe pericula euaſerunt. Magna pietatis vis, magnum eius ſacramentum: hæc ad omnia apta, ad omnia vtilis, promiſſionem

miſſionem, inquit Paulus, habens & vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Hæc cui adeſt & ſuperat, teſte Petro Apoſtolo, non vacuum, & ſine fructu conſtituet. Atque hæc quidem ſpei noſtræ ratio, hoc fundamentum, hæc in acerbiſſimis noſtris omnis generis calamitatibus conſolatio. Huius vberrimos nos propediem fructus percepturos vix dubitamus. Cui tanto beneficio citius à ſupremo illo numine impetrando, vota noſtra precesque libenter iam nunc impendimus atque dicamus: omnẽ interim Celſitudini veſtrę obedientiam, cultum, reuerentiam cupidiſſimis animis deferentes; rogantesque vt hanc Eccleſiam noſtram à maioribus veſtris fundatam, reditibus auctam, priuilegiis ornatam, totque maximorum Principum ſingulari mentis ardore, ob loci venerationem huc concurrentium, præſentiâ, munificentiaque cohoneſtatam, in veſtram fidem, clientelam, patrocinium recipiatis.

QVIBVS peractis, ſonantibus interea muſicis organis, eodem ordine quo recepti, ad veſtibulũ quà intrauerant, à Canonicis Principes ſunt reducti, qui inde ad palatium redierunt. Neque nouo apparatu aut ſpectaculis fuit opus, quandoquidem præcipuę quæ in primo ingreſſu menſe Septembri erectæ erant machinæ, adhuc integræ ſupererant, quę ſuprà ſunt deſcriptæ. Die ſancto Andreæ ſacro Magiſtratus Bruxellenſis eodem quo obuiam proceſſerat antè habitu, ſuas Celſitudines ab aula ad ædes Senatorias deduxit, atque in marmoreo quod ibi eſt ſuggeſto, peripetaſmatis ornato, mutuum vtrinque iuſiurandum præſtiterunt, haud diſpari quo apud Louanienſes ritu. Quatuor item antiquæ nobilitatis viri in militiæ equeſtris ordinem cooptati, Henricus de Dongelberghe Conſul, Ægidius de Buſleiden & Philippus Tſerclaes Senatores Bruxellenſes, cum Antonio de Locquegem vigilum Præfecto. Aurea & argentea miſſilia populo ſparſa. In domo Senatoria cupediis conquiſitiſſimis, & bellariis è ſaccharo referta ſtabat menſa, quibus delibatis Principes receſſerunt.

MACHLINIA.

TERTIO Non. Decemb. Machliniam ſunt profecti: cum ad primum ab vrbe lapidem aduentarent, Prætor, quem vrbis Præfectum Petrus Nannius vocat in ſua legum Machlinienſium verſione, cum vtroque Conſule & Senatu, iuratis ciuitatis, Quæſtoribus, Penſionariis, togis ex nigro holoſerico indutis, violacei coloris ſerico intus duplicatis, minores magiſtratus cum ſecretariis, actuariis, aliiſque, nigris item togis ſericis, cum apparitoribus pannea chlamyde amictis, obuiam equites ſunt egreſſi. Quinque armatorum ciuium collegia pedeſtris militiæ ſpeciem referentia, armis inſtructiſſima, & ſignis militaribus ad colores Infantis ſereniſſimæ apparatis, qui etiam in plumarum faſciculis ſuper albis galeris & caſſidibus eminebant, in vicino prope leproſariam agro in aciem ſunt diſpoſita, tanta alacritate armorumque militariter tractandorum peritia, vt poſt diuturnas belli vexationes, quas cum toto Belgio cõmunes ſunt perpeſſi, binaſque fortunarum & acerbas direptiones, non tamen illos ſpiritus, quibus ſuos Principes in expeditionibus auxiliis iuuerunt, & ob ſtrenuam operam immunitatem vectigalium aliaque priuilegia armis meruerunt, depoſuiſſe viderentur. Et vt priſca omittamus, vnum fortitudinis in Lirenſi opido recipiendo, quod ſupra enarrauimus, exemplum ſufficiat. Qui vbi iiſdem armis quibus rem tam memorabilem cum Antuerpienſibus executi fuerunt, ſe ad Principum obſequium paratos oſtendiſſent, haud procul à porta acceſſit Magiſtratus, & per ſuum Penſionarium Antonium Sucquet aduentum gratulatus eſt. Paululum extra portam, qua Bruxellam nunc itur, in loco editiori erectum erat tabernaculum cum altari, ad quod Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Archiepiſcopus D. Matthias Houius habitu Pontificio cum venerabilibus D. Laurentio Nagelmaker

Archidiacono, & D. Nicolao Oudaert Officiali gremiale, aliiſque crucem Archiepiſcopalem & pedum præferentibus, cum omnibus Ordinis Eccleſiaſtici viris ſuas Celſitudines opperiebantur, quæ è carpento quo vehebantur deſcendentes acceſſerunt, & in ſtragulo ac puluinis holoſericis purpureis genua flectentes argenteum crucifixi Seruatoris ſignum ab Archiepiſcopo porrectum exoſculatæ ſunt. Dum hæc peraguntur, campana templi metropolitani ſonitus præſtantia toto Belgio celeberrima, ingénſque tormentorum diſploſorum fragor, omnium animos erexit; & collegiis præeuntibus, ſequente Magiſtratu, ac deinde Clero, vt in ſupplicationibus incedit, diſpoſito, ſuæ Celſitudines ſub ſerica vmbella à ſex Nobilibus Machlinienſibus geſtata, portam ingrediuntur, quæ inter Principum ſtemmata à duobus leoninis vtrinque ſimulacris vnguibus comprehenſa, ac inſignia ciuitatis lectores ad huiuſmodi inſcriptionem inuitabat:

SERENISSIMIS OPTIMISQVE PRINCIPIBVS ALBERTO ET ISABELLÆ, CLARÆ, EVGENIÆ, AVSTRIACIS INVICTISSIMORVM IMPERATORVM ET REGVM LONGA SERIE FILIIS ET NEPOTIBVS, BONO ORBIS CHRISTIANI, SALVTI BELGII NATIS, OMNIVM VOTIS EXSPECTATIS FELICISSIMAM IN CIVITATEM ET PROVINCIAM SVAM MACHLINIENSEM ADVENTVM GRATVLATVR

S. P. Q. M.

In ipſo ſtatim ingreſſu currus triumphalis antiquo more factus conſpectum primum habuit, in cuius ſolio forma & veſte decora virgo Machliniæ perſonā ſuſtinebat, cor humanum affabrè factum manu tenens, quod Principibus eò peruenientibus reuerenter aſſurgens offerebat. Suas etiam illa Nymphas penes ſe habebat: Lex ſiquidem cum vtroque iuris ſcripti volumine ante ipſam conſidebat, ad demōſtrandam vrbis ob ſupremum Senatum ſiue Parlamētum à Carolo pugnace Burgundiæ Duce anno ſupra milleſimum & quadringenteſimum ſeptuageſimo tertio inſtitutum, amplitudinem; quod continua ſerie virorum grauitate, eruditione ac integritate ornatiſſimorum reuera ſanctius eſt prętorium. Paulò inferiùs Pictura, Statuaria & Opificina, quibus artibus Machlinia ſemper fuit celeberrima, à ſuis penicillis, armis cælatoriis, aliiſquè inſtrumentis fabrilibus noſcebantur. Senſum actionis explicabant hi verſus:

Auſpicio ſtabili veſtram veniatis in vrbem,
Magnanimi heroës, Cæſarum vterque genus.
Læta cor ecce ſuum donat Machlinia vobis,
Quando nihil maius quod dare poßit habet.
Dent alij gemmas, aurúmque, habet omnia Princeps,
Dedita habet populi qui ſibi corda ſui.

Ex vtroque tabulę qua hi verſus continebantur latere, fluuij Dilia & Demera ſuo more perſonati ac alga coronati adiacebant, vrnis ſuis inauratis innixi. Supra tabulam erant poſita Celſitudinum inſignia cū plurimis rubri, cādidi, & cærulei coloris vexillis circum currū in ventum effuſis. Sub pedibus Nympharum in alia tabella hos verſus legebamus:

Sed nec priua bonis debet Machlinia dici,
Cui Themidis veſtro munere numen adeſt.
Quam cum pictura ſtatuaria Dædala adornat,
Atque ars, omnimodis vſibus apta, fabra.
Quid? quòd Saxonibus Leduna oppoſta Malina
Hic refluas Deli non malè partit aquas.

E regione vbi currus conſiſtebat (à paſcendis anſeribus nomen habet locus) nouem hermulæ & columnæ alternatim diſpoſitæ, & zophoro iunctæ viam muniebant, dependentibus encarpis ſericis trium colorum lemniſcis cum faſciis ex bractea colligatis: ſuper hermulis & columnis totidem erant inſignia ciuitatis & pagorum, Heyſt, Muyſen, Heuere, Hoſſtaeyen, Leeſt, Heffen & Battel, ad eius ditionem pertinentium collocata. Pompæ vlteriùs progredienti alter currus triumphalis ſtatim fuit obuius, & in eo tigris ex arte cælata,

cælo..., cui Fama bona insidebat rubra veste serica amicta, buccinam inauratam manu tenens, de qua cæruleum vexillum dependebat, & in eo character litterarũ implexu suarum. Celsitudinum nomen explicans, cifram vulgò vocãt, quæ inter aulicas delitias ciuitate est donata. Rumor malus Famæ pedibus adiacebat cum buccina & labaro nigri coloris; in solio Tempus sedens gremio filiam fouebat Veritatẽ, amictam veste candida virgunculã, solares manu radios cõplexam, cuius capiti colũba candidissima pro diuinę veritatis typo, placidè insistebat: hi versus choriambici Alcaici ad dramatis cognitionem in tabula eminebant: *Ad nos pertulerat Fama bonum quem bona nuncium,*

Belgis coniugij dum properat spem facere inclyti;
Illum Rumor atrox falsa ferens atque calumnia,
Tentarunt variè fraude mala deiicere à loco:
Sed tandem erudiens nos volucris filia Temporis
Discussit tenebras luce sua candida Veritas.

In eiusdem tabulæ medio stemmata Archiducum cum labaro candido erant posita, aquilis angularibus rubrum & cæruleum vexillum tenentibus. In ponte quem magnum vocant, magnificũ Saluatoris crucifixi simulacrum porticu erat cinctum cum accensis ad venerationem funalibus. Collegiorum ędes in transitu vię triumphalis insignibus, stemmatibus, accensisq; funalibus ornatę splendebant. Ante sanctioris Senatus curiam in fori ingressu, triplici porta arcus triumphalis in viginti pedum altitudinem erectus, triginta & vno latus duobus hermis totidem columnis nitebatur, cũ stylobatis egregiè depictis. In prima operis eleuatione tam in anteriori quàm in posteriori frõtispicio insignibus S. Cel. gentilitiis, hinc astabat Iustitia, inde Prudẽtia, in coronicis angulis Doctrina & Eloquentia, cui in aduersa parte Experientia & Ratio respõdebant, quod hi versus in zophoro scripti explicabant: *Iustitiæ concors sese Prudentia iungit,*

Vt simul vnanimes Belgica sceptra regant.
Hæc siquidem ægra foret si non accederet illa,
Illaque langueret hæc nisi ferret opem.
Insani sapiens nomen feret, æquus iniqui,
Ni statuat virtus scilicet hacce modum.

Sub Doctrina & Experientia ita legebatur:

Doctrinam sapiens quoniam Experientia firmat,
Hinc illi merito iungitur ista comes.
Ingenium vt vigeat seris tamen vsus ab annis
Qui venit, huic robur vindicat vberius.
Vnde benè à senio nomen sumsitq; Senatus,
Támque caput priscis canum in honore fuit.

Eloquentiæ & Rationi sic erat asscriptum:

Eloquium stringant si non Rationis habenæ,
Publica id atra rei nil nisi pestis erit.
Europa infelix, quantum Rationis egena
Lingua ferat damni, sat docuisse potest.
Eloquio ergo latus Ratio non claudit ineptè,
Frenáque ei vt ponat non malè pegma monet.

In eadem eleuatione super sepimento ex columellis facto, tabula quadrata hanc inscriptionem legendam exhibebat:

CVRIAM SVPREMÆ IVRISDICTIONIS BELGICÆ CAROLVS COGNOMENTO INTREPIDVS BVRGVNDIÆ, LOTHARINGIÆ, BRABANTIÆ DVX, MACHLINIÆ DOMINVS, SVB ANNVM CIↃ. IↃC. LXXIII. INSTITVIT, PHILIPPVS VERO PRIMVS HISPANIARVM REX, ITEMQ. BVRG. LOTHAR. BRAB. DVX ILLIVS EX FILIA NEPOS ANNO SEQVENTIS SECVLI III. MACHLINIÆ CONSTITVIT.

Ad læuam magnitudine & loco simili tabella hæc verba continebat:

IDEM CAROLVS INTREPIDVS CIƆ. IVC. LXXV. OB FIDAM ET STRENVAM NAVATAM SIBI A MACHLINIENSIBVS AD NOVESIVM OPERAM, CIVES MACHLINIENSES TERRA MARIQVE PER OMNES DITIONES SVAS IMMVNITATE VECTIGALIVM DONAVIT.

Ab eodem arcu porticus materiata ex hermulis & pilis centum quinquaginta alternatim dispositis, cum suo zophoro totum opus ambiente, & insignibus Archiducum, ciuitatis Machliniæ, & recepto eius symbolo similiter alternatis, triúmque colorum vexillis, venusto viæ triumphalis spectaculo ad diui Rumoldi Metropolitanam ædem, inde ad Senatoriam, per medium forum ad secundam portam triumphalem deducebat. Ad eiusdem templi Fores subsistens Archiepiscopus, clero reliquo in chorum siue adytum digresso, Principes equis dimissis pedites templum ingredientes, lustrali aqua præbita, ad summum altare præcessit, ante quod in panno purpureo holoserico strato, cum eius materiæ & coloris puluinis, in genua prociderunt, choro intersonantibus pneumaticis organis, hymnum, Veni creator Spiritus, modulante. Quo finito ac collecta seu oratione ab Archiepiscopo cantata, accessit idem propius, & paucis ac neruosis verbis aduentum gratulatus, breui sed seria & graui oratiuncula Principes officij Ecclesiæ Dei debiti, iuramentíque præstandi commonuit: qui vbi ipsum benignè audierunt, ei iusiurandum ciuitatis ac totius diœceseos nomine tactis sacrosanctis Euangeliis, præstiterunt. Statímque hisce peractis & cantico D. D. Ambrosij & Augustini decantato sunt digressi, forúmque transuecti ad eius exitum arcus triumphalis ad quadraginta pedes sublimis cernebatur, latus triginta, cum quindecim pedum transitu: opus quatuor pilis nitebatur viridis marmoris specie adumbratis. Intercolumnia trophæis depictis, stylobatæ sexus deterioris figuris, Velocitate ad malum & Voluntate malè spectatores detinebant. In secunda eleuatione tabula quadrata alta pedes decem, octo item lata, Religionem continebat, genibus flexis angulari lapidi, brachio Crucis signo innixam, altera manu volumen apertum, cui inscriptum erat VERBVM DEI, tenentem. Oppugnabant eam acerrimo conflictu Hæresis, Sacrilegium, Ambitio, Proprium commodum, Bellum intestinum, Inuidia, Furiarum more pictæ, ædes sacræ conflagrabant. E nube cælitus missi Principes, salutari per Spiritum sanctum copula coniungebantur. Statuæ item duæ iuxta tabulam consistebant: Fraudis vna personatæ cum larua in manu, Discordiæ altera cum accensa face & ventoso folle. In zophoro legebatur:

SERENISSIMIS ARCHIDVCIBVS ALBERTO ET ISABELLÆ, CLARÆ, EVGENIÆ CONIVGIBVS MAXIMORVM REGVM ATQVE IMPERATORVM LONGA AC PERPETVA SERIE FILIIS AC NEPOTIBVS PRINCIPIBVS SVIS CLEMENTISS. ET DESIDERATISS.

S. P. Q. M.

LÆTITIAM SVAM ET OBSERVANTIAM TESTANS

P. C.

Picturam huiusmodi versus explanabant:

Mœsta Cruci incumbens ad cælum lumina tollit
Relligio, & superos in sua vota vocat.
Monstra quia exagitant crudelia scilicet ipsam,
Et nimium dura conditione premunt.
Hæresis, Ambitio, propriæ vtilitatis amator,
Cum corruptela, Sacrilegíque lue.

Queis

Queis superaccedunt prompta ad mala quaque voluntas,
Liuor, & ah, Bellum quo mage triste nihil.
Ah bellum quo triste nihil mage, quo momento
Temporis in cineres templa domúsque ruunt.
Opida quo pereunt, quo lugent arua coloni
Orba, malorum ex quo profluit Oceanus.

Ab altero latere solatij loco scripta erant hæc carmina:

Ecce sed Albertus Princeps cum Principe Elisa
Nubibus è celsis ferre videntur opem.
Pneumate subnixi sancto, quo nempe Furorem
Auspice compellent mox dare terga fugæ.
Auspice compescent quo quas discordia flammas
Excitat, in turbas dum fera corda rapit.
Pestifera & facient vt diffidentia cesset:
Principibus fas est fidere quemque suis.
Vt contra patria causas quacumque ruina
Sub specie quemquam velle fouere, nefas.
Ergo in spem veniat qua nunc terráque maríque
Relligio aduersas sentit auita manus.

Diffidentiæ vocabulo, qui metus propriè est expectati & impendentis mali, vt definit Cicero in quæst. Tusculanis, pro pernitioso factiosorum hominum artificio auctor vsus est, quo incautum vulgus ab omni in gratiam reditione alienant, suspecta omnia reddunt, de Principum fide plebem dubiam esse iubent, de clementia solicitam, dum ipsi pro libidine grassentur & imperent, populus turpiter seruiat. Posterior arcus facies eiusdem cum anteriori architecturæ fruges omnis generis siue encarpa in intercolumniis, Constantiam & Mansuetudinem in stylobatis spectaculi vice dabat, & in tabula pari magnitudine quadrata, stantem super saxo angulari Religionem, quæ comites habebat Pacem, Charitatem, Spem, Timorem Dei, & Benignitatem: in nubibus Archiduces annulum manu tenentes, & inter ipsos Iustitiam, quam lauro duo Angeli siue genij coronabant. In eadem tabula ædes sacræ exstruebantur, & in portu nauium plenissimo merces omnis generis tutò exponebantur; cuius sensus per inscriptionem versibus Choriambicis fiebat dilucidior:

Ense Relligio celsa suos erigit in pedes,
Cui Clementia adest Pax, Pietas, almáque Charitas,
Fidens Relligio Principibus scilicet optimis,
Quos numen medium Iustitia dirigit, ac fouet:
Numen Iustitia cui comites ingenua Æquitas:
Et Concordia item ritè docet fidere qua Deo.

Stabat ad dextram tabulæ Concordia cum iaculorum fasciculo colligato, cui par cōlumbarum seu turturum insidebat; ad læuam Fiducia sceptrum manu tenens, & in eius summo duas manus se mutuo complectentes, cum candido ad pedes eius catello. Super coronice Æquitas cū recto hastili inaurato, aquila hinc inde cū vexillis angulos occupāte. Pro intestino in transitu opere hinc Lernæam hydrā Hercules cōficiebat, inde Cerberum trifaucem ex Orci faucibus extrahebat; quāuis hanc πολυκέφαλον, illā tricipitem fuisse negat in Corinthiacis & Laconicis Pausanias. Eratque adscriptum vtrobique distichon:

Herculeo hydra nocens velut est superata labore,
Non secus Alberto vindice praua cadent.
Cerberum vt è latebris traxit Tyrinthius heros,
Deteget occultos sic Isabella malos.

Testu-

Testudinem decorabant quatuor pictæ effigies totidem Diis frugum dicatæ, Floræ, Cereri, Pomonæ, & Baccho. Principes arcum transuectos, fons ad pontem Befferanum vehementer oblectauit ex Heronis spiritali artificio compositus, aquam per siphunculos in sublimem admodum altitudinem eiaculans. In eodem ponte super materiata vtrinque porticu funalia ad Crucis & in ea pendentis Saluatoris venerationem ardebant. Vicinum ibi forum, quod vocant pecuarium, quinque armatorum ciuium collegia, quæ extra vrbem iuisse obuiam diximus, instructa rursus acie occupauerant, eodémque modo ac displosione transeuntes Principes salutarunt. In fori autem medio ingens giganteæ staturæ colossus octodecim pedes altus, raro factus artificio ab Alexandro Mondino Cæsareæ Maiestatis sculptore celeberrimo, armis ornatúq; splendido conspicuus, omnium in se oculos conuertit. Pro bello intestino erectum esse hi versus indicabant:

Principibus speret quis non his omnia fausta,
Trux adeò monstrum qui domuisse queant?
Mille trahit secum ferale incommoda bellum,
Bellum vbi grassatur nil pote abesse mali.
Verùm intestino non est truculentius vllum,
Id tamen hi monstrum vincula ferre docent.

Imò ne belli quidem nomine appellari vult Plato ciuicos hosce motus lib. v. de Rep. Et quantopere cognati & affines populi ab eo debeant abhorrere patriæ amore, quam, vtpote nutricem & communem matrem, perdere & deglubere nefarium est, docet: quod contra peregrinos & barbaros geritur, propriè bellum vocat, idque omnium sententia tolerabilius, mitiúsque seditione ciuili esse & censeri lib. primo de legibus refert. Poëtæ etiam rem adeò detestandam alio quàm belli nomine designant. Scelus nuncupat Virgil. eclog. IV. & Horatius lib. primo Ode xxxv.

Eheu cicatricum & sceleris pudet
Fratrúmque, quid nos dura refugimus
Ætas? quid intactum nefasti
Liquimus! vnde manus iuuentus
Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? ô vtinam noua
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabásque ferrum.

Furorem ciuilem alibi vocat lib. IV. Ode fin. & epod. 7. Æstus quoque ciuilis vocabulum illi tribuit epist. 2. lib. 2. Nefas commune Lucanus appellat lib. 1. summum secundo. Non abs re itaque impij sceleratíque ciues à Tullio dicuntur ciuilis belli auctores. Nam vt ex Homeri Iliad. 9. idem desumpsit,

ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος.

Huic neque curia, nec lex sit, nec vesta larésque,
Aspera quisquis amat ciuilis classica belli.

Nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere potest, quem discordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat, eúmque ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum putat. In quem Homericum illud idem conuitium coniectum esse etiam notat Aristoteles lib. 1. de Rep. cap. 2. Nihil igitur hoc ciue, nihil hoc homine tetrius, si aut ciuis aut homo habendus est, qui ciuile bellum concupiscit. Cui quanto citius finem Principes imponent, tanto melius de Repub. Christiana merebuntur. Quod bonis auspiciis Machlinienses sperare nos iubent per currum triumphalem cui Victoria insidebat, Leonis dorso vecta, ad D. D. Petri

& Pauli

& Pauli ſacram ædem, laureum capite ſertum, manu ramum tenebat bellatrix illa virgo, hoc inſcriptio oſtendebat:

Ecce premit tumidi Victoria terga Leonis,
Omen Principibus firmet id hiſce Deus.

Tertia deinde triumphalis portæ machina ſpectandam ſe obtulit pedes alta viginti, lata triginta cum triplici tranſitu, quorum medianus lateralibus erat maior. Pro ſecunda eleuatione columna, & ſuper eam aquila à perito ſculptore facta ſtabat. Inſignia Celſitudinum & vexilla eandem eleuationem decorabant. Suſtinebant in priori frontiſpicio zophorum Cariatidum more columnarum loco hermæ, in poſteriori duæ marmori porphyritico haud abſimiles columnæ. In tranſitu Poteſtas & Maieſtas pictæ erant. Super portulis minoribus aureis characteribus exaratum legebatur Archiducis encomium:

SERENISSIMO PRINCIPI AC HEROI, ARCHIDVCI ALBERTO, A PHILIPPO II. HISPANNIARVM, INDIARVM, ALIORVMQVE REGNORVM ET PROVINCIARVM MONARCHA POTENTISSIMO AVVNCVLO SVO VIRTVTIS ERGO GERMANIÆ INFERIORIS PRINCIPATV DONATO, AC IN EODEM A PHILIPPO III. EIVSDEM MONARCHIÆ SVCCESSORE CONFIRMATO. QVOD LVSITANIA PRVDENTER ADMINISTRATA, ANGLISQVE AB ILLA FELICITER REIECTIS, CALETO, ARDA, AC HVLSTO FORTITER EXPVGNATIS, SE PACE BELLOQVE PROBARIT, ET HENRICVM IV. GALLIÆ REGEM AD ÆQVAS PACIS CONDITIONES ADDVXERIT. QVODQVE HISCE PROVINCIIS PRISCI SPLENDORIS SPEM NON OBSCVRE FACIAT,

S. P. Q. M.

DEVOTE GRATVLATVR ADVENTVM, FELICEMQVE INAVGVRATIONEM PRECATVR.

Ad Infantem Iſabellam alterius portulæ inſcriptio ſpectabat:


SERENISSIMÆ PRINCIPI AC HEROINÆ, ARCHIDVCI ELIZABETHÆ EX VOLVNTATE PATRIS SVI MAGNI PHILIPPI HISPANIARVM INDIARVMQVE REGIS ET MONARCHÆ POTENTISSIMI, APPROBANTE EIVSDEM NOMINIS FRATRE IN EANDEM MONARCHIAM SVCCESSORE, BELGICARVM PROVINCIARVM PRINCIPATVM IVRE HÆREDITARIO ADEPTÆ. QVOD CVM PATRE TAM AMPLI IMPERII ADMINISTRATIONE CVRAS PARTITA, EVNDEM FREQVENTER SVBLEVARIT, ET IN TANTA LICENTIA VITAM SINE LICENTIÀ EGERIT. QVODQVE VT NOMINE ITA ET OMINE ATAVIAM SVAM ISABELLAM HISPANIARVM REGINAM REFERENS, QVANTVM SVB EADEM ET REGE FERDINANDO CATHOLICO EIVS MARITO ATAVO SVO HISPANIA FELICITATIS HABVIT, TANTVM QVOQVE SVB SE ET CONIVGE SVO ALBERTO HASCE PROVINCIAS CVM DEO HABITVRAS SPEM PRÆBEAT,

S. P. Q. M.

DEVOTE GRATVLATVR ADVENTVM, FELICEMQVE INAVGVRATIONEM PRECATVR.

Ab hoc arcu vſque ad palatium Comitis Hoochſtratani porticus materiata ex triginta duobus hermis cum ſuo zophoro & ſtemmatibus hederaceis viam triumphalem

vtrinque muniebat, appositis totidem Principum insignibus gentilitiis. Hac suæ Celsitudines vsque ad palatium hospitio destinatum iter perfecerunt, ignésque à collegiis ciuibúsque vniuersis toto opido excitati. Postero verò die peracto per Archiepiscopum sacro, in theatro ante ædes Senatorias erecto, nuncio Apostolico, Hispaniæ Regis legato, aliísque proceribus Belgij astantibus post orationem à Præside Richardotto habitam, Principes Archiepiscopo & priore Consule Nicolao vander Lanen stipulantibus iusiurandum ex formula præstiterunt, populique nomine fidelitatis sacramentum acceperunt. Pro extremo actu in equestrem Ordinem à Principe sunt adlecti Ioannes de Lathem Prætor, Nicolaus vander Lanen & Ioannes à VVachtendonc Consules, viri domi nobiles. Ignes sunt vesperi auctiores excitati. Hæc ita sunt acta Ioanne vander Lanen D. de Schrieck & Grootloo, Guilielmo de Meerbeke I. V. doctore Thesaurariis, & Rumoldo Heuns Quæstore triumphum procurantibus.


POMPÆ TRIVMPHALIS
ET SPECTACVLORVM,
in aduentu et inauguratione
Sereniſſimorum Principum
ALBERTI ET ISABELLÆ,
Auſtriæ Archiducum,
Burgundiæ ac Brabant. Ducum,
S.R. Imperij Marchionum,
in eiuſdem Principatus metropoli
ANTVERPIA exhibitorum,
graphica deſignatio;
a IOANNE BOCHIO
S.P.Q. Antuerpienſi a ſecretis
ſcriptis illuſtrata.
LABORE ET CONSTANTIA.
ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA. CIↃ. IↃCII.

AD LECTOREM.

NE QVIS fortè miretur me, candide Lector, qui in describendis his triumphis, vbi perueni ad res Antuerpiensium, præ reliquis fuerim copiosior fusiorque; rationem tibi aliquam reddendam putaui liberioris huius digressionis & instituti mei. Cùm enim amplissimo huius vrbis Senatui hanc operam addicerem, nec minus beneuole quàm libenter susciperem, materias elegi quæ in eam sententiam tractari potuerunt. In reliquarum vrbiũ gratulationibus & inaugurationibus, quas litteris consignaui, velut ex præscripto, vel eo saltem modo quo ad me transmissa sunt, verecundè me gessi, vt prodirent in lucem sicut eas accepi, & vt dempta re nulla, ita certè nec addita; præsertim cùm incertum mihi esset, quam gratiam inirem apud eos auctores qui lingua Vernacula mihi sua perscripserunt, vel quia in iis latiùs excurrendi vix dabatur campus. In rebus nostratibus tanquam domi natis, liberiùs euagandi & me ipsum explicandi ad me existimaui licentiam pertinere iure patriæ potestatis. In domesticis ergo rebus placuit copia & varietas, in externis fides. Ceterùm vt intelligas cur has pompas gratulatorias non maturiùs euulgauerim, quod & potui sic & debui præstare; nam huiusmodi scripta nisi prodeant in publicum cum ipsis actionibus videntur obsoleta, vt quantum addideris ad editionis moram, tantum auidi Lectoris expectationi demis; eam culpam, si qua est (est autem exigua, si Ioannis Calueti Stellæ in simili argumento scriptionem spectemus operamque triennij) in illorum tarditatem qui in subministranda scribendi materia remissiores fuerunt, ne dicam supiniores, deriuemus necesse est. Qui si parem diligentiam in re suppeditanda mihi adhibuissent, ac ego flagitaui (quod probare possum per epistolas frequentes quas ad eos scripsi) hoc opus absoluissem priusquam me contigit πειράζεσθαι παραλύσει, quæ in libri exordio repentè me corripuit, dextraque membrorum parte impotem reliquit. Quid facerem, quo me verterem? Cum affecto corpusculo languebat mihi animus, & velut delicatus inquilinus tanquam suo iure vtens, habitationis incommoda pensionem grauatè persoluebat. Sed vbi ægritudinem quidam è Senatu viri ornatissimi hortationibus suis humanissimis, quibus ad pergendum in itinere hoc vix cœpto peramanter inuitabant, nonnihil leniuerunt, ceu nouis animo viribus erecto atque recreato, progressus sum vlteriùs, & volumen absolui, vt eorum monitis, quæ mandati vice habeo, multorum etiam expectationi, qui Belgica hæc spectacula cum triumphis Italicis, Reginæ sponsæ editis, videre desiderant, votis satisfiat. Tu cum illis his fruere & vale.

In Descriptionem publici Triumphi INCLYTIS ARCHIDVCIBVS ab Antuerp. exhibiti, elaboratam à IOAN. BOCHIO, S. P. Q. A. à Secretis.

MICHAELIS VANDER-HAGEN
Antuerpiani Epigramma.

ARCHIDVCVM *pompas, ludos, spectacla duorum*
Edita in aduentu, en nobile, Lector, Opus.
Nobile ab Heroum tantorum laudibus, Vrbis
Plausu gratantis publico, amore, fide.
*Nobile nec minus à Boch*I *mirabilis vsque*
Ingenio, doctrina, arte, labore, viri.
Qui ædilis, qui præfectus, qui inuentor, & auctor
Pompæ omnis, scriptor denique solus erat.
Quod iusta mecum malo te expendere lance,
Et legere in multos aure stupente dies:
Quàm tanti monumenta viri, & præconia, nostri
Angusti culpâ deterere ingenij.
Euge Antuerpa tui hoc Scriptore beata TRIVMPHI,
Quo sine in Archiduces ille lateret honos.
Tu quoque, honoratis cuius cum Heroibus istis,
Aere perenne magis nobile viuet Opus.

DVRANT CONNEXA.

PRIMÆ

PRIMÆ SALVTATIONIS EXTRA CASTRVM.

DESCRIPTIO.

NONIS Decembribus nauigio actuario splendidè exornato Antuerpiam Principes sunt delati: & dum ea quæ deerant tam palatio instruendo, quàm reliquo vrbis apparatu, absoluuntur, in arcem se recipiunt per pontem materiatum quem ad facilem descensum fieri iusserat Magistratus. Sexto porrò Idus Decembres solemnem introitum hoc modo perfecerunt. Senatus equis vectus porta Cæsarea vrbem egreditur, relictisq; ad dextram mœnibus, ad eam castri portam tendit, quam præsidiarij auxiliarem vocant, introducendo milite si res postulet idoneam. Sex accensi aut viatores, quos Magistratus nuncios vocant, togis amicti panneis coloris violacei, quo & reliquorum omnium togæ constabant, materia differebant, teretes baculos rubro & albo colore circumductos ad turbam submouendam manibus tenentes, in equestri hoc agmine primi incedebant: sequebātur bini ex singulis viginti & octo opificiis Decani, eo ordine quo ad rogata comitia, quod est amplissimum ciuitatis consilium, euocati sedent, togas induti sericas ianthinas cum nigris ex eadem materia galeris, & ex albo corio ocreis. Post hos equitabant pari amictu ex singulis tredecim vrbis regionibus bini vicomagistri, cum duobus eiusdem collegij decurionibus, qui Hoofmanni ciuium appellantur, quibus toga erat ex violaceo serico damasceno, galeri ex holoserico nigro. Deinde viri Senatorij magistratu functi, è quibus in annua Senatus creatione bonus pro arbitrio Principis numerus eligitur ad gerēdum magistratum: nunc in secundarij ordinis subselliis iudicia exercentes, similiter vt amplissimus Senatus togati, hoc tamen discrimine quòd togarum manicis, quæ aliis erant pendulæ, brachia inseruerant, quorum eo ordine, quo equestri dignitate ceteris antecellunt, aut sunt antiquiores iurisiurandi dictione, nomina subsequuntur: vt etiam obseruauimus in amplissimi Senatus nominibus recensendis:

D. Iacobus de Berchem eques.	D. Nicolaus de Mechelen eques.
D. Iacobus de Santa Cruz eques.	Mr. Ioannes de Pape.
Mr. Ioannes Bacx.	Mr. Michaël Cnobbaert.
Mr. Ægidius Gerardi.	D. Iacobus Dassa.
D. Adrianus de Martselaer.	Mr. Andreas de Breuseghem.
D. Nicolaus de Meyere.	Mr. Balthasar de Robiano.
D. Daniel de Ranst.	D. Melchior de Villegas.
Mr. Manardus vanden Cruyce.	D. Ioannes Happart.
D. Arnoldus Schoyt.	

Venit postea Senatus præcedentibus quatuor collegij apparitoribus, qui à spinea & nodosa quam manu gestant virgula, breuioris virgæ officiarij vocantur, cum violacei item panni toga, limbo holoserico nigro à sinistro humero prætextata. Post hos longioris virgæ gestator, quatuor Secretarij, videlicet:

Mr. Henricus de Moy I.V. Doctor.	Mr. Dionysius vander Neesen I.V. Licent.
Mr. Georgius Kieffel I.V. Licent.	Mr. Ioannes Boghe huius operis auctor.

Totidem deinde ab actis scribæ siue graphiarij.

Mr. Adrianus van Dyck.	Mr. Ioannes Bapta. vanden Kieboom I.V. Licent.
Mr. Ioannes Iacobæus I.V. Licent.	Mr. Ioannes Brandt I.V. Licent.

Deinde

Deinde vterque Pensionarius, qui & à consiliis ciuitatis:

M'. Henricus Schotti I.V. Licent. M'. Iodocus de VVeerdt I.V. Licent.

Tum quæstor ærarius cum collega thesaurarij amethystini quoque coloris togis sericis damascenis omnes amicti cum galeris holosericis nigris & concoloribus equorum stragulis panneis insidentes. Tum ærarij præfectus siue thesaurarius D. Henricus van Etten cum sequentibus octodecim Senatoribus, quorum hæc sunt nomina:

D. Blasius de Bejat eques D. de VVestacker Consul morbo impeditus pompæ non interfuit.

D. Henricus ab Halmale eques Consul & Senator.

D. Eduardus vander Dilft eques, D. de Leuerghem.

D. Antonius de Berghem eques.	D. Ludouicus vanden VVerue eques.
D. Ioannes de Brecht.	M'. Paulus van Lyere.
D. Lancilotus T'seraerts.	M'. Lucas Despomereaulx.
D. Robertus Tucher.	D. Gaspar de Rouclasca.
D. Nicolaus Rockox.	M'. Franciscus de Schot.
D. Ioannes de Vischere.	D. Ægidius de Meere.
D. Ioannes de Srembor.	D. Cornelius de VVyse.
D. M. Antonius Petez.	D. Nicolaus de Herde.

Viri denique nobiles agmen claudebant, D. Henricus de Varich vrbis prætor siue schultetus, & Marchionatus Rhiensis ditiunculæ titulo illustris, cuius olim pater eadem Antuerpiæ dignitate clatuit, & D. Ioannes Damant ciuitatis Ammannus, equestri vterque baltheo insignis.


Qui omnes togati ex eiusdem coloris holoserico ianthino eodem apparatu equitabant cum galeris item holosericis, stragula veste equis pannea instratis. Hæc paulò exactiùs propter prærogatiuas quas seruari sibi quisque postulat distinximus: quòd in simili scriptione quam ab annis quinquaginta Cornelius Grapheus vrbis etiam Secretarius posteritati reliquit, aliquid desiderari vel ambiguum fuisse, quod disceptationi locum fecit, intelligerem. Ceterùm si & nos seris nepotibus haud satisfecisse hoc scripto existimabimur, eos ad Senatus acta quæ de hoc obuiam procedendi ordine seruantur in archiuis, consulto ablegamus.

Vbi ad præscriptum prope arcem locum ventum est, primi agminis equitatus eadem serie ad vrbem est reuersus, ordinibus vtrinque ad aulicorum, nobilium ac reliquorum obuiam egressorum transitum apertis, vt locus senatorio equitatui vniuerso ante consilium Status designatus, non interturbaretur. Circa meridiem suæ Celsitudines rheda ex arce vectæ, in editiori nonnihil loco summum Magistratum ad salutationem subsistentem admiserunt, qui descensu ex equis facto ad rhedam propius reuerenter accedens, Imperij à Marchione insigni, quæ oblonga est ac nodis aspera virga spinea, & claue inaurata ab Halmalio Consule ob alterius absentiam cum ea qua par est submissione oblatis, & vtrique restitutis, suas Celsitudines per Henricum Schotti priorem Pensionarium in hæc verba salutauit:

IMMENSA populi confluentis multitudo, PRINCIPES SERENISSIMI, ad solemnis nec minus exoptati huius actus, quem exemplo Principum nostrorum inclytorum, maiorumque vestrorum ac optimorum subditorum beneficio perficere vobis placet, celebrationem, manifestum est gaudij publici testimonium, quod ex felici aduentu vestro lętoque introitu quisque sibi capit. Nihil enim optabilius nec desiderabilius à superis nobis dari, nihil honorificentius in terris posse concedi nec obtingere existimamus, quàm Principum nostrorum vultus cominus intueri, vt iisdem propensas & deuotas voluntates, fortunas vitasque coram deferamus. Maximè autem Magistratus ac reliqua quondam amplissimæ vrbis vestræ membra, quę vt per huius belli funestissimas certè clades præ ceteris omnibus grauius est afflicta, ira pro maiori magisque diuturna perpessione sua, in præcipuam præ reliquis lætitiæ partem venit, & sicut illa nul-

illa nulli in publica voluptate, quam ex vestra in huius Principatus successione capimus, declaranda, cessura est; sic etiam nulli cedet in obsequio exhibendo, ac in fide sua constanter permanendo. Deus Opt. Max. felici huic initio successus lætos adferat, consilia vestra, omnia euentu bono secundet, ac prosperitatem vestram in omnes latè deriuet, & cum subditis communicet, vt eorum votis & spei satisfiat, quam de gloriosa vestra fortuna, ac de præstantium virtutum vestrarum meritis conceperunt. Animis porrò vestris Spiritus sancti auram afflare dignetur diuina Maiestas, vt maiorum suorum vestigiis insistentes antiquas consuetudines nostras, iura & priuilegia sarta tecta conseruent. Nostras autem preces piasque supplicationes quas pro felicitate & diuturna vita vestra publicè priuatimque concepimus, ad bonos exitus perducat, vestræ denique Celsitudines hoc fidelitatis sacramentum perpetuò ac inuiolatè seruandum quod ipsis præstabimus, de vita pro obsequio vestro deuouenda, ac in ipsa morte in eo perseuerando animis beneuolis & fauentibus recipiant.

Ad quæ Infans serenissima, nam ea Archiducis dextrum semper latus clausit, paucis Hispanico idiomate respondit: Magistratus ac aliorum ciuitatis membrorum propensam voluntatem gratam sibi esse, & eiusdem quandocunque res postulabit memorem sese fore, ac priuilegiorum strictam conseruationem cordi sibi futuram. Hoc deinde Archidux addebat, coniugis serenissimæ verbis se subscribere, & quæ pro vtriusque obsequio Magistratus offerebat se valdè collaudare. Vrbem Antuerpiam pari imò maiori quo eam cùm Præfectus prouincias administrauit, affectu prosecutus est, nunc vero & legitimo eius Principi ac Domino magis commendatam quàm anteà sibi fore.


MAGISTRATVS SALV



ATIO ET EQVITATVS.

INAVGVRATIONIS IN S. R. IMPERII MARCHIONATVM DESIGNATIO.

TOTA igitur pompa paulatim progrediens,in castri vallo præsidiarios,in vrbis verò mœnibus tantam armatorum ciuium multitudinem dispositam viderunt,vt iustum exercitum præ oculis sibi esse Principes iudicarent. Arma omnibus erant nitidissima,vt & sex armatis collegiis extra portam Cæsaream consistentibus: quorum longè pulcherrima acies propè sacellum ad fossæ vrbis oram positum, gratissimum roboris militaris spectaculum omnibus exhibebat. Etsi autem ad vrbis limitem, qui ad Leprosariam est, sacellum poni solet,in quo actus inaugurationis in S. R. Imperij marchionatu fieri consueuit,pio magis & Christiano exemplo quàm solent antiqui Græci Latinique,aras in aduentu Principum erigentes, fœda sed veteri adulatione,vt ex variis auctoribus Lipsius obseruauit in notis ad Tacitum: visum tamen fuit hoc nunc loco ponere,vtpote à nefariis prædonibus tutiore, qui vicina aliquot opida & itinera insidentes,à nullis templis tectisque manus abstinent. Sacelli autem rotundum erat schema,cuius diameter ad pedes viginti extendebatur:columnis octo Doricis substructum erat opus,intercolumnia coronis longis hederaceis bractea circumuolutis ornata. In zophoro legebatur:

HAC SERVATA SERVABIMVR OMNES.

Quod siue ad ritum inaugurationis & iurisiurandi religionem referatur, siue ad Catholicæ fidei defensionem, neutrum à proposito alienum iudicabitur. Accensa etiam erant in coronice funalia, in medio sacelli aræ loco mensa coccineo instrata holoserico, cum duabus ex eadem materia sedibus & puluinis humi stratis. Vbi ad sepimentum quod ad sacellum ducebat Principes peruenerunt, vniuersum ciuitatis clerum circumstantem inuenerunt, atque in sacelli aditu Illustrissimum Reuerendissimumque Dominum Guilielmum de Bergis maiorum imaginibus ac præter Antuerpiensis antistitis dignitatem multis ornamentis ac virtutibus amplissimum,Reuerendum etiam D. Dionysium Feyten Prælatum D. Michaëlis, vtrumque habitu Pontificio, vnà cum venerabilibus dominis Carolo Masio Canonicorum collegij Antuerpiensis Decano dignissimo, Ioanne Del Rio Archidiacono,ac Siluestro Pardo vicario viris genere & pietate honestissimis & clarissimis. Inter quos reliquosq; Canonicos & sacrorum Præsides, cùm è rheda descendentes pedibus ad sacelli gradus,tribus enim ascendebatur, Principes aduenissent, Episcopus gestu venerabundo Crucis signum in genua procidentibus osculandum præbuit. Priusquam consederunt astantibus prædictis Ecclesiastici ordinis viris, aliisq; proceribus ac Magistratu, vbi turba populi nonnihil conquieuit, Brabantiæ Cancellarius suas Celsitudines de iureiurãdo quod ex veteri formula,tanquam S.R.Imperij Marchiones præstare debebant,antea edoctas,iam tum illud dicere paratas esse dixit,reliquum igitur esse vt verba recitẽtur,& inaugurationis actus perficiatur. Prælecto è volumine,quod Magistratus ibidem ferri iusserat,per Audientiarium cum quo hinc Episcopus inde Cancellarius genibus nitebantur,iureiurando quod erat huiusmodi:


NOS ALBERTVS ET ISABELLA Dei gratia Archiduces Austriæ,Duces Burgundiæ, Brabantiæ,S.R.Imperij Marchiones,&c. Iuramus nos in aduẽtu nostro, & successione huius marchionatus,ius sacrosanctę Ecclesiæ,ius Marchionatus sacrosancti Romani Imperij vniuersaliter illorũ statuta, priuilegia, chartas, libertates, & omnia illorũ iura, consuetudines veteres & nouas,necnõ priuilegia nostri iucundi introitus, quæ à nobis & maioribus nostris Statibus Brabantiæ data & cõcessa sunt, nullis quidem in illis exceptis, firmiter obseruaturos & obseruari facturos, nosq; aduersùs aut cõtra ea non facturos aut fieri permissuros in toto vel in parte quouis pacto. Et quòd nos omnia illa faciemus quæ boni & iusti Domini ac Marchiones Marchionatus Sacrosancti Rom. Imperij suis bonis subditis eiusdẽ Marchionatus facere tenentur. Ita nos Deus iuuet & omnes Sancti eius.

Ad quæ

Ad quæ postrema verba cùm peruentum esset, serenissima Infans prior, ac deinde Archidux in genua procumbentes, stipulante Episcopo, vtpote dignissima omnium persona, consentiente hoc etiam magistratu, solemne tactis Euangeliis iusiurandum præstiterunt. Quo peracto, atque tertio repetita populi acclamatione, signóque Principum iussu dato, tantus fragor displosis maioribus ac minoribus tormentis, publicæ lætitiæ index subsecutus est, vt suæ Celsitudines se huiusmodi non audisse nec vidisse faterentur. Nec ad ostentationem, aut belli simulacrum composita hæc arma esse, sed nec fortitudinem virtutémque militarem, nec vtendi solertiam deesse Antuerpiensibus, spectatores iudicabant, qui binas illorum memorabiles victorias iisdem armis partas, domesticam & externam, vnam de Gallis, alteram de Batauis, his in eandem vrbem cum parato & valenti exercitu inuadentibus, repressis, profligatis; illis capto opido Lira potitis, cæsis fugatísque, in mentem reuocant. Post hunc omnium applausum, quem etiam sacello appensa tabella aureis litteris exarata testabatur:

VT ALBERTVM ET ISABELLAM PRINCIPES OPTIMOS
ET PIISSIMOS BONIS, FELICIBVS, FAVSTISQVE
AVSPICIIS S. R. IMPERII MARCHIONATV
INAVGVRATOS DEVS OPT. MAX. PARI BENIGNITATE
QVA SVA EOS PROVIDENTIA GERMANIÆ INFERIORI
AC GALLIÆ BELGICÆ PRINCIPES DEDIT; SALVOS,
SOSPITES, FLORENTESQVE CVM REP. CVIVS TVTELA
SECVRITAS ET SALVS ILLIS EST COMMISSA,
PRÆSTET ET CONSERVET,
S. P. Q. ANT.
VOTIS PVBLICE PRIVATIMQVE SVSCEPTIS INCREDIBILI
CVM GAVDIO EXOPTAT ET PRECATVR.

Tubarum clangore signo velut receptui dato ad ingressum vrbis vnusquisque se parat. Primùm Ordo Ecclesiasticus vt solet in publicis supplicationibus instructus incedit. Deinde mercatores & exterarum nationum negotiatores aulicis, nobilibusque permixti equites ingrediuntur; tum tubicines ac equestres tympanistas eo quo egressus ante fuit ordine, sequitur cum suis membris Magistratus; adhæc Status Consilium, magnates & Principes, Regius & Apostolicus legati, tum quatuor Heroaldi cum paludamentis Burgundiæ, Brabantiæ, Flandriæ & Arthesiæ, postremò Comes Solræus prælato Principibus vti solet ense. Qui conscensis equis in lateritio ad pontis aditum sepimento, sub vmbella sunt excepti, quæ cum suis fimbriis tota erat aurea, à sex Senatoribus viris nobilissimis decenter gestata, Antonio nimirum à Berchem equestribus à Rege in signibus ornato, & Ludouico vanden VVerue in eundem ordinem asscripto, cuius item pater Theodoricus eques, qui consulatum etiam gessit, idem in gestanda vmbella officium ante annos quadraginta quinque Regiæ Maiestati hanc vrbem ingredienti exhibuerat, & Ioanne van Brecht, quem equestri baltheo, altero post die cinxit Princeps, cum Lanciloto Tseraerts, Ioanne de Stembor & Ægidio de Meere Consulari nunc dignitate conspicuo. In eodem lateritio sepimento viri circiter sexaginta, qui armatorum collegiorum Decani olim fuerant, togati cum bullis argenteis inauratis in summa vtriusque manicæ parte, accensa funalia manibus gestabant, atque inter stipatores pompę numerum augebant. Post suas Celsitudines Principis gynæceum cum matronis & puellis illustribus, inter binos eodem splendore viros nobiles, vtrinque vectis sequebantur. Rhedæ ac carpenta velut impedimenta extremum agmen claudebant. Procedente ad portam pompa, eam Principes maiori in aduentum suum optatissimum, quàm vnquam antè fuit nitori restitutam, auroque in immanibus elephantinæ magnitudinis leonum simulacris, aliisque locis obductam offenderunt, duásque ornatus gratia pyrias in coronice sphæras, instar æolipylarum flammas vndique euomentes, cum Principum insignibus turriculæ speculatoriæ affixis, sub quibus ita legitur:


FECIT PETRVS
VANDER BORCHT
1599
INAVGVRATI



EXTRA VRBEM.

ALBERTO ET ISABELLÆ PER MAIORVM VESTIGIA ANTVERPIAM INGREDIENTIBVS, ET EORVM EXEMPLO PIE AC PRVDENTER RECTVRIS

S. P. Q. A.

Ad eiuſdem portæ ornatum accedebant duæ vtrinque ita grandes tabulæ, vt totum vtriuſque intercolumnij ſpatium quadratum occuparent, haud indocta manu pictæ. Ad læuam ſtabat ῥοδοδάκτυλος Aurora veſte candida rubráque nudis brachiis genibuſque, bigis vecta, equis eiuſdem cum veſte coloris, ſenſum aſſcripti verſus explicabant:

Quod ſidus radiare nouum, quæ lumina, ciues
Conſpicimus non viſa prius? Clariſſima Belgis
Lux Iſabella ſuis Tithoni ſurgit ad inſtar
Coniugis; illa diem, ſed pacem hæc inuehit orbi.

Quam ſpei melioris ſignificationem, felix Omen confirmabat, adoleſcentis ſpecie viridi amictu negligenter cincti, cum ſtella in capite, dextrum latus occupans, mentéſque lectorum qui bellum deteſtantur his verſibus erigens:

Exoritur miſeris lætum mortalibus omen
Auſpiciis, Alberte, tuis, te bella reſident,
Vindice, pacatusq́; tuis virtutibus orbis
Æquali veterem ſeruabit lege tenorem.

CON-

CONGRESSVS PRINCIPVM ET ANTVERPIÆ, EORVMQVE SOLEMNIS IN VRBEM INTROITVS.

PORTAM ingrogressis venustæ nymphæ forma sese obtulit Antuerpia, curru suo triumphali insidens, veste pro more inferiori rubra, candida superiore, & præ cetero ornatu quo erat cultissima, lilium ex auro puro solidum candidum encausto, quod smaltum vulgo vocant, vt Cælio Rhodigino placet, in cuius medio cor humanum aureum cum flammis ex eo radiantibus affabre factum manu tenebat. Assidebant nymphæ comites dextra, læuaque numero decem, conuenientes huic dramati.

Amabilitas hilari vultu virgo candida veste serica, floribus inspersa, sertóque in capite myrteo ornata, cor humanum etiam habens, & in eo infixam rosam. Ne autem res eadem sæpius repetenda sit, omnium vtriusque sexus personarum, quæ in scenis sunt exhibitæ, sericas vestes fuisse, ad hunc actum vsumque peculiari forma factas, vt à peritis pictoribus pingi solent, ad antiquitatis æmulationem & spectaculi venustatem, semel dictum sufficiat. Colores tantùm nonnullis asscribemus, quoniam symboli interdum vice sunt, & pro decoro personis attributi.

Bonitas haud illepida virgo veste cœrulea, sertoque ex ruta, non solùm castimonia, sed aduersus venena efficaci hieroglyphico, serpentes enim fugar, astante cum pullis pelecano, (sentiamus cum vulgo) assidebat.

Duæ anchoræ per cor humanum decussatæ, quas puella coccineo colore amicta penes se tenebat, Amoris firmitatem satis explicabant.

Sinceritatis personam niueo amictu cum aureis lacineis, serto liliaceo, hasta & speculo ac reliquo mundo aureo, virgo sustinebat.

Facilitas pro symbolo scutum tenebat, & in eo depictum sub vno par boum iugo.

Humanitas in simili scuto elephantum habebat adumbratum, cui Æthiops insidebat, canem contrectans, qui lambebat eius faciem: ab animalis vtriusque indole humano amica generi, sumto haud absurdè symbolo.

Catellæ in veste puellæ depicti, quæ manus sceptrumque coniungebat, Fidelitatis erat typus.

Sicut puella diuersi generis iuga, in amictu adumbrata, & fasces consulares in manibus habens, pro Obedientia se gerebat.

Reuerentia pro symbolo scutum tenebat, & in eo pictam Principem, Isabellam puta, ad quam accedens nympha, Antuerpia scilicet, manum eius deosculabatur.

Quemadmodum Gratulatio viridi veste, comi vultu lætitiam animi, & per depictos in scuto duos viros se mutuò complectentes, personæ suæ notam exprimebat.

Ad vtrumque currus latus accensi duo Romano more sagati armatique, super oblongo hastili tabellam exhibebant ad dramatis explicationem; vna hos versus continebat:

Candor inest animo quo sese Antuerpia vobis
Dedit, & è toto pectore nauus abest.
Puraq; sinceris ardent præcordia flammis,
Vera fides illas subdit amorq; faces.
Magne & magna Ducum, quid munere speret ab isto
Quæritis? antiquo viuere posse modo.
Vt secura suo sub Principe floreat, olim
Haud secus ac vestri tempore vixit aui.


INTROITVS IN VRBEM


R INEST
NYMPHA.

In aduerſo haſtili ſimilis tabella legendum præbebat huiuſmodi Antuerpiæ & hoſpitis dialogum:

Nympha triumphali ſolio ſublimis, obortis
Quæ vultum lacrymis cauſa madere facit?
Sunt hæc lætitiæ, non argumenta doloris,
Hoſpes, & ingenij ſigna decora mei.
Hinc ego prateritos percurro mente labores,
Inde ſalutiferam ſpes mihi ſpondet opem.
Clara ſuis Iſabella mihi blanditur ocellis,
Et mihi cum lacrymis gaudia mixta facit.

PRINCIPIBVS currui propinquantibus ſurrexit è ſolio ſuo Antuerpia, gradúſque compoſito per medias ſuas nymphas venerabundè aſſurgentes, cum duabus pediſſequis ſyrma eius geſtantibus, de curru per commodum deſcenſui tabulatum ante Principem ſubſtitit, quam Hiſpanicè tribus verbis ſalutauit, liliumque illud aureum cum corde ardente ei obtulit, exhibita cum nymphis decenter reuerentia. Quæ primum illum actum gratum ſibi eſſe nutu declarauit, acceptumque ſua manu primum hoc munuſculum cuſtodiri iuſſit. Ceterùm vt in omnibus nouis coniunctionibus permagni intereſſe tradit Cicero quales primi ſint aditus, & quo pacto neceſſitudinis mutuæ quaſi fores aperiantur, nihil potuit Antuerpia dare melius, nihil Principes dignius accipere, quàm oblato corde deuoti animi teſſeram. Etenim vt illud ſubditorum obſequium quod ex animo proficiſcitur ingenuo & voluntario, præſtantius eſt & laudabilius, quàm id quod ex metu corporibus iniecto; ita etiam firmius & diuturnius eſt imperium. Nec in ſeruis quidem placet vernile nimis obſequium, ſed illi præ reliquis cenſentur optimi, qui ſponte ſibíque ſunt imperioſi, qui placere ſtudent abſenti ac præſenti hero, neque manent dum officij admoneantur. Sic etiam infirmum eſt imperium quod Principes habent, quos ad oculum ſubditi, non ex animo colunt. Quam ὀφθαλμοδουλίαν etiam damnat Apoſtolus, ac dira populo minatur ipſe Deus, qui eum labiis honorat remoto longè ab eo corde. Huiuſmodi hominem poëtico penicillo depingit Horatius; qui,

Quandocunque Deos vel porco vel boue placat,
Iane pater, clarè, clarè cùm dixit Apollo,
Labra mouet metuens audiri, pulchra Lauerna
Da mihi fallere, da iuſtum ſanctumq́; videri.

Eadem quoque in imperiis eſt ratio, quæ amore & volentium hominum beneuolentia fulciuntur, conſeruantur; metu verò ac neceſſitate odioque ſubditorum euertuntur, diſſipantur, vt dicemus infrà. Quamobrem Antuerpienſes ſe Principibus ſuis fidos ac obſequentes eſſe, potius quàm videri, oblato cordis ſymbolo, velut arrhabone teſtari voluerunt.

SCENÆ

SCENÆ AGRICVLTVRÆ GRAPHICA DESCRIPTIO.

Ab eo post ingressum portæ loco, in prospectu fuit pegma elegans magnumque, ad pedes enim septuaginta quinque ascendebat, latitudini triginta sex assignabantur, sedecim profunditati, cum suis personis gradatim in scena considentibus. Agriculturæ dedicatum erat opus, quæ vt ordine naturæ in repub. primas tenet, quòd victum & nutrimentum suppeditet teste Aristotele lib. 7. de Rep. & lib. 1. œconom. eius enim finis est alimenta nobis è terra ministrare, vt in Euthydemo ait Plato. Eique tantùm tribuit Plutarchus in symposio septem sapientum, vt neglectâ agriculturâ, non solùm omnes artes iacere, sed ipsum etiam cultum deorum negligi asserat: ita in summo fastigio Natura cõuenienter erat posita, mammosa vti pingi solet, quæ infantibus hinc inde velut accurrentibus, hoc enim gestu erant dedolati, copiam lactis ex vberibus exprimebat. Personæ autẽ dramatis duodecim erant numina, quæ pro frugum vbertate superstitiosa coluit antiquitas. Eos Varro lib. 1. de re rust. cap. 1. agricolarum duces vocat, Iouem & Tellurem, Solem & Lunam, Cererem & Liberum, Robigum, Floram, Mineruam, Venerem, Lympham, & Bonum euentum, rationem singulis officij sui asscribens. Nos ad maiorem oblectationem & desiderij quod ex pacifica agrorum cultura per aduentum Principum capimus significationem, cuique suos asseclas ex poëtica mythologia iunximus. Tellus igitur, Sol, Iupiter, Luna, Bacchus supremam sessionem occupabant.

Tellus instar magnæ matris Berecynthiæ turribus coronata cornu Amaltheæ penes se tenebat, inferior vestis coloris erat ferruginei, viridis superior.

Sol ex aureis in veste, qua negligenter cinctus erat, radiis & circulo zodiaco corpus ex obliquo ambiente cum sceptro in manu cuilibet innotuit, sicut & Iupiter à fulmine & aquila, ac Luna suo more personata cum argentea in fronte lunula, & terrestri sphæra in gremio; cærulea vestis erat inferior, coloris lactei superior. Bacchi personam obesulus adolescens hedera coronatus prasino amictu circum corpus reiecto, cum thyrso & patera aurea decorè sustinebat.

In secundo summo subsellio conueniens Telluri Labor lauro coronatus, bouis exuuias pro amictu, gruis alas pedésque pro indefessæ tolerantiæ symbolo in manu habebat, astante ei ligone argenteo.

Maturitas Soli attributa, ac Cereris instar spicis coronata, aristas argenteas in lutea veste pictas melopeponem dextra, vinaceos læua racemos habebat.

Tres Horæ lepidæ virgunculæ Iouis pedibus assidentes ad cæli fores excubandi seruabant vices. Prima veste rubicunda tempus matutinum, altera meridianum candida, tertia vespertinũ spadicea designabat: Hæc horologium, illa sciotericum, tertia clepsammidion notum hoc æuo, quo clepsydræ vsus exoleuit, instrumentum gremio tenebat.

Endymion Lunæ amasius stellis in amictu cæruleo pictis & argentea sphæra cursus lunaris & astronomiæ studium declarabat.

Naiades nymphæ Bacchi nutriculæ mysterio poëtico binæ illi aderant: illum enim hæ diuæ corporibus reddunt propitium placidumque iuxta Plutarch. sympos. lib. 1. consilio de vino aqua diluendo: vt & Athenæus lib. 10. & lib. 15. Et inter Græca Epigrammata lib. 1. εἰς οἶνον, mythologicam rationem adfert Meleager:

> Αἱ νύμφαι τὸν βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλατ' ὁ κοῦρος,
> Νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
> Τοὔνεκα σὺν νύμφαις Βρόμιος φίλος, ἢν δέ νιν εἴργῃς
> Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

Quod sic Latinè aliquando reddidimus:

Fulminis oppletum Bromium pereunte fauillis
Matre, lauat vitreis candida Nais aquis.
Bacchus amat nymphas ideo, tu pocula ſumens
Bacchica, coniunctos ni ſinis, ignis erit.

Incumbebant vrnis argenteis, hæc viridi amicta veſte, ſerto florido coronata, Illyrica, illa iride & thalaſſino induta colore.

In tertio ſedili primo loco Ceres ex ariſtis in capite aureis, in cerei coloris veſte argenteis, cum falce & papauere in manu noſcebarur.

Mineruam galea & haſta cum ægide à ceteris diſtinguebant: ſicut Floram verſicolor veſtis & faſciculus florum affabrè factus fictúſque, ex eo ſcilicet genere quod noſtro ſeculo in pretio cœpir eſſe, & hodie paſſim in delitiis eſt, vt pro homine non ſatis vrbano habearur, quem minus oblectenr exotica illa ἱερὸν τέχνα.

Aſſidebat Amorum mater pręſtanti forma iuuencula, cum aureo malo dextra, papauere ſiniſtra, myrto coronata aſtante Cupidine.

Robigus adoleſcens colore amictus Bœtico floribus erat coronatus, cum florum item manipulo in manu.

Lympha in capitis ornatu piſcem habebat, coloris Veneti veſtem cum harpagio ſiue vaſe aquali foraminoſo quo horros irrigamus.

Bonus Euentus viridi amictu pateram inauratam dextra, papauer læua tenebat.

In imo ſubſellio Triptolemus à duobus ſerpentibus alatis, ariſtarum manipulo ac falce innoteſcebat.

Vti ex habitu paſtoritio Ariſtæus, & cereis apum caſtris, floridoque in capite ſerto.

Zephyrus vt eum depingir Philoſtratus alatus aſſidebat, floribus item coronatus, cui flabellum plumaceum addidimus.

Duæ ſequebantur ex ordine virgunculæ ſuccinctæ, cothurnatæ, hæc cornu venatico de collo dependenre, & cane leporario perſonam Venationis, illa Aucupij ſuſtinebat cum accipitre in pugno & galericulo plumis exornato.

Dryadi querneo ſerto coronatæ ac faſciculum glandiferum tenenti ceruus adiacebat.

Melia nympha aſsidebat quã αὐτόχθονα vocat Callim. in hym. Deli, quo nomine Athenienſes in Menex. commendat Plato: & Thucydides eoſdem nuncupat τοὺς αὐτοὺς ἀεί. Trogus etiam & alij: vt vrbs illa omnium nobiliſſima ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur, iuxra Ciceron. pro Flacco. Germanos quoque indigenas fuiſſe cenſet Tacitus, quæ gentes propterea tum erant feliciſſimæ, cùm tanquam genuinæ & ab exteris ἀμιγεῖς ſuam patriam incolerent, ac donec populis aduentitiis velut hibridæ facti, alienos etiam mores acceperint. Et in Belgicam noſtram olim florentiſſimam, cùm infuſa eſt peregrinitas, ſeu commercij, ſeu præſidij cauſa, quàm magnam germanæ integritatis ſuæ iacturam illa fecit, nemo eſt qui ignorar. De moribus dico ſimplicibus olim & frugalibus, nunc faſtu luxúque aliunde introducto, diſſolutis & corruptis. De proſpero rerũ curſu ex quo excuſſi ſumus, commemorare non opus eſt, ſed exiſtiment Principes ſeſe ad euerſam rempublicam accedere, in antiquum ſtatum à ſe reſtituendam præſentia ſua & prudentia. Quod procedet faciliùs, modò

Moribus antiquis conſtet res ſumma viriſq;.

Atque inde petenda ipſis eſſe tam belli præſidia quàm pacis ornamenta, figuratè proponebat indigena illa diua: implexum enim capiti ex cicadis aureis ſertum, nobilium Atticorum geſtamen, teſte Thucydid. Ariſtoph. Virgil. in Ciri & aliis, quia & illud animal γηγενὴς, nobilitaris eſt hieroglyphicum.

Terminum ſiue agri limitem quem complectebatur, haud aliò ſpectare exiſtimamus, quàm ad natale illud ſolum quod Belgici nominis ambitu includitur, Principum ductu & auſpiciis, nobilium opera & conſilio, populi robore & induſtria, quorum maximè intereſt, à quolibet hoſtẽ vindicandum. Et quia in eo ſita eſt publica Belgij felicitas, eius nominis perſona ſedebat in proſcenio cultu magnifico, cum Amaltheæ cornu, & pacis typo caduceo.

Vbertas

Vbertas ei erat assecla, inter calathos vimineos sedens frugibus plenos, floridæ genistæ gratissimi apibus pabuli ramum tenens.

Inferior stylobatarum ornatus in his emblematis consistebat.

Agriculturæ cum armis rusticis, & aratro depictæ, floridamque arborem amplectenti, asscriptum erat:

Deus nobis hæc otia fecit.

Id omne post Deum Principibus nostris acceptum feremus, cùm pacatis prouinciis, pulsisque procul discordibus armis:

Fundet humo victum facilem iustissima tellus.

Neque solùm ex veteri siue superstitione siue adulatione qua diuinos honores hominibus tribuebant, beneficum sibi Principem appellauit Maro deum, vt eundem Æneidos 6. diuum genus, & 9. diis genitum, deosque geniturum vocat Iulum, ad fabulosam de Venere genitrice originem respiciens; sed quemadmodum Ouidius eleg. 9. lib. 2. de Ponto, homines cum diis commune habere tradit, quòd rogati supplicibus opem ferant, rationem subiiciens:

Nam quid erit quare solito dignemur honore
Numina, si demas velle iuuare deos?

Vt qui propterea, Horatij verbis vtar, deorum fuerunt in templa recepti, cur non eos seu mortales quosdam deos, siue ἰσοθέους, θεοεικέλους vel ζαθέους aut θεουδεῖς cum poëta salutabimus? Receptum olim erat consuetudine communi, vt beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent, vt testis est Cicero lib. 2. de natura deorum. Ipsumque adeò Iouem priùs optimum vocari, id est, beneficentissimũ, quam maximum voluerint, vt eodem libro Tullius. Qui dat itaque beneficia, deos imitatur, iuxta Senecam lib. de beneficiis tertio. Sed nos ne aduersus Christianam pietatem vsquam impingamus, hæc beneficentiæ inter Deum & Principes munia sic diuisimus in pegmatis huius inscriptione, quæ in summo fastigio medium locum vendicabat:

QVEMADMODVM IMPERII INTER DEVM IMMORTALEM ET BENIGNOS PRINCIPES, SIC ET BENEFICIORVM ÆQVALITAS ET COMMVNIO EST. VTROSQVE PRECAMVR, COLIMVS, QVÆSVMVSQVE VTI SINT
VOLENTES PROPITII:
SED AB AGRO, TERRA ET FAMILIA MORBOS VISOS INVISOSQVE, INTEMPERIEM, VASTITATEM, LABEMQVE PROHIBERE, ET AVERRVNCARE, FRVGES, FRVMENTA, VINETA GRANDIRE BENEQ. SINERE EVENIRE; PASTORES, PECORA, FOETVSQVE SERVARE, BONAM SALVTEM ET VALETVDINEM DARE, OMNIPOTENTIS
DEI SVNT MVNERA.
IN LIBERO AVTEM PACATOQVE SOLO, ET AB HOSTIVM INCVRSV AC DIREPTIONE TVTO PASCERE, ARARE, VENARI, AVCVPARI, PARTIS VTI FRVIQVE,
ALBERTI ET ISABELLÆ
PRINCIPVM QVIETIS PVBLICÆ FVNDATORVM SINGVLARI BENEFICIO INTEGRVM NOBIS ESSE,
QVIS EST QVI NON EFFVSE GAVDEAT ET EXVLTET?

In dextro autem fastigij latere hi versus legebantur:

Alter vt Alcides victor domitórque ferarum
Albertus defensor adest, gaudete coloni,
Terror abest, metus omnis abest, poscentibus aruis
Non desunt velut antè manus, & pinguia fœto
Pabula sufficiunt pecori, non horrea messi.

In ſiniſtro latere huiuſmodi epigramma:

Ferte roſas, pueri, calathis, & lilia, nymphæ
Indigenæ, laurumq́; nouis intexite ſertis:
En Iſabella venit, quacunque incedit amœnis
Vernat humus violis, afflantur odoribus auræ
Ambroſiis, funeſta nitent, calcata reſurgunt.

Ad imitationem Callimachi hæc dicuntur, qui vt hymno in Apollinem de eius dei comis panaceam, quæ ipſo nomine omnium malorum remedium promittit, vt etiam Plinius lib. 25. cap. 4. annotauit, deſtillare canit poëta, in vrbe autem quacunque guttæ illæ in terram deciderint, omnia immortalia reddi; ſic aduentu Principis noſtra omnia reſtituta & pacata fore ominamur, votis noſtris blandientes.

Erat & interſtylobatij emblema Saturnus & Euander, qui Italos agriculturam docuerunt, cum hoc hemiſtichio velut voto ad Principes noſtros facto:

Veſtro ſic munere tellus.

Ab altera parte Ros forma adoleſcentis gramineo ſerto coronati, & lunarem orbem manu tenentis, rorem enim pleniluniis copioſiorem eſſe in cauſis naturalibus tradit Plutarchus: cum hoc verſu ex eodem poëta ad eoſdem ſpectante:

Et iam ſole nouo terras irrorat Eous.

Pictum ibidem erat telluris ſimulacrum, pluuiam à Ioue poſcentis & impetrantis, ex Pauſan. in Atticis, cui aſſcripſimus:

Principis aduentu noſtræ nemus omne virebit,
Iupiter & læto deſcendet plurimus imbri.

Paſtor alio in latere oues paſcebat aſtante Principe, vtriuſque enim ſimilia ſunt opera; vt Cyrum dixiſſe ſcribit Xenophon Cyropæd. lib. 8. Nam quemadmodum paſtoris munus eſt, poſteaquam pecori læta pabula comparauit, eo etiam vti, quæ quidem pecudum eſt felicitas; ita Princeps vrbium hominumq́ue quibus præeſt vtilitatibus debet proſpicere, vt cùm eos beauerit, vti iis citra moleſtiam queat. Et ſicut debet is qui ſeruos poſſidet aut mutas pecudes, vt ad Q. fratrem ſcribit Cicero, eorum etiam quibus præſit commodis ſeruire; ita Principis munus eſt curare, vt ſui ciues beati ac fortunati ſint: eaq́; de cauſa ποιμένα λαῶν paſtorem populorum Homerus vocat Agamemnonem, & eodem ſenſu ποιμάνορα ἀνδρῶν Æſchylum appellaſſe notat ibi Euſtath.

Taurum in alia tabula æneum Cyclopes cudebant ad antiquitatis æmulationem, quę in pretio habuit huiuſmodi ἀναθήματα, ſenſus autem erat:

AGRORVM SECVRITATI TAVRVM ÆNEVM ANTVERPIA
. D D.

Eiuſdem verò animalis cum lupo certamen pro vltimo emblemate ibidem erat pictum, ex Pauſania in Corinthiacis. Quia autem lupus animal eſt homini minimè familiare, legebantur hæc verba:

Nocent peregrina, domeſtica proſunt.

Non ego hîc Belgicæ reip. vulnera ab externo milite triginta quatuor annorum bello inflicta oſtentabo, non cædes, non rapinas, flagiria, ſeditiones, direptionéſque recenſebo; ſed ſi de prima in prouinciam deductione & introitu, ſi de tranſitu & itineribus, quæ talia eſſe debent, vt non modò manus, ſed ne veſtigium cuiquam pacato nocuiſſe dicatur, vt in Maniliana Cicero, ac ſine iniuria & maleficio ſunt facienda, vt Cæſaris verbis vtar, aliquid ſi non ſcribere, at ſaltem gemere permittitur, quas non fecit ille ſtrages vbicunque pedem poſuit? Cæduntur greges armentorum, reliqui pecoris quodcumque nactus eſt, militari menſæ cedit, & ne vinum deſit epulis, quod non habet prouincia niſi importatum,

tatum, neque hospitum inopia neque pretium, nec viarum aut locorum vnde ingenti quouis pretio peti & emi possit, molestia excusat aut longinquitas: negantibus aut cessantibus parata sunt verbera, morantibus contumeliæ: vastantur agri, diripiuntur villæ, nec virginum pudori, neque matrumfamilias parcitur. O præclaros ouium custodes, vt aiunt, lupos! Ita verbis Ciceronis exclamare certè cogor. Quo etiam conuicio Dalmatarum dux Bato apud Tiberium huiusmodi prouinciæ vexatores, quam à vexationibus vindicare debuissent, perstrinxisse legitur, culpam defectionis in eos reiiciens. In statiuis & hibernis incolis graues, hospitibus tantùm metuendi, maximè si accesserit seditio, qua tam freqūēter laborarūt venales illæ animę, vt plura in prouinciis quas tuendas receperūt opida deleuerint, quàm hostium vrbes ceperint. Nihil de imperij contemtu, nihil de proiecta disciplina, idque sæpè in optima rei benè gerendæ opportunitate, aut propinquo discrimine dicemus; exoleuit enim ille mos, vt iuberi aut regi se sinant, sed ducum iussa interpretari malunt quàm exequi. Nec de vna aut altera natione hæc dicuntur, nec tempora à belli principio distinguuntur, de omnibus fit sermo quotquot in Belgio stipendia meruerunt, de Scotis nempe, de Britanis, (sequor ordinem geographicum, Hispanis, Italis, Epirotis, Germanis & Francogallis; neque tamen de omnibus, sed de improbis tantùm, nec ad conuicium aut exprobrationem, sed ad beneficiorum quibus Principes nos afficient, aut pacatâ prouinciâ, aut correctâ disciplinâ, amplificationem. Gratia enim meritorum tanto maior est & gloria, quanto malum fuit grauius, & remedium difficilius. Eam quoque Principibus nostris reuera optimis mentem esse scimus, & quotidianam probamque imperatoris Probi vocem, optare se, vt quod salutare reip. eueniat, breui milites non habeamus necessarios. Si verò ad bellum quo nunc implicamur conficiendum, vel ad aliud siquando fortè exorietur, quod Deus auertat, propulsandum & gerendum, militari manu indigebimus, quid de exercitu domestico exspectandum sit, differere hîc non attinet: quoniam huius problematis præclaras rationes à πολιτικωτάτῳ Iusto Lipsio ciuilis doctrinæ lib. v. cuius petere est integrum: exempla modò quædam vel ad confirmationem, vel ad coniecturam de domestici militis opera subiungam. Ex vnico tantùm Vltraiectensi dominio, quæ, si reliquas spectes, non magna est prouincia, quadraginta mille virûm armatorum exercitum antistes eius regionis dominus in hostem eduxit. Flandriæ Comites varij instructa ex subditis suis acie cum potentissimis Galliæ Regibus sæpenumero dimicarunt, victoresque euaserunt. Nec ascito milite in maximis sacrisque expeditionibus, sed in solo suo genito vsi fuerunt Brabantiæ Duces, vt de vno & altero Ioanne in Louaniensi introitu diximus, qui comparato ex Brabantis suis exercitu, qua fidelior suo Principi non reperitur natio, vti eadem narrat historia, multorum simul regum & regulorum vires represserunt. Verum igitur esse dictum Cæsaris reperitur, quòd omnium Gallorum fortissimi sint Belgæ: Hîc antiqua sibi superesse vestigia Principes existiment illorum populorum, qui ab eodem Cæsare lib. 6. de bello Gal. describuntur audacissimi, metu mortis neglecto, qui adhuc eo nomine ad virtutem excitantur. Commendari etiam ab Horatio meminimus:

Non pauentem funera Galliam.

De iisdem populis sic Lucanus lib. I.

Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud vrget leti metus, inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaq́; capaces
Mortis, & ignauum est rediturae parcere vitae.

Hoc eidem nationi tribuit Athenæus lib. 6. eosque describit, qui σιλοδούρους, hoc est, deuoti (soldurios vocat Cæsar) cum rege vitam agentes appellantur, cumque rege morientes, idque summopere votis optantes: ob quam erga regem fidem cum eo principatum gerunt, quoties necessitatis contingit occasio, mortem libenter oppetentes, siue Rex intereat morbo, siue cadat in prœlio, nec est qui dicere possit ex illis amisso rege, quempiam mortem vel expauisse, vel recusasse tergiuersantem. Hæc Athenæus. Ceterùm in-

trepidos ad quasuis procellas, ad quosuis terræmotus Gallos fuisse, quorum tertiam partem Belgæ sibi vendicant, Aristoteles auctor est lib. 3. Ethicorum. Sed ne exemplis vetustis immoremur, equestris pugnæ à viginti duobus militibus nostratibus cum totidem Francogallis hostibus, Nonis Februarij præsenti anno seculari, prope Siluamducis commissæ, historiolam opportunè hîc describemus In exercitu Batauorum inter ceteros militabat ex nobilitate Gallica ætate & viribus ferox D. de Breaute, qui ob strenui militis armis acquisitam existimationem, turmam equitum ducebat. Eius in bellico hoc munere vicarius cum turmæ suæ parte in parem equitum numerum sub nobili item D. Antonio Schets de Grobbendonc militantium, mense Nouembri fortè inciderat; dimicatum fuit acriter, Gallis cæsis fugatisque vicarius in nostrorum potestatem viuus venit. Abductusque Siluamducis, de re infeliciter gesta litteris fecit certiorem turmæ suæ ducem. Ille hunc suorum casum indignè se ferre, quorum virtuti non modò tribuebat, vt viginti equites, cædendis quadraginta eius turmæ, à qua victus erat, sufficerent; verùm etiã re ipsa se data occasione hoc demonstraturũ scripto asserebat. Quod cùm in manus vicarij itẽ turmæ Grobbendoncanę incidisset, eidẽ respondit, se nec causę pro qua militabat æquitati, nec contubernaliũ virtuti diffidere, nõ tamen suæ nationi, neque turmæ suæ duci, nec cõmilitonibus huiusmodi ignominiã velle inurere, vt tam disparis numeri conditione superior manus cum hoste suo confereret; sed si equitum suorum vires tantopere cuperet explorare, pari se, cùm vellet, numero dimicaturum. Missis igitur vltro citroque per tubicines litteris, ac pugnæ die & loco constituto, cùm de armorũ genere, quo in bello nunc vtimur, satis conuenisset, datis vtrinque cautionibus, de partis victricis securo ad suos reditu, viceni & bini ex singulis turmis, sic enim conuenerat, in certamen descenderunt; dicto prius per nostros sacramento, se nemini, si victoria potiri concedat ipsis Deus, post conflictum parsituros; sed ad vnum omnes vel deditionem facere cupientes præter tubicines interempturos. Hoc prouocatori renunciari iubet Gerardus Abrahami, quod vicario erat nomen. Postero die peracto sacro & implorato Dei auxilio pro eius & Ecclesiæ causa pugnaturi, factaque militari exhortatione, de tuenda nationis dignitate, ac integra turmæ existimatione armorum virtute inter ceteras parta, ad aciem prouocatoriam contendunt. Quæ cùm moraretur, ac spatio longiusculo à loco certamini dicto subsisteret, & admonita propius accedere recusaret, Gerardus neque loci opportunioris conditione motus, nec equorum recentium, quibus suo exanimato prouocator vteretur, rectà in hostem suos duxit. Tum signo per tubicines dato tam vehemens prima fuit impressio, vt viginti sex equi vtrinque sternerentur, Gerardus plumbea glande cum fratre ictus caderet. Prouocator equo similiter necato, in recentem à suis adiutus insiliit. Pugna vtrinque instaurata recruduit. Nec Gerardi & fratris eius morte nostrorum animi conciderunt, sed ad vindictam acriores sunt facti. Neque minor fuit Gallorum cum suo duce alacritas, qui secundo equo cæso, tertium suorum opera integrum nactus est. Concursu deinde iterum facto, & inclinante ad nostros victoria, quod ex numero hostium occisorum animaduertere erat facile, puer quidam rusticus qui cum aliis eminus spectantibus, vacuum sessore equum prehenderat, victoriæ nuncium Siluamducis afferebat. Quo audito cùm ciuis quidam maiora duo in muris tormenta ceu lætitiæ signum disploderet, nostrique pugnatores de insidiis indicium à duce suo, ita enim dictum erat, fieri sibi existimarent, cùm circumspicientes nihil periculi imminere scirent, in hostiles reliquias ipsumque prouocatorem tanto impetu inuaserunt, vt paucis fuga elapsis omnes cum turmæ hostilis duce, qui letaliter licet saucius grandi lytro vitam pacisci conabatur, interfecerint, sacramenti sui memores, quod huiusmodi belli commercium ex pacto excludebat, ipsiusque prouocatoris cæde suorum manibus parentarint. Ceciderunt in conflictu hostes numero quatuordecim, cum tribus qui postea ex vulneribus decesserunt. Victores qui superfuerunt octodecim, sed quatuor inter eos saucij, equi ipsorum sex, hostiles quatuor integri Siluæducis cum gratulatione sunt excepti, quæ tamen admixtum dolorem habuit ob Gerardum desideratum, strenuum, si quis alius, in exercitu nostro militem. Ferunt inter sermones quibus vitam prouocator precabatur, cuius essent victores

nationis



AGRICVLTVRÆ TYPVS.

nationis quæsiuisse, qui cùm omnes Brabantos se esse respondissent, nationis fortitudinem admiratum collaudasse, illos porrò dixisse se nullam in terris gentem pertimescere, eiusmodi cum exteris militibus quibuscunque, æquali modò sint numero, certamen inire paratos semper esse. Nos vt pugnæ tam memorabilis ad posteros memoriam transmittamus, victores superstites ornauimus hoc elogio, mortuos epitaphio:

Viuite magnanimi iuuenes fortissima nostræ
Robora militiæ, patriæ vobisq; parastis
Æternum virtute decus, victricia gentes
Arma stupent aliæ, certamine viribus æquo
Marte pari, numero palmam sed dispare Gallus
Hostis in hoste probat: volucres victoria pennas
Exuit, Aduaticis sedes vt figat in oris,
Belgica terrarum dum gloria circuit orbem.

PROVOCATVS AB HOSTE GALLICÆ TVRMÆ DVCE D. DE BREAVTE GENERE CLARO, ÆTATE FEROCI, GERARDVS ABRAHAMI SILVÆDVCENSIS IN DVCENDA EQVITVM ITEM TVRMA D. ANTONII SCHETS DE GROBBENDONC VICES GERENS, CVM VIGINTI DVOBVS COMMILITONIBVS CONTRA TOTIDEM GALLOS VETERI HORATIORVM EXEMPLO, VIRTVTE ET SVCCESSV ADMIRABILI, CÆSIS HOSTIBVS SEPTEMDECIM, IN CONSPECTV PATRIÆ AC PRO EIVS GLORIA FORTITER DIMICANS CVM FRATRE ANTONIO AC DVOBVS ALIIS MILITIBVS SVIS CECIDIT. QVI A TVRMÆ SVÆ DVCE SOLEMNI FVNERE HVC DELATI, OB MORTEM QVA NON POTVIT CONTINGERE GLORIOSIOR, RESVRRECTIONEM GLORIOSAM HIC EXPECTANT.

ARCVS

ARCVS DESCRIPTIO SIVE OPERIS TRIVMPHALIS NATIONIS HISPANICÆ.

SED vt à patriæ laudibus institutum prosequamur, cum progrediente triumphali nostra pompa, viam hospitalariam propè Arembergicam vasta moles obstruxerat, duplici transitu peruia tribus eleuationibus, ab Hispanis in hac vrbe negotiantibus erecta, architectonica magnificentia, picturarũ elegantia, ac argumenti grauitate natione dignũ opus. Tota eius altitudo ad pedes sexaginta quinque assurgebat, distẽsa ad quadraginta quatuor latitudine, profunditas triginta tribus pedibus terminabatur. Frontis anterioris huiusmodi sensus erat: tabula magna quadrata in secunda super portas eleuatione Philippum II. in solio & habitu regio sedentẽ spectatoribus exhibebat, sceptro suo Isabellæ filiæ Cybeles currum cum leonibus demonstrantem vacuum sessore, & vt conscendat innuẽtem. Philippus III. sororem brachio illuc dirigebat. Nymphæ habitu astabat Belgica, ascensum Isabellæ exspectans inuitansque. Pax in posteriori currus parte præsto erat ad lauream vbi consedisset imponendam. Regi Pallas assistebat, Saturnus assidebat, hæc prudens illi consilium suggerebat, ille temporis rationes ita ferre suadebat. Operis dedicatio ex inscriptione intelligebatur:

SERENISSIMIS OPTIMISQVE AVSTRIÆ ARCHIDVCIBVS,
BVRGVNDIÆ ET BRABANTIÆ DVCIBVS
ALBERTO ET ISABELLÆ,
REGIAM HVIC AFFINITATEM, DOTALEM ILLI
PRINCIPATVM, VTRIQVE ADVENTVM
INCOLVMEM GRATVLANTES HISPANI PP.

Cupidinum grandes statuæ ad quinque Amorum genera pertinebant. In summo fastigio diuinus Amor stabat reliquis paulò maior altitudinis ratione, sinistrã pectori aperto admouens, ac cor flammatum ostentans, dextræ manus indice versùs cælum eleuato, cui erat in basi asscribendum:

Consilium mens plena Deo suggessit Amorq́.

Gradatim descendẽdo hinc Amor filialis dextra labarum tenens cum insignibus Hispanicis, læua scutum, in quo fuit depingẽda historia duorum fratrum Hispanorũ, qui vt parentum senectutem tuerentur, suam exspectare noluerunt, vt memoriæ prodidit Val. Max. lib. v. cap. IIII. nisi nos temporis breuitas oppressisset, foretque asscriptum:

Nati sunt pignus Amoris.

In altero latere Amor coniugalis cum simili labaro & scuto, in quibus pingenda erat Hipsicratea Mithridatis vxor habitu virili marito in laboribus & periculis socia, ex eodem auctore lib. 4. cap. 6: cum his verbis:

Casus Amor indefessus in omnes
It comes.

Infra Amor patriæ cum labaro clypeoque, in quo erat adumbratus Scipio Africanus, qui afflictam Cannensi clade vrbem, cùm de Italia deserenda reliquiæ exercitus consilia agitarent, iurare omnes stricto gladio coëgit, se patriam nunquam deserturos; cum inscriptione:

Dulcedine cunctos ducit Amor patriæ.

Simili ex aduersa parte schemate Amor in Principes per Zopyrum seipsum mutilantem foret cognitus, cum versu Claudiani:

Non sic excubiæ nec circumstantia pila
Quàm tutatur amor.

Monarchiam omnem partitur bifariam Aristot. lib. 3. de rep. in regiam & legitimam, & in violentam ac tyrannicam. Reges septi & stipati sunt armis ciuium, tyranni externorum. Illi enim ex lege, & hominibus sponte parentibus, hi præter legem & inuitis imperant. Ita-


PRIVS FRONTIS


S.OPTIM.
ICIVM ARCVS HISP.

rant. Itaque illi quidem à ciuibus acceptam, hi autem in ciues comparatam habent corporis custodiam. Exclamat Cicero Philip. 2. Nónne millies perire est melius, quàm in sua ciuitate sine armatorum præsidio non posse viuere? Charitate & beneuolentia ciuium septum esse oportet, non armis. Ex quo intelligi potest, nullum esse imperium tutum, nisi beneuolentia munitum, vt Æmilij Probi verbis vtar in Dione: vbi sic Lambinus; faxit Deus Opt. Max. vt hoc ediscant Reges, atque in animis infixum teneant: Essent eorum opes stabiliores, essent eorum ciues beatiores. Non necesse haberent illi in præsidio externo spem salutis & incolumitatis suæ constituere, suorum voluntatibus diffisi, neque stipatores corporis, & custodes capitis aduenas adhibere, à suis ciuibus sibi metuentes. Præclarè igitur Dio cùm Dionysio suaderet, vt Platonem Athenis arcesseret, totumque se ei viro traderet philosophiæ præceptis imbuendum, dicens adamātina vincula imperij non esse vim & metum, neque magnum robustiorum iuuenum numerum, & ingentem barbarorum corporis custodum multitudinem, neque arces montibus impositas, vt ait Flaccus; sed ciuium beneuolentiam, & propensam in Principem voluntatem, ex eius virtute & iustitia in illorum animis insitam: quæ quamuis sint vinculis illis duris molliora, esse tamen ad diuturnitatem imperij solidiora & validiora. Quòd autem nonnulli munitas arces condunt, non tam aduersus hostes externos, quàm aduersus ciues suos, vehementer errant, & pessimè sibi consulunt: nam talibus arcibus ciuium in se odium magis ac magis incenditur & augetur. At odia populorum plus possunt ad pestem & interitum, quàm loca vel munitissima ad stabilitatem vel salutem. Huc vsque Lambinus: pergit Probus Timoleonte, quòd ceteri Reges imperio potuerunt, hic beneuolentiâ tenuit, nullus honos huic defuit. Stiliconem sic laudat in tertia Panegyri Claudianus:

Sed verus patriæ Consul cessantibus armis
Contentus lictore venit, nec inutile quærit
Ferri præsidium, solo contentus amore.

His igitur Amoribus in secunda eleuatione eiusdem frontispicij totidem Isabellæ erant sociæ. Inclyta Hispaniæ Regina Ferdinandi Regis vxor ex asscripto disticho noscebatur:

Non animis sexus, regno non sufficit orbis,
Felices cœptis femina virq; suis.

Læuum latus occupat Isabella Ferdinandi Regis F. Emanuelis Lusitaniæ Regis coniux, infra quam legitur:

Gloria magna patris, par est fortuna mariti,
Floruit imperiis auctus vterque nouis.

Infra in latere portæ dextræ depicta cernebatur Isabella Emanuelis Lusitaniç Regis F. Caroli v. Augusti vxor, cum carmine elegiaco:

Regia progenies, Augusti sponsa, Philippi
Mater, inest titulis gloria summa tribus.

Alterius portæ sinistrç latus Isabella decorabat pacifica Henrici II. Gallorum Regis F. Philippi II. Hisp. Regis coniux, cum simili ad eam prosopopœia:

Connubio genitor, dotali pace maritus,
Gens omnis thalamo gaudet in orbe tuo.

ADVER-

ADVERSÆ FRONTIS ARCVS HISPANORVM SCHEMATISMVS.

Adversa molis facies eiusdem cum anteriori structuræ, sensu differebat, magna enim in secunda eleuatione tabula eiusdem Othonis Venij familiaris nostri manu,qui priorem etiam pinxit, in arte sua celeberrimi litterarum quoque accedente ornamento, erat adumbrata. Huiusmodi tabulæ inerat argumentum: Iouem cum aliquot subsellij primi diis Iunone,Neptuno,Pallade,Marte & Venere in solio sedentem, velut conuocato per Mercurium deorum concilio, accedit Hispania, ad cuius postulata Pax cælo dimittitur duce Hymenęo,qui Belgicam mœsto vultu ac capite in manum reclinato sedentem veste parum culta consolantur & erigunt: hexastichon in tabella appensum rem aperiebat:

Bellatum satis est, tædas, Hymenæe, iugales
Profer ad exstinctas Martia tela faces.
Pro tumulis thalamos, pro luctibus instrue ludos,
Vulnera sanentur fœdere, pace dolor.
Et facies vultum mutata sorte serenum
Sumat, & antiquas Belgicus orbis opes.

Statuæ in hoc frontispicio positæ sexus erant muliebris. Virtutem summa generalem referebat cum suo parazonio,& hoc hemistichio:

Rutilo virtus contermina cælo est.

In descensu ad secundam eleuationem Virtus amabilis scutum tenebat, & in eo depictam historiam lepidissimam virginis Odatis,quę Zariadrę nunquam visi amore in somnis capta fuit,cui etiam nupsit.Exemplum ex Athenæo petitum lib. 13. quòd virtus per se amabilis sit,etiam in iis quos antea non conspeximus: pateram manu tenet Odatis quam porrigit Zariadræ,infra legebatur:

Virtutis amabile nomen.

Infra hanc Clementia spectabatur ramum oleæ dextra tenens,aceruum armorum calcans pedibus,scriptum ibi erat:

Clementia regia mundo Optima virtutum est.

Virtus militaris ab altera parte stabat cum casside & lorica, Romanum signum cum aquila tenens,ibique annotatum:

Virtus & robur in armis
Imperium telluris habet.

Pro Magnanimitatis typo statua rictum leonis pro galea habebat, sceptrum manu aureum,asscriptis verbis:

Magnanimo Regem ingenio velut vngue leonem
Noscimus, & primis sceptrum metimur ab annis.

Pro reliquo ornatu eiusdem frontispicij virilis sexus picturæ quatuor erāt,Philippus I. Austriacus,Maximiliani Aug.F.Rex Hisp.pulcherrimus,optimus, cui sub pedibus scriptum erat:

Fascibus Austriacum decorauit nomen Iberis
Primus, & Hesperium nouit Germania sceptrum.

Lateri eius astabat Carolus v.Rom.Imp.Aug.Max.potentissimus,cum hoc elogio:

Belga, pater patriæ, Rex, Cæsar in orbe triumphos
Quo plures nemo quocunque ex hoste peregit.

Infra Philippus II. Aust. Cath. Hisp. Indiarumque monarcha iustissimus,piissimus, eius erat encomium:

Terminus imperij tellus, orbesq́, remoti,
Relligio superos scandit defensa meatus.

Portæ vtriusque ornatus interior non minùs picturis splendidus erat quàm sensu magnificus, ex quatuor monarchiis, Assyriorum, Persarum, Græcorũ, & Romanorum, cum Imperio Germanornm & monarchia Hispanorum; sic erat compositus, vt singulis portis in lateribus & lacunaribus cum suis emblematis tres monarchiæ assignarētur. Ninus & Semiramis habitu virili cum pectine in capillis & ex hoc versu noscebantur:

Assyrij Ninus & coniux fundamina regni
Prima Semiramis posuere in mœnibus vrbis.

Pro emblemate eius seculi sub pedibus eorum Hercules eiusq́ue columnæ cernebantur, asscripto omine:

Hæc meta laboris
Herculei occiduis regnum portendit in oris.

In lacunari decem Sibyllæ quæ illo tempore floruerunt, cũm hoc vaticinio erant adumbratæ:

Et vos Hesperios Reges ad sceptra, Sibylla,
Carmine fatidico mundiq́, ad frena vocatis?

Ex aduersis columnis medium transitum distinguentibus, ætatis eius lumina Homerus & Hesiodus velut in numismate appensi videbantur: Alteram orbis Monarchiam Cyrus referebat habitu militari, pro emblemate sub pedibus Xerxem Asiam nauibus Europæ coniungentem Themistocles superat, ibiq́ue sic legitur:

Cyrus Achæmeniis orditur primus in oris
Imperium, sed prudenti moderamine mixtum.

Infra in hunc sensum:

Europam iunxisti Asiæ, sed vinceris, impar
Consilijs es Cecropijs, classisq́, magistris.

In lacunari Astyagis de vite ex vtero filiæ somnium sic intelligebatur:

Somnia te regem, Cyre, & cunabula spondent.

Depictusq́ue erat Cyrus regnum inter æquales affectans. Solon & Pythagoras ex aduerso positi. Alexander magnus tertium locum occupabat cum fulmine in galeæ conio, diuini generis vsurpati signo:

Machina Pellæum telluris ferre nequiuit
Ductorem, inuenietne alios quos subiuget orbes?

Emblematis loco Philippus eius pater Athenienses classe vincit apud Cheroneam, quod versus declarabant:

Græca Philippæas timuerunt carbasa puppes,
Gens eadem nostros horret deuicta Philippos.

In lacunari Alexander Magnus contracto inter centum virgines Persides cum totidem sponsis Macedonibus connubio, velut omnium auspex, conciliator & pater, vtramque gentem æterno fœdere deuincit. Aristoteles & Plato ex aduersa columna hoc seculum ornabant.

Alterius portæ interiora emblemata Iulius Cæsar cum lituo & stella cuius erat notissimus ex hac scriptura:

Iulius Imperij signis victricibus auctor
Cæsarei, virtute duces supereminet omnes.

Sub eo depicta Pharsalica erat pugna, cum versibus Lucani:

Heu quantum terræ potuit pelagiq́, parari
Hoc quem ciuiles fuderunt sanguine dextræ!

Conueniens querela de nostri æui bello, qui non vno prœlio de Romani orbis Imperio contendimus, sed de pacanda vna aut altera ditiuncula triginta quatuor annis cruentum fui-

tum fuimus vbique spectaculum: vt exemplo Agesilai de Atheniensium & sociorum Corinthi interfectorum numero admirati, auctore Plutarcho, exclamare nobis liceat; Hem Belgicam, quę tot ipsa perdidit, quot ad barbaros subiugádos satis essent vniuersos.

In lacunari Augustus triumuiratui superstes, Vespasianus de Iudæis cum Tito triumphans, Traianus cum sua columna depicti, & his versibus:

Tractaret habenas
Orbis adhuc, patriæ similes si nacta fuisset
Roma patres.

Ad Iulij latus in transitu pictus erat Carolus Magnus habitu Imperatorio, & hac inscriptione:

Romanas aquilas Germania, Carole, regnis
Iunxit Magne tuis, & mundi sceptra recepit.

Emblematis loco infra Hispania per Carolum Magnum Cordubam vsque recepta, profligatis Sarracenis. In lacunari Rudolfo, Alberto, Maximiliano, & Ferdinando primis Austriacis Genij volantes corollas imponunt, cum versiculo:

Nutaret pondere moles
Ni foret Austriacæ gentis suffulta columnis.

Sexta & vltima Hispanorum est Monarchia per Ferdinandum v. Catholicum designata, qui eiectis de regno Granatę Sarracenis de omni regno triumphauit, addito elogio:

Quintus es, at Sextus debebas nomine dici,
Sexta gubernandi cessit tibi gloria mundi.

Infra pro emblemate Noui orbis ad imperium Hispanicum fit accessio, duce Columbo classis præfecto, quod hoc carmine celebratur:

Phœbus inaccessos celabat conscius orbes,
His decet Hesperium gemmis distinguere sceptrum
Dixit, & æquali mecum fulgere corona.

Lacunaris ornamẽtum erat Hispania, cui Europa lauream imponit; collum Asia gemmis ornat; Africa vmbellam supra caput tenet; crurum pedumque ornandorum ministerio prouoluta est America.


BELLATVM SATIS
POSTICA PARS ARCVS


HISPANORVM.

PEGMATIS VENERIS VICTRICIS AD TRIVIVM ACCVRATA DESCRIPTIO.

HISPANICVM arcum transgressis occurrit pegma longè venustissimum reip. sumtu factum, pedes altum sexaginta, latum triginta, profundum duodecim. Veneri victrici dedicatum erat opus, quo nomine veteres tam Græci qui νικηφόρον appellabant, quam Romani coluerunt illam diuam, vt ex Varrone, Plutarcho, Pausania, non vno loco Plinij, Iulij Cæs. numismatis, antiquitatis studiosi obseruarunt. Nos Isabellam ceu certam in manu habentem victoriam sub huius Veneris nomine intelligimus. Et quemadmodum à Gratiis excepta fertur Venus, sic nos Principis aduentum bonis propitium fore ominamur. In summo operis fastigio acuminato Cupido cum cithara delphino insidebat, vt ex numo Cordiæ gentis Fuluius Vrsinus notat in Famil. Rom. Volatiles sub epistylio in palmę frondibus victoriæ typo ἔρωτες omnia pacata ac placida fore spondent. Medianum in zophoro emblema Amicitiæ, quæ myrto coronata nudo pectore cor ostendebat, cum notis:

LONGE ET PROPE.

Nulla enim vel longinquitas vel fortunæ mutabilitas veri amici mutat animum. Pro inferioris scenæ emblemate à latere scilicet Concordia erat picta, pateram tenens & in ea malum Punicum, cornucopiæ sinistra cui insidet cornix, cum his verbis:

Velle ac nolle ambobus idem.

Super stylobata Genius bonus, vt puer capillatus, platano coronatus, manu anguem stringens ex antiquis numismatis, cum hoc vaticinio:

Belgicus Austriaca nascetur origine Princeps.

In quadrata quæ sequitur tabula dij ad nuptias Harmionæ dona ferunt ex Pausan. in Lacon. addito versu:

Eugenia cumulant thalamum pia numina donis.

In medio Fœcunditas ceu matrona sedebat, sinapi floribus coronata, gallinam gremio fouens pullos excludentem cum lepore ad pedes, & verbis asscriptis:

Tantus amor prolis.

Tabula sequenti Salutis simulacrum in solio exprimitur pharetram dextra, aram tangens sinistra serpente circumplicatam:

Non aliunde salus.

Super altero stylobata ramus mali cydonij pictus ex Solonis instituto iuxta Plutarchum cum cœlibari hasta ex Festo, aqua & igni appositis, ex variis auctoribus, qui à Dionysio Gothofredo allegantur ad L. Seia. ff. de donat. inter vir. & vxor. asscriptisque numeris IV. VI. IX. quæ omnia ad antiquos nuptiarum ritus pertinere non ignorant, qui eiusmodi studio operam impenderunt; his multa addi possent ex commentariis nostris si esset huius instituti. De numeris ita tradit Claudius Ptolemæi in epistolis Italicis quas scripsit eleganter lib. III. eos symbolum esse mysticum coniunctionis mariti & vxoris, amoris vinculo alligatæ. Quaternarius enim quadratus primus est numerus, qui ex radice in se ipsa multiplicata binario scilicet nascitur: Nouenarius numerus secundus est quadratus, originem ducens à ternario in se multiplicato. Senarius è radicibus horum duorum quadratorum oritur, & est æquâ symmetriâ inter vtrumque medius & colligans. Si enim binarium & ternarium sumas, qui sunt radices vtriusque, eosque in se multiplices, senarium constitues, qui inter quaternarium & nouenarium est medius proportione sesquialtera, quaternarium dimidio superans, pariq; symmetria à nouenario superatus. Duo igitur numeri quadrati maritum & vxorem denotant, senarius amoris quo colligantur vinculum. Ceterùm numeri quadrati, vtpote firmi & stabiles, ad connubij firmitatem exprimendam sumti sunt. Hactenus Claudius Ptolemæi.

Vltimum in latere Iunonis erat emblema cum cingulo, vnde Cinxia fuit dicta, & nodo Hercula-



PEGMA VENERIS VICTRICIS.

Herculano, aſtantibus quinque facibus nuptialibus, vt opinor, cuius numeri rationem lector videat apud Plutarchum in Romanis quæſtionib. aſſcriptæque erant litteræ V. T. C.E.C. vbi tu Caius ego Caia, quæ omnia ad ritus connubiales ſpectant, cum Maronis hemiſtichio:

Pulchra faciam te prole parentem.

Perſonæ verò dramatis Venus erat cum victoria in manu, ſcita vultu & amictu puella, marinæ conchæ inſidens, quam delphines bini ad litus protrahebant; cum duobus pueris tam concinnè perſonatis vt nudi viderentur, Iocus erat & Cupido. Suada Veneri coronam imponebat, quod ſumſimus è Pauſan. Eliacorum primo. Charites adducebat Mercurius, quæ eam exciperent ex arcanis veterum poëtarum myſteriis. Veſtitas exhibuimus Gratias, quas tamen nudas exſtare paſſim vidimus, non publicæ modò honeſtatis cauſa, ſed & auctoritate Diog. Laërtij, quem in vita Socratis de veſtitis in arce Athenienſi Gratiis mentionem facere legimus.

Media in faſtigio inſcriptio ſub Veneris perſona Iſabellam alloquitur:

Æui deliciæ, decus & præſtantia noſtri,
Dotalis columen gentis & orbis amor.
Aſpice res vultu noſtras, Cytherea, benigno,
Belgica quæ magni ſceptra parentis habes.
Diua fac vt poſito miteſcant ſecula ferro,
Diſſona fœderibus pectora iunge tuis.

Ad eandem ſpectabat dextri lateris hexaſtichon, triplici eius nomine ad trium Gratiarum Græca nomina alludens:

Iure tibi genitor tria nominis indidit vni
Omina, numinibus ſignificata tribus.
Nempe quibus flores meritis, Iſabella, Thalia es,
Clara quod Aglaia eſt, Eugenia Euphroſyne.
Felices populos triplici ſub numine Belgas,
Quos vno imperio Gratia trina reget.

Siniſtri lateris epigramma ad dramatis perſonas attinebat:

Et Charitum ductor, Suadelaq́, mater Amorum,
Et puer hic conchâ vectus, & ille tuâ.
Quid de te iubeas Belgas ſperare loquuntur,
Quæq́ ſit imperij forma futura docent.
Obſequio blandi noſtro vincentur Amores,
Suada miniſterio, cetera dona fide.

PAVCIS inde paſſibus marinæ ex cetaceo genere belluæ inſidebat Arion ex arte citharam pulſans, commodo ad triuium loco poſitus, vt Principum oculi aliquo ſemper ſpectaculo paſcerentur; quemadmodum in tota vſque ad palatium triumphali via fuit obſeruatum. Quæ ibi eſſent partes Methymnei citharœdi hoc tetraſtichon explanabat:

Delphino vehitur puppi deiectus Arion,
Et fera facundum pectora mulcet ebur.
Connubij auſpiciis Iſabellæ bellua belli
Flectetur modulis ſic, Hymenæe, tuis.

ARCVS TRIVMPHALIS NATIONIS LVSITANICÆ.

VIAM Coriariam exornarant Lusitani insigni certè machina, si operis nitorem & picturæ sensusque spectemus dignitatem. Altitudo ad pedes septuaginta & octo sublimis assurgebat, latitudo quinquaginta & octo continebat, viginti quinque profunditas. Distinguebatur tribus eleuationibus, in summo fastigio ingens statua erat posita, Prouidentiæ diuinæ, hastam læua tenens, sceptrum dextra cum mundo ad pedes cui insidet aquila; basi eius inscriptum erat carmen:

Numina prospiciunt humanis prouida rebus.

Quadrata sub eius pedibus tabula Abundantiam siue Opulentiam denotabat habitu magnifico gemmisque excultissimam, astantem ædibus splendidissimis: comites erant ex vna parte Gloria, forma nymphæ aligeræ, cum genio cornu Amaltheæ tenente. Ab altera parte Luxus, Comi dei habitu ex Philostrato depictus: sequitur Ferocitas, equino pullo insidens puella, effreni scilicet; Contemptus quoque legum specie adolescentis leges ac sceptra pedibus calcantis. Temeritas designata per Gigantes qui montibus superimpositis bellum diis inferunt, hinc Bellum sequitur suo more pictum, deinde Paupertas cum Pœnitentia. Hæc etenim diuinæ prouidentiæ sunt opera, quibus admonemur ad colendum assiduè Deum, Principes legesque perpetuò obseruandos. Sensum mysticum inscriptio declarabat:

MORTALIBVS DVLCI FORTVNA EBRIIS, LVXV DIFFLVENTIBVS, AC LEGES CONTEMNENTIBVS DIVINA PRÆSTO EST PROVIDENTIA, BELLOQVE IMMISSO AD INOPIAM REDACTOS SORTIS SVÆ ADMONET.

Eadem igitur Prouidentia rebus nostris consulit quod per grandem tabulam infrà declaratur, translato per Hymenæi manus ad Isabellam & Albertum sceptro, qui euersam prouinciam breui restituent, accedente ex altera parte Indulgentia. In quadrata magna tabula secundæ eleuationis Iuno erat depicta currui insidens, cui bini pauones, totidem erant iuncti struthiones, volucres sacræ huic diuæ, vt ex fabulis poëticis & numismatis didicimus. Comites habebat bis septem præstanti corpore nymphas. Ipsa sceptrum tradit Hymenæo, qui illud recipit, læua Isabellæ & Alberti manus complectens, iis mox tradendum. Ad pedes Hymenæi quatuor eius genij, hic cum facula Cupidinis, ille cum flammeo lutei coloris, duo nuces sparsas colligunt, quæ ad notum nuptiarum ritum spectant. Sub tabula inscriptio & machinæ dedicatio huiusmodi legebatur:

OB AVSPICATISSIMAS ALBERTI ET ISABELLÆ FELICISSIMORVM PRINCIPVM, ET RARI EXEMPLI CONIVGVM NVPTIAS, EORVMQVE EXOPTATAM IN BELGIO PRÆSENTIAM, LVSITANI, PVBLICÆ GRATVLATIONIS ET OBSERVANTIÆ TESTIMONIVM EREXERVNT.

Spatium eiusdem eleuationis, quod inter hanc tabulam & obeliscum erat medium, solidæ magnæque statuæ occupabant. Atlantis erat vna cælestem circuli Antarctici globum humeris sustinens, & Philippi II. Regis terrarum orbem cum filia diuidentis personam repræsentans, vt ex ascripto carmine colligitur:

Cælifer impositos prudenter diuidit axes,
Vt melius gestetur onus quod sustinet vnus.

Ex altero latere Calypso eius filia poli Arctici sphæram eodem schemate sustentabat, hoc sensu:

Fasce sacros humeros Atlantis nata Calypso
Subleuat, ô geminis benè fultum postibus orbem!

f Dextrum




LVSITANORVM

Dextrum ſub Atlante intercolumnium in ſcapha excipiebat Securitatis ſtatuam cum nauis gubernaculo columnæ brachio innixam, aſſcriptis verbis:

Securius æuum

Degimus auſpiciis diuûm.

Cui ex altero latere reſpondebat Perpetuitas cum hoc populi Belgici voto:

Propria hæc ſint munera nobis.

Iſabella ſcilicet eiuſque perpetuò regnatura progenies. Proprium enim pro diuturno auctores vſurpaſſe tradit Nonius & Grammatici. Depicta ad huius ſtatuæ latus Immortalitas viam coartabat; aligera erat nympha regium dextra tenens diadema, iacentibus ad pedes armorum ſpoliis librisque, aſſcriptis notis:

Virtuti mortis adempta eſt

Conditio.

Eodem modo ſociam habebat Securitas Felicitatem, cum caduceo & Amaltheæ cornu, Flaccique verſiculo:

Nutrit rura Ceres almaq; fauſtitas.

In ſex columnarum huius frontiſpicij ſtylobatis Doricis picta erant, cum ſuis ſignificatis emblemata,

Fama volans:

CÆLESTIA TENTAT.

Leo agnum ſub vnguibus habens, ſolituſque:

PARCERE SVBIECTIS.

Virgo cælo miſſa cum oleæ ramo:

ITERVM TERRAS ASTRÆA REVISIT.

Mercurio in quadriuio ſtanti:

FATA VIAM OSTENDVNT.

Ante templum excubat inſomnis draco:

VIGILANTIA ET CVSTODIA.

Nauis tempeſtate iactata ad Pharum appulſa:

MEMINISSE IVVABIT.

PARS

PARS POSTERIOR ARCVS LVSITANORVM.

POSTERIVS machinæ frontiſpicium pari architectura & elegantia, in ſummo habebat ſtatuam Indulgentiam, Dei & Philippi ſingulare beneficium quod experiemur, cùm vt aſſcriptum eſt,

Cladis & armorum dabit Indulgentia finem.

Hoc etiam pictæ ibi tabulæ ſenſus ſperare nos iubebat, actu quodammodo in orbem redeunte. Etenim Paupertatis, quæ præcipuam in hac tabula perſonam ſuſtinebat, comites erant Patientia & Modeſtia ſeu Humilitas, cum fracto in manu corde. Pax eam ſequebatur, ex qua Felicitas & Vbertas oritur, quas ex hac dotali reſignatione infelix modò Belgica ſequuturas confidit, quod inſcriptio confirmabat:

DEVS INSTAR BONI PATRIS HOMINIBVS POENAS OB DELICTA SVA PATIENTER FERENTIBVS AC RESIPISCENTIBVS CLEMENTER INDVLGET, AC PACIS BENEFICIO PRISTINVM SPLENDOREM FELICITATEMQVE REDDIT.

Ingentis ac præcipuæ in ſecunda hac eleuatione tabulæ ſenſus erat huiuſmodi: Ante Regem Philippum in ſolio ſedentem duę prægrandes vrnæ ſtabant, ad Homerici figmẽti Iliad. lib. vltimo, de duobus Iouis doliis imitationem; quarum vnam operculo clauſtróque obſignatam pede ſuo calcabat, ex altera quæ aperta erat Genius alatus velut ſortes educebat ſphęricâ nempe formâ, vnam autem tertia circiter parte mutilam, aſtanti à dextra Hiſpaniæ porrigebat, aſſidente in ſuo ſolio Philippo Rege III. Reliquam verò partem nymphæ tradebat Belgicam referenti, penes quam in ſolio ſedebat Iſabella, quæ per ſubſcriptos verſus explicabantur:

Magne Philippe, ſuas de cælo Jupiter vrnas
Miſit, & humanas ſortes tibi credidit vni.
At mala tu vinclis, & noxia carcere frenas,
Muneribusq́, tuum cumulas & dotibus orbem,
Ætheriumq́, Jouem meritis & laudibus æquas.

Porrò interſtitium quod inter hanc tabulam & prægrandem obeliſcum vacuum aliàs fuiſſet, concinnè explebat Neptuni equeſtris ſtatua. Hoc enim ſchemate antiquitus coli ſolet ἵππιος ποντομέδων ἄναξ, vt ex Æſchylo, Sophocle, Pauſania, Papinio, Val. Flacco, Feſto, aliiſque obſeruauimus, cum hac etiam ad Principem apoſtrophe:

Et frena ſecundæ
Sortis habes.

Quo ſubſcriptum Ideæ matris ſtatuæ leoni in eadem eleuatione ad læuam inſidentis ſpectabat elogium:

Terrarum haud infima ſors eſt
Quam capis.

In inferioribus intercolumniis ſtatuæ erant poſitæ, hinc Liberalitas cum copiæcornu, & ſigno congiarij vt in numis vidimus, inde Pietas cum ciconia, huic erat aſſcriptum:

Ætherij Jouis exemplo qui largus in omnes.

Illi verò ſic:

Sola deos æquat clementia nobis.


Stylobatarum quoque ſex emblemata erant huiuſmodi: Caſtor & Pollux equites cum ſtellis in capite,

Tumida æquora placant.

Per manus ſe mutuo cum cornu Amaltheæ complectentes ſignificabatur:

FELICITAS EX CONCORDIA.


CLADIS
DEVS INST
MAGNE PRI
POSTERIVS FRONTISPICTV


ARCVS LVSITANOR.

Symbolum aquilæ pullos aduerſo ſoli exponentis denotabat quòd,

FORTES CREANTVR FORTIBVS.

Ægyptia fera oryx exortum ſidus venerabunda intuetur, iuxta Plin. lib. 2. cap. 40. & ibi legitur:

VENISTI TANDEM.

Cupidines Martem armis exuunt:

MARS CEDAT AMORI.

Sol occiduus nubes fugans:

AB OCCASV SERENAT.

Vtrinque duæ nymphæ depictæ hæc Beneuolentiam candido habitu cum ſerto liliaceo, aſtante & blandiente cane, verbiſque aſſcriptis denotabat:

Benefacta benigni
Sunt animi.

Æquitas cum lyra & cornu copiæ ſic iudicem admonebat:

Ad normam iuris & æqui
Exerce imperium.

Interior in tranſitu & lacunari ornatus non minus erat lepidus, quàm ad res nationis Luſitanicæ comparatus. Vtrunque enim latus in quatuor iuſtæ magnitudinis tabulas commodè diſtinguebatur. Ad dextram Luſus Liberi patris filius, vel vt alij Sicelei regis, thyrſum manu tenens, cum Lyſa inter ſe bacchantes Luſitaniæ nomen indunt, verſu ſubſcripto:

Luſi nomen habet regnum, ſed dona Lyæi.

Vlyſſes in errore ſuo ad Hiſpaniã delatus Olyſſipponem cõdit, eo carmen hoc ſpectat:

Æquor opes vrbi, populo fundator Vlyſſes
Ingenij monimenta ſui ſedesq; reliquit.

Viriatus Luſitanus è paſtore venator, è venatore iuſti exercitus dux factus vniuerſam Luſitaniam occupauit, copias Romanorum fudit:

Magnus eras, Viriate, virum ſenſere Quirites,
Vidit, & Hiſpanis inuidit Roma triumphis.

Auguſtus coloniam Emeritam deduci curat, ad quod alludebant hi verſus:

Non mirum eſt animos ſi gens Luſitana feroces
Geſtat, ab Emeritis didicit nam bella colonis.

In tranſitu arcus ad læuam, duo reges Gothici capillati cum amictu Gothico ex aſſcriptis verbis cognoſcebantur:

RECCESVINTHI ET EGIGÆ INTER GOTHICOS REGES
CELEBRIS APVD LVSITANOS MEMORIA.

Sumpſimus ex Antonij Auguſtini Archiep. Tarracon. quē de numiſmatis ſcribit libro.
Rex Ioannes I. Ceptam capit in Africa, & colonias Luſitanorũ deducit, ſubſcribitur:

ABYLA EXPVGNATA IOANNES I. LVSITANIÆ REX VLTRA
HERCVLEI LABORIS METAS IN AFRICAM COLONIAS CVM
RELIGIONE CHRISTIANA DVXIT.

Rex Emanuel magnanimus Indicam expeditionem ſuſcipit:

Auſus es ignotos inquirere puppibus orbes
Emanuel, regnumq; nouis augere trophæis.

Ioannes IV. Brabantiæ Dux de Luſitanis benè meritus, vt inſcriptio fidem facit:

OB INSIGNIA PRIVILEGIA A IOANNE IV.
BRABANTIÆ DVCE LVSITANIS CONCESSA,
GRATAM EIVS MEMORIAM EADEM NATIO
VENERATVR.

Infrà

Infra vtrinque picta erant hæc emblemata; Tagus fluuius cum Oceano fœdus init, aureis arenis ex vrna profluentibus:

Alio ſub ſole remotas
Oceanus promittit opes.

Promontorium Bonæ ſpei in virginem deſinente ſummo cacumine, quæ anchoram penes ſe habet, nauibus ad id appellentibus noſcitur:

Ingentibus auſis
Spes animos vireſq; parat.

India forma muliebri fuſca, gemmis & margaritis cultiſſima, tigridi inſidens, circulum meridianum manu tenet cum circino aſtronomico. Aſtant duo Æthiopes alter vmbellam ſupra caput eius tendit, flabello alter ventum ei facit, aſſcripto verſu:

Sua dona per omnes
India partitur Luſitana munere gentis.

Braſilia erinaceum Braſilianum calcans Zodiacum intuetur: aſtant vir & femina auium plumis ſuo more culti:

Terrarum haud vltima Thule eſt.

Lacunare ſpectatores magnopere oblectabat ſenſu non illepido; à Cytherea, quam ἁλιγενῆ finxerunt poëtæ, cuius rationem Plutarchus reddit Sympoſ. lib. 5. pyxidem nauticam accipit Vaſcus Gama, primus Indicæ claſſis præfectus.

A Marte clypeum cum haſta Paciecus, Indiarum acerrimus defenſor. A Ioue ſceptro donatur Franciſcus de Almeida prorex. Ab Hercule clauam ſumit Alfonſus Albuquercius imperij Indici fundator.

THEATRVM VERSATILE CIVITATIS IVSSV POSITVM.

Ex arcu Luſitanico in conſpectu fuit theatrali forma materiata moles, quam ad pontem marinum ciuitas erexerat. Diametrus operis quod rotũdum erat, quadraginta pedum latitudinẽ complectitur, eius ambitus exterior pedibus ſublimis ſexaginta, machinam in ſe verſatilem includit pari altitudine, ſex gradationibus coaſſatis ad inſtar Mauſolei Auguſti, cuius antiqua exſtat deſignatio, gracileſcentem, ac commodas perſonis ſeſſiones præbentem. Duæ theatridij verſatilis erant facies, hæc inſtrata panno rubro per dramatis perſonas truculentas & horribiles, ac Panici terroris plenas, præſentem infelicis Belgij ſtatum perpeſſionemque ob oculos ponebat: illa viridi panno ac vultu ſenſuque lætioribus perſonis, quæ Principibus ad molem propius accedentibus machinâ latenti artificio circumductâ, prioribus cum mole ſenſim retrocedentibus, in aſpectum veniebat, votis noſtris blandiebatur.

Bicolor ſimiliter ex rubro & viridi ſummus orbis erat globus, ſub quo in priori machinæ hemicyclo perſonæ tres ſedebant:

Bellona galeata cum capillis paſſis & ſanguinolentis, flagellum dextra, clypeum læua tenebat; in quo depictus lupus.

Furor vir armatus vultu minaci formidabilis, ſtringebat enſem dextra, ſcutum læua, in quo depictus leo, vt eum deſcribit in Emblematis Alciatus.

Cædes mulier veſte induta coloris ferruginei, brachia vtrique lateri applicans, vt rixoſæ ſolent mulierculæ, anſatum hunc geſtum cum Plauto vocemus, cadauera in ſanguine prouoluta intuetur, in orbiculari ſcuto depicta.

In ſecunda gradatione ſedebat Diſcordia veſte amicta ex ſerico varij coloris conſuta, igniarium cũ ſilice manu tenens, & eliciens ignis ſemina, quod ei tribuit Lud. Arioſtus, pedes reti implicatos habens, vt ab Ariſtide deſcribitur.

Erinnys furiæ more perſonata cũ ſerpentibus capillo implexis, & igniuomo dracone.

Ira vultu & veſte rubicunda gladium dextra, faculam ſtringit læua: caſſidi eius vrſus inſidet, iræ ſymbolum iuxta Pierium.


NOS PATRIAM
QVOD VEL DVCTV.
EMA THEAT


VEL QVOD
ADMIRABILI.
I VERSATILIS.

Seditio quernam è capire coronam disrumpebat, vtraque deinde manu pugionem arripiebat, inter canem & felem sedens.

Tertiæ sessionis personæ; Pugna veste maculosa, serpente cincta tubam inflabat, & in ea flammam.

Rapina pelle lupina vestiebatur, aptato lupi ad caput eius rictu, dextra pugionem, bulgam læua tenens.

Hostilitas capillis passis mulier vrticarum dextra manipulum, sinistra habẽs basiliscũ.

Capriuitas manus pedesque catenis vincta mulier.

Crudeliras armata cum tigri in casside, dextra gladium, humanum caput læua crinibus arreptum tenens, à recenti rruncarione adhuc sanguinolentum.

Calamitas amictu pullo mulier cannæ innixa, spicarũ ruptarũ fascem brachio tenens.

Quartam gradationem occupabat; Vastiras flauo & rubro amictu culta, in scuto ouato incendia prædiorum, & perfossis aggeribus inundationes pictæ.

Orbitas truci vultu mulier gladium strictum dextra tenens, infantem nudum pede prehensum velut dissectura.

Aduersitas gilui coloris amictu inuersum cornu Amaltheę dextra, coruũ læua tenens.

Caritas annonæ mulier macilenra, sordidè amicta, salicis ramum dextra, pumicem tenebat sinistra, astante ei vacca macilenra è ligno dedolata.

Fames macie tabida mulier in cespitem gramineum morsura videbatur.

Exactio persona manus vncas habẽs, quibus lupũ mulcet, manu loculos tenẽs ligatos.

Error adolescens in scuto pictum virum habebat peregrinantis habitu, oculis obuolutis, baculo viam quærentis in quadriuio.

Fraus bifrons femina, hinc virgo, inde anus, manipulum florum dextra tenet, ex quo se exserit coluber.

Sessionis quintæ personæ; Impietas hippopotamum vna, altera facem tenens qua pelecani (sequimur vulgi iudicium) cum pullis nidum incendit.

Miseria virgo scutum tenens, in quo femina nuda est picta, stramineo insidens fasciculo, lambentibus crura eius canibus.

Necessitas femina malleum dextra, clauorum læua manipulum tenens.

Simultas armata cum stricto ense inter scorpium marinum & crocodilum sedens.

Perturbatio vario amictu femina cum folle in manu.

Anxietas mulier lupum auribus tenens.

Captiuitas femina passis capillis discalceata, cum seruili ad collum vnco & compedibus vincta.

Exsilium forma viri colore amicti cinereo, scutum tenentis cum notis inscriptis; NOS PATRIAM FVGIMVS.

Terror vir capite leonino personatus, flagellum manu renens.

Sexti & infimi subsellij personæ.

Timor vir senex pelle amictus ceruina, leporem penes se habens, ad pedes alas.

Tribulatio virgo cor humanum super incude malleo percutiens.

Lacrymatio capillis passis virgo de quibus sertum ex apio detrahit, fruticem fabæ cum floribus tenens cui insidet hirundo.

Paupertas mulier lacera veste stramentis insidet, vinctis manibus pedibusque, nodum dentibus soluere tentans.

Querimonia femina manibus brachiisque complicatis, cum bubone capiti insidente.

Vindicta virgo armata pugionem stringens dextra, indicem digitum læuæ mordens, astante saucio leone dedolato.

Tristiria mulier pectus aperiens cor suum intuetur serpentibus inuolutum.

Dolor vir seminudus, vinctus catenis, serpente cinctus qui latus eius rodit, facem penes se habens exstinctam, sed adhuc fumidam, absynthij in manu ramum.

Molestia virgo reti inuoluta spinarum fasciculum nudis pedibus calcans.

Luctus veste lugubri personatus adolescens.

MOLIS

MOLIS VERSATILIS ALTERA FACIES.

ACCEDENTIBVS ad eum locum Principibus machinâ ſenſim circumactâ in ſcena apparuerunt ſequentes perſonæ ſiue præcedentium affectuum antitheta, â ſummo ſedili hac ſerie collocata.

Pax habitu candido lepida virguncula, oleæ ramum dextra tenens, læua faculam qua armorum ſtruem incendit.

Securitas virgo clauæ Herculis dextra innitens.

Victoria incruenta, virgo malum punicum dextrâ, caſsidē cum caduceo habens læuâ.

In altera gradatione ſedebant:

Vnanimitas cum faſciculo iaculorum colligato, ac duobus Amaltheæ cornibus inter ſe implexis, quibus inſidet cornix.

Tranquillitas virgo ſcutum tenens, & in eo depictam nauem fluctuantem, in cuius malo flamma apparet, nidi halcyonis in mediis fluctibus.

Manſuetudo virgo coronata oleæ ramo cum oliuis, agnum candidum attrectans.

Placabilitas virgo dextrâ lupum & agnum ſub vno iugo ligatos tenens, ramum oleæ ſiniſtrâ.

Tertiæ ſeſsionis ſequentes perſonæ:

Induciæ per virginem denotantur caduceum habentem, duaſque manus ſeſe complectentes.

Poſſeſsio tuta, virgo cum prædio ruſtico in capite ſerti loco, cubito innixa.

Reconciliatio cum palma, & ſcuto in quo depicta ara ſuper qua manus cum caduceo iunctæ.

Redemtio ſerto querno coronata, columbam candidam tenens ligatam, quam Principibus ante theatrum conſiſtentibus nodo ſoluto liberam emittebat.

Benignitas amictu cæruleo cum ſtellis aureis, vtraq; manu è mammillis lac exprimens.

Fauſtitas virgo icunculam tenens auream, Pluti nimirum diuitiarum dei, cornucopiæ ſiniſtrâ.

Quartæ gradationis perſonæ:

Frequentia virgo ſerto coronata formicis pleno, papauera manu tenens.

Polypedia tres apud ſe infantes habebat.

Proſperitas virgo opida & regiones reti attrahens.

Abundantia veſte aurea amicta, vtramque manum fiſcellę admouens ſpicis aliíſque frugibus plenæ.

Saturitas virgo capram mulgens diſtenta habentem lacte vbera, cum patera in manu.

Liberalitas è cornu numorum copiam fundens.

Veritas malum Perſicum pectori admouens cum vnico folio, cōſentientis linguę cum animo typum, atenarium læuâ horologium, quia temporis eſt filia.

Candor adoleſcens liliaceo ſerto coronatus, lilium manu candidum tenens.

In quinta gradatione ſedebant:

Pietas alata cum flamma ſupra caput, aſtante ciconia.

Salus virgo è patera aurea ſerpenti potum præbens, rotundæ aræ circumplicato.

Clementia acervum armorum pedibus calcans, oleæ innixa, de qua dependent faſces conſulares.

Hilaritas radiis aureis circundata, manu ſpeculum tenens.

Quies ſedens ſuper ſaxo cubico, manu habens perpendiculum.

Mens ſecura, virgo cor humanum habens, & in eo depictum catellum dormientem.

Libertas iugum fractum & pileum tenet.

Reditus in patriam adoleſcens cui canis ſubſiliens abblanditur.

Acclamatio in ſcuto oblongo deſcripta habens hæc verba aureis characteribus: ALBERTE ET ISABELLA DEVS VOS NOBIS DEDIT, DEVS VOS SERVET.


ALBERTE ET ISABELLA DEVS VOS NOBIS DEDIT
QVOD VEL DVCTV
THEATRI VERSATI



FACIES ALTERA.

Inferioris subsellij personæ erant huiusmodi:

Fiducia dextrâ hastæ innixa, aram læuâ tangens, cui inscripta sunt hæc nomina, ALBERTVS, ISABELLA.

Exsultatio alata serto myrteo coronata, lyram manu tenens.

Risus lepidus puer, cum floribus in varij coloris amictu, plumis versicoloribus coronatus, cum ridicula in manu larua.

Opulentia vasis auro argentoque plenis ac monilibus circumdata, sceptrum tenens, astante pecude lanigera.

Plausus adolescens manibus sursum eleuatis, crotalo siue crepitaculo cum æneis annulis tinnitum faciens.

Indulgentia vlmo nixa, quam vitis ambit cum vuis.

Lætitia cum depictis in candida veste floribus, vas crystallinum tenens vino heluolo plenum, pateram auream læuâ.

Gaudium viridi veste cum florido serto thyrsum tenens.

Lubentia candido amictu & flauo succincta, brachiis nudis, pedibus alatis, dextrâ malum aureum, sinistrâ manipulum florum habens, in pectore monile.

Festiuitas virguncula cum cithara & musicis instrumentis.

Non fuit exigua spectatorum acclamatio, votis suis blandientium ad hanc scenæ conuersionem, meliorisque ominis personatum aspectum.

Sed qui tum clamores erunt, cùm, bello confecto, re ipsa experientur, quod nunc sola cogitatione percipiunt? Non minores existimo vociferationes fore communis gaudij testes, quàm cùm veterem statum Græciæ restitüeret Quinctius Flamininus in solemni Græcorum conuentu. Vbi enim per præconem eos sine præsidiis liberos esse iussit, vt legibus viuerent suis, inopinato gaudio homines perculsi primò obticuerunt, iterata verò præconis voce tanto cælum clamore impleuerunt, vt corui fortuitò superuolantes in stadium deciderent, vt tradit in Flaminino Plutarchus; additque rationem, tanta nimirum vocum collisione aërem quo se suspendunt alites dissipante vel contorquente, velut attonitos & vertiginosos corruisse. Eadem tradit Val. Max. lib. 4. cap. 8. Nos eandem historiam emblematis loco theatri proscenio pictoris manu adumbrandam, nostra inscriptione explicandam duximus:

T. QVINCTIO FLAMININO GRÆCIS LIBERTATEM
RESTITVENTE, TANTVS CVM PLAVSV CLAMOR
EST EXORTVS, VT CORVI FORTVITO SVPERVOLANTES
IN STADIVM DECIDERINT.

Quo autem spectaret totius scenæ actus, ex asscripto vtrinque sensu erat perspicuum, sic enim ad dextram emblematis legebatur:

QVOD VEL DVCTV ET AVSPICIIS ALBERTI
ET ISABELLÆ PRINCIPVM NOSTRORVM
FELICISSIMORVM, PRÆSENTIA SVA SVVM BELLVM
ADMINISTRANTIVM, HOSTIBVS FVSIS, DELETIS
FVGATISQVE, PROVINCIIS DEDITIS ET RECEPTIS,
TETERRIMI BELLI ACERBISSIMIQVE RELIQVIIS
CONFECTIS, CALAMITATI PVBLICÆ FINIS IMPONETVR.

Ex altero verò latere ita erat exaratum:

VEL QVOD ADMIRABILI EORVNDEM CLEMENTIA,
QVÆ GRATIOR EST OPERIBVS ARTIS IMPERATORIÆ,
POPVLIS QVI A REP. DEFECERVNT FACTA AD
SANITATEM REDEVNDI POTESTATE: IPSISQVE
NE PERICVLO PERPETVO SE ALLIGENT FVNDAMENTO
NON PERPETVO, SE NON VIRIBVS PRINCIPVM
CLEMENTISSIMORVM (NE VELVT COTE QVADAM
VIRTVTIS SVÆ FERRVM IN ILLIS DEBELLANDIS

ACVERE COGANTVR) SED FIDEI COMMITTENTIBVS:
AC SVPERIORVM TEMPORVM INDIGNATIONEM
OMNEM IVDICII POTIVS VTILITATISQVE AC DAMNI
PVBLICI RATIONE, QVAM VIRIVM SVARVM
CONFIDENTIA METIENTIBVS,
PACE TERRA MARIQVE PARTA
STATVS REIP. EX BELLO DIVTVRNO CALAMITOSISSIMVS
ET LVCTVOSISSIMVS IN PROSPERVM, PRISTINVM,
AC FLORENTEM CONVERTETVR ET RESTITVETVR,
S. P. Q. A.
HANC MOLEM VERSATILEM ÆTERNÆ MEMORIÆ
L. M. CONSECRAVIT.

In appenſa theatro tabella legebatur hoc carmen chronographicum cum anagrammate & duplici acroſtichide :

ALBERTVS ET ISABELLA AVSTRIACI CONIVGES.

Anagramma.

AVREA SATVRNI BELGIS CITO SECVLA LABI.

A *Vrea SatVrnI* BeL*gIs* CI*to ſe*CVL*a Lab* I
L*atáq*V*e Conſp*ICI*es reno*V*ar*I I*nga*V*dla f*L*et* VS
B *eLgIa gradIVVs Vadens ad barbara regn* A
E X*torréſq*V*e f*V*gIt gentes regIonIs & A*C*ha* B
R *VrI CoLas, abe*V*nt f*V*rIæ, fra*V*s, Ira, f*V*rórq*V E
T *Vta q*VI*es reſta*V*rat agros, Aſtræa trIb*V*na* L
V *era fides aras*, VI*rt*V*s redIt ha*C*ten*V*s e*XV L
SIC *beat* AV*ſtrIa*CV*s* BeL*gas tor*V*s & no*V*a tæd*A

Iudoci de VVeert hoc carmen erat vrbis Penſionarij, ne quem honore ſibi debito fraudemus.

MOLES TRIVMPHALIS NATIONIS GENVENSIVM.

VLTERIVS procedentibus tranſeunda fuit ſumtuoſa moles ac Romanæ in ſtructuris magnificentiæ æmula, à Genuenſibus Antuerpiæ negotiantibus pro nationis amplitudine poſita. Hæc à vico D. Claræ totam eam viam, qua nulla eſt in vrbe ſpatioſior, ita obſtruebat, vt ſolus per arcum triumphalem eſſet tranſitus; latitudo centum pedibus conſtabat. Templa vtrinque duo curuatis porticibus ita arcui iungebantur, vt anterior molis facies hemicyclum efficeret. Structura vniuerſa Corinthij erat ordinis marmori ſimilis è Carrarienſibus latomiis cæſo, pedes ſublimis ſexaginta. Dextri lateris templum Pietati eſt dedicatum, eiuſque ſimulacrum in medio collocatum eo ſchemate quo in numis cernitur. Pro deo Pietatem coluit antiquitas, vt ex Liuio, Val. Max. Plinio, Feſtoque edocemur. Neque alia eſt virtus quæ magis Principes decet: homines enim ad Deum nulla re propius accedunt, quàm ſalute hominibus danda. Vnde fit vt imperium quod copiis opibuſque teneri vix poteſt, hoc Principum manſuetudine, ſubditorum fidelitate retineatur. Baſi cui impoſita erat ſtatua, ſic inſcribebatur:

PIETATI ALBERTI ET ISABELLÆ
SACRVM.

Porticus eius lateris pari columnarum cum templo magnitudine, tribus ingentibus tabulis ornabatur, ab ipſo lacunari ad ſtylobatas vſque pertingentibus. In primo pictus


SERENISS
PRINCIPIS
TRIVMPHALIS MACH


S.
BVS.
INA GENVENSIVM.

erat æneI coloris monochromate Impetator Ferdinandus Ptinceps verè piiſſimus, cuius apud Italos ob tres filias Auguſtas, magno Hetrutiæ Duci, Mantuæ, Ferratiæque Ducibus elocatas, in ſumma veneratione eſt memoria. Pto eius emblemate ac manſuetudinis hieroglyphico depictus erat elephas, qui per medium pecudum gregem tranſiens, obuias proboſcide leniter dimouet, ne quam obterat imprudens, cum aſſcripto verſiculo:

Poſſe eſt fortunæ, naturæ eſt velle benignæ.

Nihil enim Principum fortuna maius habet, quàm vt poſſint, nec natura melius, quàm vt velint conſeruare quamplurimos.

Altera tabula pictum exhibebat Philippum I. Auſtriacum Hiſpaniæ Regem pulcherrimum, optimum, qui cum Ioannæ vxoris matrimonio Auſtriacam familiam, Hiſpaniæ ptimus iunxit. Pto eius emblemate triſulcum Iouis fulmen ſuper molli lectulo quieſcebat, circumuolitantibus aliquot Cupidinibus, ac ſubducto conopeo quid in toro cubaret curioſè inſpectantibus, cum aſſcripto Philippi Macedonis ex Plutatcho apophthegmate:

THEATRVM GLORIÆ PVLCHERRIMVM CLEMENTIA.

Philippi Burgundi qui ob pietatem ſingularem Boni cognomentum meruit, tertia erat effigies, eiuſque infra ſymbolum à natura leonis ſumtum, qui proſtratum ſub vnguibus habens hominem ei tamen haud nocet:

Diis proximus ille eſt

Quem ratio non ira mouet.

Lacunate picturâ ornatum erat, quam Groteſcam vocant Itali à Vitruuio improbatam lib. 7. cap. 5. vſu tamen receptam, nec minus commendatam, maximè ſi artificem egregium nacta fuerit. Supra porticum duæ ſtatuæ erant poſitæ, Clementiæ vna, vt in numo Adriani exſtat, haſtæ innixa pateram manu tenens, altera Manſuetudinis olea coronatæ, agnum prioribus pedibus arrectum manu demulcens.

Alterum templum eiuſdem cum priore architecturæ Concordiæ erat dedicatum, cuius ſtatua in medio collocata, columnæ innitens implicata tenebat duo cornua Amalthea, dextra malum Punicum habebat, ſumto ex antiquis numis ſymbolo, in baſi ſcriptum legebatur:

CONCORDIÆ ÆTERNÆ ISABELLÆ NVPTIIS PARTÆ SACRVM.

Porticus eodem otnamenti genere tribuſque heroum imaginibus decoratur. prima eſt Maximiliani II. Cæſaris Aug. Principis concordiæ paciſque amantiſſimi; quod deſignat eius ſymbolum, Genius nimirum humana corda bina catenâ colligata, ſerto liliaceo ſimul ſtringens, cum verſiculo:

Vincula concordes animos adamantina nectunt.

Sequebatur ordine Carolus V. Cæſar maximus, qui pro emblemate habebat Iani ſimulacrum, cum inſcriptione:

Ianum concordia cluſit,

Tam pietate tua, Cæſar, quàm parta triumphis.

Philippo II. Catholico Hiſpaniarum Indiarumque monatchæ potentiſſimo aſſcriptum legebatur:

Et pacem armatus amauit.

Facta ad emblema ſub pedibus eius pictum alluſione: duas enim viriles effigies, quarum vna togata, ſagata erat altera, ſuperuolans genius corolla decorabat. Amicitia ſuper porticum ſtabat myrto coronata, cum malo in manu Punico. Etenim hæ arbuſculæ ſe inuicem ita amant, vt procul poſitæ radices mutuò complicent, ideoque propinqua earum inſitio haud parum conducit ad feracitatem, vt ex naturalis hiſtoriæ ſcriptoribus in hieroglyphicis tradit Pierius. Altera erat Amneſtia, quæ cor humanum manu tenebat lorica indutum, quod illa armis exuit: ingrati enim iniuſtique eſt hominis, ait Cicero pro Marcello, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum.

Supra

ipra portam quatuor equi argentei, magnitudine viuis similes, cum suis equitibus rnebantur; in medio obeliscus, cui lucernæ sub noctem inclusæ, facta ad quatuor mun- i partes allusione: 230

Concordibus orbis habenis
Austriaca sub pace viget.

Adiacebant paulò inferius quatuor flumina Liguriæ, Varus, Macra, Merula, Rutuba. Super ambitu ex columellis statuæ erant positæ, in anteriori parte Reginæ Hispaniarum & Infantis serenissimæ, viri à tergo stabant: Intercolumnia ad portæ vtrinque latera exornabant muliebres effigies, hinc Hungariæ Reginæ Mariæ, quæ prudenter Belgium rexit viginti quinque annorum spatio: symbolum ei Prudentiæ asscripsimus mori arboris, quæ non vt aliæ spirante primùm aura leniore, sed vbi ad amœna adulti veris tempora peruentum sit, sua germina protrudit ne pruinâ lædantur, fructumque maturat quàm celerrimè, ne caloris aduentantis iniuriæ exponatur:

Ne frigus & æstus adurat.

Margarita Austriaca Parmæ & Placentiæ Dux ad læuam depicta, pro symbolo Temperantiæ genium habebat perpendiculum triangulare tenentem, ad cuius duos angulos extremos duo itidem lychni æquabiliter dependebant, hoc sensu:

NE DESIT NEC OBRVAT.

Operis dedicatio ex inscriptione aureis litteris exarata innotescebat:

SERENISSIMIS PRINCIPIB. ARCHID. FLORENTISSIMIS
ALBERTO ET ISABELLÆ,
PERPETVAM SVO ADVENTV CONCORDIAM PROMITTENTIB.
FELICISSIMVM VITÆ CVRSVM, REIQVE PVBLICÆ STATVM,
PARI OBSERVANTIA
QVA PRINCIPES AVSTRIACOS SEMPER COLVERVNT,
HAC MOLE TRIVMPHALI EXSTRVCTA GRATVLANTES
EXOPTANT GENVENSES.

Interior portæ ornatus Iani erat historia, Saturnum in Latium appulsum hospitio excipientis, eumque in regni partem recipientis, cùm ab eo colendi agri rationem edoctus esset: vt ex mysteriis antiquitatis eruit Macrob. Saturn. lib. primo: ad demonstrandum felicem illum statum cùm in Italia Ianus regnauit, ne quis existimet Genuensium originem ad Ianũ me referre, atque illuc respexisse: tametsi non desint qui id scribãt auctores.

In secunda tabula Saturniam & Ianiculum condunt nominis sui opida.

In tertia monetam æream primi cudunt cum rostro nauis in vno latere, imagine Iani impressa in altero.

In quarta Iano inter deos relato templum exstruit Numa, belli pacisque Romanis indicium.

Fornix quatuor elementis muliebri forma pictis ornabatur, astantibus Cupidinibus cum faculis super tripode Apollinis, cui hæc ad familiam Austriacam spectantia inscripta sunt responsa:

Aër.
Placidis ætatem ducimus Austris.
Ignis.
Isabella calores Temperat Austrinos.
Aqua.
Vocat Auster in altum.
Terra.
Molliter aspirans siluis immurmurat Auster.

ADVERSA PARS MACHINÆ GENVENSIS.

IN aduersa molis fronte quę tota erat plana, in summo exhibebant Philippi III. Regis & Alberti Archiducis statuas. Infrà Ioannis Austriaci & Alexandri Farnesij Ducis effigies. Iustitiæ emblema Austriaco attribuimus, palmæ arboris symbolo, de cuius trunco sceptrum cum fascibus consularibus decussatim dependebat, Cupidines ex arbore ramusculos decerpentes in terram iaciebant, erátque illi Principi victoriis inclyto adscriptum:

Certior, & iustis victoria clarior armis.

Farnesio heroum omnium fortissimo emblema Fortitudinis hoc modo assignauimus; Cupido vexillum militare tenens astanti prosperæ fortunæ submittit, læua ferocissimi leonis caput mulcet, pictáque ibi nauis tempestate ventísque in mari iactata, quod hoc versu explicatur:

Conferre tumorem
Prospera non potuit, nec sors aduersa timorem.

Ternæ ab vtroque latere picturæ muliebri effigie, pro emblematis erant magnis tabulis inductæ. Maiestatis typum mulier cum fulmine & lauri ramo exhibebat, cum his verbis:

Suscipit orbem
Austria Maiestas meritis animosa regendum.

Astabat Nobilitas cum hastili & imaguncula, quo pertinebat hoc carmen:

Stirpe genus clarum, diuósq; attingit origo.

Notum est quosdam generis sui originem ad deos retulisse, vt ex eodem Silio Italico discimus:

Sed genus admotum superis, summumq; per altos
Attingebat auos cælum.

Sic de Lacedæmoniorũ & Persarum regibus ab Hercule & Achæmene genus ducentibus, illis ad Perseum Iouis filium familiam referentibus in priore Alcibiade disserit Plato. Nos verò augustissimæ domus incrementa, non à fabulosis cõmentis auspicamur, sed à Rudolfi primi insigni erga Deum pietate, Austriacæ gentis cunabula deriuamus.

Imperij typus muliebris erat figura cum baculo tribuni, & aquilæ signo serto laureo insidentis:

Te decet Imperium, gens Austria, fortiter illo
Vsa diu.

Ab altero latere Gloria alata cum buccina & Amaltheæ cornu:

Tu sola moues mentésq; peruris
Gloria.

Quapropter non malè faci comparabat gloriam è specula editissima in orbem prælucenti Antigonus apud Plutarchum in apoph.

Felicitas cum caduceo & geminis copiæ cornibus: sic eam depinximus ex numis antiquis quos describit Antonius Augustinus:

Stant fortunæ vexilla secundæ
Austriaca defixa domo.

Magna-

Magnanimitas orbis globum pede calcans, aquilam ſolis radios intuentem manu tenebat, aſſcriptúmque verſiculum:

Auſtriaci diuis animos cæleſtibus æquant.

Ad eundem ſenſum & familiæ Auſtriacæ auguſtiſſimæ encomium hi verſus pertinebant ſupra fornicem poſiti:

Illuſtres animæ, pulcherrima ſidera gentis
Auſtriacæ, & ſuperos æquantia pectora diuos.
Per mare, per terras omnes exercita virtus
Veſtra viget, nullisq; comes delebilis annis
Gloria ſtelliferi condit ſe margine cæli.

Principibus hanc machinam tranſeuntibus tantus aulædorum & tubicinum ſtrepitus eſt exortus, vt omnium aures opplerentur ſuauiſſimi concentus harmoniâ.


SCHEMA


STRES
MÆ.

COLVMNA VICTORIÆ A CIVITATE FACTA.

In eadem via qua ad vicum flectitur, cui à quercu nomen, columnam cum victoriæ signo erexerat ciuitas, pedibus sublimem quinquaginta. Carebat alis simulactum, sic enim victoriam plerumque Græci fingebant, teste Pausania in Atticis, Corinth. Lacon. & Eliacis, ne scilicet auolaret. Et Romanam in vincendis hostibus gloriam, perpetuam fore diuinabant harioli, cùm victoriæ signó fulmen alas absumsisset, qua de re Græcum in Anthol. lib. 4. exstat epigramma:

Ῥώμη παμβασίλεια, τεὸν κλέος οὔποτ᾽ ὀλεῖται·
Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.

Æternum domina mansura est gloria Roma,
Nam spoliata suis alið concedere pennis
Non quit, & inuolucres victoria tendere cursus.

Affixa columnæ trophæi in morem armorum spolia pendebant, in stylobata ita scriptum erat:

ALBERTO SECVRITATIS PVBLICÆ
DEFENSORI, ET
ISABELLÆ AD SALVTEM PVBLICAM GENITÆ,
OB PERPETVAM FELICIS EORVM ADVENTVS
REIQVE BENE ACTÆ MONIMENTVM.

Reliqua tria stylobatæ latera picturis ornabantur in hunc sensum: Amor famæ seu alatus Cupido lauro coronatus, ciuicam dextra porrigens, obsidionalem læua; rostrata, vallaris ac muralis coronæ pedibus adiacebant.
Quies saxo quadrato insistens perpendiculum tenebat.
Aram dextra tangebat Securitas.
Virtutis statua octo pedum, cum hastili & parazonio more antiquo ad columnæ dextram stabat super basi pedum tredecim, eratque dedicata:

ISABELLÆ ARCHID. HEROIDIS PRÆSTANTISSIMÆ
VIRTVTI INCOMPARABILI.

In reliquis lateribus virtus Fidei erat picta, cum Imperatoria, & virtute Militari.
Honoris statua laureo serto coronata, cum Amaltheæ cornu pari ad sinistram schemate, sacra erat:

ALBERTI ARCHID. HEROIS FORTISSIMI
HONORI SEMPITERNO.

Maiestas cum orbis globo & sella curuli, Gloria & Acclamatio latera decorabant.

OPV



COLVMNA VICTORIA

OPVS MATERIATVM TRANSLATIONIS S. EVGENII.

Vicvm transgressi ad sacram D. Iacobo ædem fornicem viderunt, tergemino Principis nomini dedicatum. In medio fastigio S. Eugenij Toletani Episcopi effigies stabat, S. Elizabethæ ad dextram, S. Claræ ad sinistram. Super epistylio in magna tabula oblonga translatio corporis sanctissimi martyris ex Galliis in Hispaniam non inscitè picta erat: Nam nostra ætate anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, amplissimo apparatu, cultuque religiosissimo, non rheda aliqua triumphali, sed quod omnem excedit pompæ amplitudinem, Regiis humeris in suam antiquam Toletanam sedem sacer Antistes & martyr delatus est. Siquidem Rex Catholicus Christianæ fidei ornamentum & robur Philippus II. se sacræ subdidit sarcinæ, ouánsq; & exsultans humili obsequio augustior redditus in prædictum locũ euexit. Quemadmodum ad Martyrologium Romanum annotauit Baronius Cardinalis amplissimus cum aliis auctoribus ibidem citatis. Dedicationis huius operis causam à matris nomine Isabellæ; natali die diuæ Claræ sacro, & à solemni translatione S. Eugenij sub idem tempus facta, elucidabant hi versus:

Ferre suum voluit genitrix prænomen Elisa,
Festáque lux vitæ limine Clara fuit.
Eugenij sacros cineres, Isabella, Philippus
Omine fausto vterum matre ferente tulit.
Gestantes onus eximium saluete parentes,
Eugeniam genitrix, Eugeniumq́, pater.
Sanctus vtrique labor, Toletum hic ornat & aras,
Orbem deposito ventris at illa beat.

TRIVM-



m

TRIVMPHALIS ARCVS NATIONIS INSVBRIÆ.

INDE progredientibus in conspectu fuit triumphalis arcus admodum delectabilis à Mediolanensi natione positus. In summo fastigio tertiæ eleuationis Insubriæ statua decem pedes adæquabat. Super eius basi ad auspicatissimas Philippi III. Regis, ac suarum Celsitudinum nuptias relata erant hæc verba:

Geminis Insubria gaudet

Connubiis.

Sub Insubria in quadrata pictus tabula sedebat Rex Philippus regio habitu, cum sceptro & diademate ac symbolo aquilæ, passis alis & vnguibus quatuor mundi partes attingentis, cum sole supra eius caput, inter quem & aquilam scriptum legebatur:

Hic radios, hac imperium partitur in omnes.

Sub Rege in permagna ac præcipua operis tabula Archidux Albertus eleganter armatus in fugam stricto ense vertebat Bellonam, cum sparsis sub casside per humeros capillis cruore madentibus, manibusque sanguinolentis, quarum vnâ flagellum, alterâ clypeum tenebat. Comites habebat Discordiam & Rapinam eo schemate depictas, quo in theatro nostro versatili viuæ sunt exhibitæ. Sequebatur iniustitia femina personata viperinam linguam exserens, cum manipulo spinarum & disrupta libra. Fugitiuo erant habitu, ferè procidentes ac retrospicientes ad persequentem Archiducem, illumque sic videntur alloqui:

Victa melioribus armis

Terga damus.

In altera eiusdem tabulæ parte Serenissima Isabella secum adducit melioris notæ diuas, Pacem nimirum lauro coronatam cum palma in manu, Iustitiam cum stricto vt fingi solet gladio, & monili ad pectus pretioso, de quo depēdet oculus. Pacem sequitur Abundantia cum cornucopiæ & fiscellis frugibus plenis, quo terrestris opulentia notatur, cum nauis clauo super quo depictus Plutus, diuitiarum apud Græcos deus, quod ad maritimam abundantiam spectat. Iustitiam Concordia cum iaculorum fasciculo subsequitur. Illæq; auspiciis Isabellæ reduces id ipsum his verbis indicabant:

Hac nos ducente redimus.

Intercolumnium ad portæ latus dextrum Reginam Isabellam pacificam ostendebat, Principis nostræ matrem: pro cuius emblemate, duo Cupidines hic equo, leoni ille insidens, liliorum manipulis afflante Austro inter se colludebant, hoc scriptura explicabat:

Redolent spirantibus Austris.

Ab altero latere Rex Philippus habitu pacifico stabat inermis, pro cuius emblemate intensa fidibus chelys super molli iacebat puluino, hoc significato:

Peragit tranquilla potestas

Quod violenta nequit.

In aduersi frontispicij intercolumniis eiusdem picturæ Carolus V. Imperator pro symbolo habebat Cybelem ex vna cum bigis leoninis, Neptunum ex altera maris currum agitantem, & annotabatur:

Nec mare nec tellus has detrectauit habenas.

Ad læuam Cæsar Rudolfus II. habitu Augusto pro conuenienti Fortitudinis emblemate, qua impetum barbarorum & Turcarum reprimit, Æolum habebat ventos rupi includentem:

Ni faciat, maria ac terras cælumq; profundum

Quippe ferant rapidi secum.

In



ARCVS MEDIOLANENSIVM.

In summo fastigio eodem quo Rex Philippus sedet loco, Reginæ Margaritæ effigies est depicta, sedentis in solio, sub pedibus hoc symbolum: Venus conchâ margaritiferâ medio æquore inuehitur, margaritam digitis prægrandem habens, apparente supra caput eius sui nominis stella, quæ φωσφόρος etiam dicitur, ad vtrũque alludebant hæc verba:

Idem gemmæ qui candor in astro est.

Quatuor fluuij in secunda & tertia gradatione positi, Insubriæ sunt proprij, Padus, Ticinus, Abdua, Athesis. Magna in eadem arcus fronte tabula, euersi bello opidi ædificationem, murorum turriumque continebat, ædium sacrarum ac priuatarũ, portuumque restaurationem, cum hoc elogio:

NON MINVS BENEFICII ET GLORIÆ DEBETVR
CONSERVATORIBVS ET RESTITVTORIBVS,
QVAM VRBIVM CONDITORIBVS.

Extra vrbem villæ eriguntur ac pastorum mapalia, vinea plantatur, agri coluntur, itur venatum, quod aduentui Principis acceptum fertur:

Omnia te veniente vides, Isabella, renasci.

Transitus portæ in eundem ferè sensum sic erat depictus: hinc portus maritimus, ad quem appelluntur naues, exonerantur quæuis merces, cum versiculo Horatiano:

Pacatum volitant per mare nauitæ.

Ex sinistro latere diuersis itineribus, plaustris ac dossuariis animalibus, vinũ, frumentum, aliæque merces comportantur, inermes per agros incedunt viatores, nocturnas vmbras supra discutit Aurora, quo hæc verba spectabant:

Tenebris pulsis haud inuia reddet
Rura latro.

Operis dedicatio inscripta priori frontispicio est huiusmodi:

QVA MEDIOLANENSES PROFECTIONEM
VESTRAM LÆTITIA PROSECVTI SVNT,
ALBERTE ET ISABELLA,
SERENISSIMIS OCVLORVM RADIIS COLLVSTRASTIS:
HIC CVM VOTA OMNIVM OPTATISS. IN BELGIVM
ADVENTV EXPLEVISTIS,
EADEM INSVBRVM NATIO,
VESTRI OBSERVANTISSIMA, OFFICIVM QVOQVE
SVVM IN COMMVNI GAVDIO DESIDERARI NOLVIT.

In altero frontispicio hi versus legebantur:

O fortunati quorum collapsa resurgunt
Mœnia, nec patriæ cineres incultaq; deflent
Rura, sed auspiciis cernunt redeuntia lætis
Secula consignanda sacris Isabellica fastis.

Non hæc superstitiosæ assentationis modo à nobis referuntur, quo diualia diuo Iulio celebrabat antiquitas, ad XII. Kal. Ian. Augusto Augustalia IV. Id. Oct. vt è marmore veteri ex quo Kalendarium Romanum Aldus edidit, legendo obseruauimus; nec sicut annalia & vicennalia festa fiebant Imperatoribus, quorum exstat memoria inter vrbis antiquæ Tarpei montis epigrammata: sed quemadmodum ob seruatas à Marcello Syracusas Marcellea instituta sunt, in victoriæ, mansuetudinis, continentiæ monimentum; in Asia festa Mucia Q. Sceuolæ attributa, ceu debita beneficiis, quòd cum summa innocentia prouinciæ præfuisset, vt in Verrinis Cicero; Nos haud secus illũ diem quo à bello maximo difficillimoque ductu & auspiciis horum Principum liberabimur, non immeritò perpetua veneratione colemus.

FORTV-

FORTVNÆ MVLIEBRIS QVADRIFRONS ARCVS.

HOc patriæ liberatæ beneficium, hanc gratiam nuptiis Isabellæ acceptam referemus, vt per molem triumphalem in eadem via prope porticũ mercatoriam in quadriuio positam diserte indicare S. P. Q. Antuerpiensis voluit. Fortunæ muliebri dedicatum erat opus, arte architectonica longè elaboratissimum, ornamentis amplissimum, venustissimum argumento. Spectantia ad sexũ muliebrem erant omnia, & vt sacris Bonæ deæ, quæ fiebant à mulieribus pro salute Reip. quod passim notat Tullius, viris haudquaquam interesse licebat, ne cæcis quidem; ita nos in hoc opere pacifico sexui consecrato, ab omni virorum consortio abstinuimus, nisi quatenus beneficiis femineis alligantur: Romanorum exemplo, qui non inuiderunt suas laudes mulieribus, præsertim cùm sine obtrectatione gloriæ alienæ viuebatur, vt est apud Liuium. Tota operis structura ordinis est Corinthij, gracilitate sua huic sexui cõueniens, vti sciunt architecti, & memoriæ prodidit lib. 4. Vitruuius. Quatuor habet transitus, conformatis ad loci quadriuium apertionibus. In tres eleuationes sexaginta pedum decenti symmetria attollitur machina, præter Fortunæ muliebris statuam cum basi pedum sedecim fastigio summo impositam. Latitudo pedibus triginta sex extenditur, viginti & octo in transitu profunditas. Tertiæ eleuationis in anteriori frontispicio tabula historiam continebat è Pausania desumtam lib. 1. in Eliacis, de sedecim matronis è totidem Elidis vrbibus pacis inter Eleos & Pisæos effectricibus. Sed omissis externis, domesticum è Plutarcho sufficiat exemplum, de mulierum virtutibus. Galli etenim ante Alpium transitum ex intestina seditione ad bellum exarserunt: Ibi feminæ se medias in acies intulerunt, totámque controuersiã tam æquabili arbitrio inter arma diremerunt, vt in summis posteà de pace ac bello Reip. consiliis Gallorum vxores adhibitæ semper fuerint. Quatuor in eodem frontispicio effigies, totidem sunt Isabellæ, quarum vna in media contignatione:

ISABELLA INTER PATREM PHILIPPVM IV. GALLORVM, AC EDVARDVM BRITANNORVM REGES INIMICITIAS GRAVISSIMAS FOEDERE CONNVBIALI DIREMIT.

Altera est effigies:

ISABELLÆ CAROLI VI. GALLORVM REGIS F. CVIVS CVM RICHARDO II. BRITANNO SPONSALIBVS BELLVM CONQVIEVIT.

Ad portæ verò latera in læuo intercolumnio:

ISABELLA PACIFICA HENRICVM PATREM CHRISTIANISSIMVM, ET PHILIPPVM CATHOLICVM MARITVM, SECVNDOS SVI NOMINIS REGES, FAVSTIS VTRIQVE REGNO NVPTIIS CONCILIAT.

Dextrum intercolumnium sua ad viuum effigie eleganter decorabat:

ISABELLA CLARA EVGENIA S. BRABANTIÆ DVCISSA.

Vbi S. littera Serenissimæ notam supplet, cuius erat anagramma:

Belgica vera salus, cœli es Diana Brabantis.

Infima ibidem interstylobatia emblemata continebant, siue diras hostibus imprecationes, si Dianam hanc contemserint. Etenim hinc Apollo cum sorore Diana iniuriam parentis in filios Niobes vindicant, hostésque admonent:

Moniti non temnere diuos
Discite.

Inde ſimili exemplo Oeneus ob contemptam Dianam bello & fame opprimitur, vt apud Homer. Iliad.9. Phœnix refert, Callimach. hymno Dian. & Ouid. 8. Metamor. ibíque ſcriptum legitur:

Offenſi numinis ira.

Supra inferiores effigies loco emblematum, Æternitas erat picta ex antiquis numiſmatis:

ÆTERN. MARG. AVST. HISP. REGINÆ.

Ex aduerſo pro ſymbolo Cupido conchæ inſidens, in medio æquore vnionem ad rorem matutinum apertâ conchâ reti venabatur:

RORE ET AVRORA.

In ſecunda eleuatione pro emblemate erat Mars vinctus compedibus, eodem apud Lacedæmonios ſenſu, quo Athenienſes victoriam ἄπτερον fingebant, hi enim vinculis impeditum à ſe nunquam Martem aufugiturum, illi ſemper manſuram ſecum victoriam, quæ pinnis careat, interpretabantur, vt tradit Pauſan. in Laconicis. Poteſt etiam ad vincula amatoria referri, notamque huius dei & Veneris fabulam, nam Marti ex aduerſo inſultabat Cupido ceſtum matris oſtentans, ipſúmque velut alloquens:

Hæc Mauors vincula mauis.

Totius machinæ ſenſus in media ſecundæ eleuationis tabula ſchematis octaëdri hac inſcriptione explanatur:

OB INSIGNEM IN DISSIDIIS COMPONENDIS OPERAM
A MATRONIS LECTISSIMIS REIP. PRÆSTITAM,
FORTVNAM MVLIEBREM COLVIT ANTIQVITAS.
QVO NOMINE VT TE VNAM, Ô ISABELLA QVIETI
PVBLICÆ GENITA, TVA BELGICA INTVETVR; ITA
TV FORTVNAM RECTE PRÆEVNTEM ALACRITER
SEQVERE: QVOD BENE FORTVNET DEVS, ET TE
OMNES SVPERI HOMINESQVE AMENT PLVRIMVM.

In tabula poſterioris frontiſpicij ſupremo loco poſita, tres diuæ iudicio Paridis celebres, totidem Eumenides è pacifico cœtu abigunt.

Quatuor ibidem muliebres effigies ſimili vt ante loco diſpoſitæ, aſſcriptâ cuique hiſtoriâ explicantur:

I.

Prima duas matronas præbet ſpectatoribus, quæ ſuo beneficio colendæ à Romanis Fortunæ muliebris originem dederunt:

VETVRIA ET VOLVMNIA HÆC FILIVM, MARITVM
ILLA CORIOLANVM AB OPPVGNATIONE PATRIÆ
AVERTIT.

II.

Secundam ex Baptiſtę Fulgoſi exemplorũ penu hauſimus, vt & aliquas ſubſequentes:

ELEONORÆ REGINÆ OPERA DVO ALFONSI
REGES CASTVLONENSIS ET LEGIONENSIS IN
GRATIAM REDEVNT.

III.

GILLÆ NVPTIIS CAROLI SIMPLICIS GALLORVM
REGIS F. DVX NORMANDIÆ ROLLO EX HOSTE
FIT GENER.

IIII.

ISABELLA HERCVLIS FERRARIÆ DVCIS F.
MATRIMONIO CVM FRANCISCO FRIDERICI
GONZAGÆ F. ACERBISSIMIS ODIIS FINEM
IMPOSVIT.

Suprema emblemata ex numiſmatis ſunt excepta:

ANNONA RESTITVTA.

Cui opponitur:

TEMP. FELICITAS.

Deinde Hiſpania, atque ex aduerſo ſymbolum aquilæ volantis regiumq́; diadema vnguibus complectentis, vnà cum orbis terrarum globo per catenam dimiſſo, cum palma & ſceptro decuſſatis, & ſpectante ad magnitudinem imperij elogio:

A CÆLO AD CENTRVM.

Infra inter ſtylobatas Ariadnes beneficio Theſeus è labyrintho euadit:

DVX FEMINA FACTI.

Ex aduerſo Proetides ſe Iunoni ob formam præferentes in furorem verſæ, à Melampode ſanatæ in templo Dianæ Himereſiæ luſtrantur, vt in Arcadicis commemorat Pauſanias. Nos Melampodis perſonam Alberto attribuimus, Iſabellam comparamus cum placabili illa diua, vt quo ſpectent hæc verba cuiuis ſit perſpicuum:

POPVLIS ALIENATIS SANÆ MENTI
RESTITVTIS.

In octogono ſimiliter leguntur hi verſiculi:

Felices animæ quibus eſt concordia curæ,
Et ſtudium iunxiſſe truces ad fœdera dextras:
Vos æterna manent cæleſti in ſede morandi
Præmia, nam pacis cælo eſt affinis origo.

Frontiſpicium lateris quod ad porticum ſpectat conuentus mercatorij, in ſuprema ſiue tertiæ contignationis tabula, formæ ſemicircularis, tres Charites ſe mutuò complectentes exhibet.

Quatuor in aliis frontiſpiciis heroides eiuſdem ſunt ſententiæ:

I.

HERSILIA A MARITO ROMVLO IMPETRAVIT, VT BELLVM CONTRA SABINOS MOTVM, CONCORDIA EXTINGVERETVR.

II.

THEODELINDA LONGOBARDOS AD PACEM CVM ROMANIS IMPERATORIBVS SANCIENDAM PRVDENTIA SVA ADDVXIT.

III.

ELEONORA AVSTRIAS FRANCISCO GALLIARVM REGI NVPTVM DATA, DVARVM HEROIDVM APVD CAMERACENSES INTERVENTV, PACIS STABILIMENTVM AFFINITATIS VINCVLO COLLIGAVIT.

IV.

GERMANA LVDOVICI XII. GALLORVM REGIS EX SORORE N. CONNVBIO FERDINANDI HISPĀ REGIS PACEM FIRMAVIT.

Emblemata ad numorum antiquorum vnde ea ſumſimus ſunt imitationem:

ÆQVITATI ISAB.

PACI BELGICÆ ISABELLICÆ.

Aquilæ geſtantes victorias vtrobique ex Lacon. Pauſaniæ, ſubſcripta ex Marone habent hemiſtichia:

Victorq́; volentes
Per populos dat iura.

Simi-

Similes volucres νικηφόροι reliquam verſus partem abſoluunt:

Viamq́; affectat olympo.

Infra itidem ex numis:

LÆTITIA FVNDATA.

HILARITAS BELGICA.

Circulari figura in ſecunda eleuatione ſcripti ſunt hi verſus cum apoſtrophe ad Iſabellam:

Femina blanda poteſt animos lenire feroces,
Armataſq́; virûm conciliare manus.
Maius opus ſexu eſt, quæq́; hoc facit illa virilis
Corpore femineo pectora mentis habet.
Tu verò diuûm genus heroina, virago
Inclyta, ſexum animo vincis vtrumque tuo.

Quarta molis facies in ſummo adumbratas in ſemicirculari tabella proponebat tres lanificas diuas, quatuor itē locis vt in aliis frontiſpiciis pacis pari numero cōciliatriculas.

I.

MARIA PHILIPPI BONI BVRGVNDIÆ DVCIS N. NVBENS CAROLO AVRELIANENSI OFFENSIONES OMNES ET CAPITALE ODIVM SVSTVLIT.

II.

MARIA HENRICI VIII. ANGLORVM REGIS SOROR LVDOVICVM XII. CVM FRATRE PACAVIT.

III.

IOANNA EDVARDI III. ANGLORVM ITEM SOROR DAVIDI SCOTORVM REGI CONIVNCTA, TER DECENNALE BELLVM IN PACEM COMMVTAVIT.

IV.

BEATRIX AB ACTIO ATESTINO FRATRE IN MATRIMONIVM GALEACIO VICECOMITI DATA, CRVDELISSIMA DISSIDIA ET ARMA SIMVL POSVIT.

Sex ibidem emblemata ex antiquis numis ſumta huiuſmodi cernebantur:

SECVRITATI GERM. INF. QVIETI BELGICÆ.
SECVLI FELICITAS. VOTA PVBLICA.
FORTVNÆ PROSPERÆ REDVCI. HIS FACIBVS ET FASCIBVS. Spectabat ad faces nuptiales, faſceſque conſulares.

Secunda eleuatio inſcriptum continebat huiuſmodi hexaſtichon:

Fertur Amazonias Martem tractare puellas,
Duraq́; femineas ſtringere tela manus.
Armigeræ quæ ſi laudem virtute merentur,
At quæ compoſitæ gloria pacis erit?
Blanda quies bello potior, ſed gratior illa eſt,
Quam ſanxit genio femina blanda ſuo.

In quadruplici arcus tranſitu ſedecim exhibuimus Fortunas nomenclaturis iis quibus cauſam improuiſam & humano obſcuram conſilio deam fecit coluitq́ue vetuſtas. Non tamen omnia recenſuimus, quæ apud Romanos & Græcos exſtiterunt huius diuæ nomina, ſed tantùm ſelecta & ſententiæ noſtræ conſona.

Prima

Prima igitur fuit Fortuna Primigenia, cui ædem Romæ fuisse dedicatam Liuius cum Dione meminit, rationem reddidit Plutarchus, quo auctore naturam illi astantem finximus. Nos ad legitimum Isabellæ principatum natiuitatis ordine respeximus.

Virginalis Fortuna ad quam nubentium togulas deferebant, vt ex Festo & Arnobio obseruauimus, ad nuptiarum ritum spectat.

Obsequentem Fortunam vrbes montesque in nassam attrahentem, indulgentiâ suâ potiùs quàm armis bellum confecturam speramus.

Reducem Fortunam cum ciconia & hirundine, cui templa priores ob reditum vouere ducum, iuxta Claudianum, non incommodè hîc posuimus.

Fortuna Respiciens ad opem afflictis rebus ferendam reflexo picta erat capite.

Libera Fortuna cum pileo in manu & catenis ad postem fixis, Stiliconis à Claudiano laudati encomium nobis in mentem reuocabat:

Fallitur egregio quisquis sub Principe credit
Seruitium, nunquam libertas gratior exstat
Quàm sub Rege pio.

Nostri autem Principes qui clementiam in subditos cum ipso nutricis lacte suxerunt, non egent monitoribus de conseruanda illorum libertate, Periclis exemplo, qui populi suffragio dux exercitus creatus, quoties paludamentum sumeret, se ipsum velut commonens affari fertur solitus; attende tibi Pericles, liberis imperas, Græcis imperas, Atheniensibus imperas, vt refert Plutarchus Symp. primo. Enimuerò non solùm se accedere haud ignorant ad Germaniæ Inferioris, ad Belgarum populiq; liberi Principatũ, verùm etiam eiusdem primordia à solemni iureiurãdo auspicati sunt; se iura subditorum, priuilegia, & libertates obseruaturos firmiter, & obseruari facturos.

Eam felicitatem propinquam nobis esse Vicina Antuerpiæ indicabat Fortuna.

In qua quidem fiducia quoniam conquiescimus, Fortunam Bonæ spei cum anchora adiunximus.

Fortunam Statam siue erectam hastile tenentem pinximus, quæ omnium animos de euersa rep. breui restituenda aduentu Principum felicissimè erexit.

Adiutrix Fortuna vlmum amplectitur, cui vitis circumplicatur.

Fortuna Conseruatrix cum orbis globo & nauis gubernaculo.

Felix Fortuna cum cornu Amaltheæ astante illi aligero Cupidine.

Manens Fortuna alas deponit, globum & talaria relinquit, assidet virtuti super saxo cubico.

Fortuna Publica portam vrbis ingreditur cornu gestans abundantiæ.

Fortis Fortuna iuxta fluuium Tiberim stabat, vbi Romæ ædem habuit.

Equestris Fortuna equo insidebat sine freno, rationem reddit Liuius.

Ceterùm non omnes breuitatis causa auctores recensemus harũ fortunarum mentionem facientes, sed cupidum lectorem ad Gyraldi historiam Syntag. xv. & Brissonium de Formulis lib. 1. remittimus.

In lunatis lacunaribus sedecim Famæ eleganter erant pictæ buccinas inflantes, præconium orbi terrarum euulgantes, quod in schedis proponebant volatiles quidam Genij, vna dictione in singulis exarata:

ISABELLA, CLARA, EVGENIA, AVSTRIA,
FLOREAT, VIGEAT, IMPERET, TRIVMPHET,
FELICITER, SVAVITER, BENIGNE, GLORIOSE.

n FORNIX


OB INS
I
DISS
ARCVS TRIVMPHAL



TVNÆ MVLIEBRIS.

FORNIX HERMATHENÆ.

Pavlo vltra procedentes fornicem transeunt mole quidem exiguum, sed magnum argumento. Hermathenæ simulacrum in fastigio positum nō eo tamen sensu quo Cicero illis signis ab Attico sibi missis vsurum se scribit, nempe ad Academiæ ornamentum, sed ad cultum respeximus, quo veteres quondã Galli, & inter eos Belgæ venerabantur hosce deos, Cæsaris testimonio lib. 6. de bello Gallico: *Deum, inquit, maximè Mercurium colunt, huius sunt plurima simulacra. Hunc omnium inuentorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasq́ habere vim maximam arbitrantur. Mineruam operum atque artificiorum initia tradere credunt.* In his consistit huius vrbis prosperitas & Belgij vniuersi. Tantopere enim per negotiationem & permutationem hæ prouinciæ floruerunt, propter situs opportunitatem, commerciorum copiam, & frequentiam commeantium, vt quidquid vsquam nascitur, hîc commodiùs distrahatur. Mercurium præterea à mercibus dictum, vt Festus tradit, negotiorum deum Græci etiam coluerunt, diuersis nominibus rem vnam designantibus: nunc ἀγοραῖον, hoc est, forensem siue ἐμπολαῖον ab emendis & vendendis mercimoniis, nunc στροφαῖον appellantes, quòd negotia benè vertat. Neque ipsum modò à mercede ἔμμισθον vel κερδῷον à quæstu, sed insperatum etiam lucrum ἕρμαιον vocarunt à deo lucri præside. Simili ratione Mineruam ei iunximus, illam artis quæstuariæ partem denotantes, quæ ex variis operibus manu elaboratis Belgarum nomen exteris celebre facit, diuitias domi auget, Mineruæ beneficio ἐργάνης cognomento non vno loco cultæ secundùm Pausan. & omissis aliis in Bœoticis meminit operariæ huius diuæ, cui Plutus astabat diuitiarum numen. Eiusdem mentionem & Plutarchus facit in præceptis Polit. Ἐργάτιδος apud Samios eiusdem deæ nomen exstat apud Hesychium: μηχανίτιδος ceu multarum artium inuentricis meminit Pausan. in Arcad. Sententiam porrò nostram tabella explicabat in qua erat exaratum:

HANC VRBEM EMPORIVM TOTO ORBE CELEBERRIMVM,
PRINCIPES SERENISSIMI,
QVAM CONSPECTV VESTRO OPTATISSIMO ILLVSTRARI
FELICITER INDVLSIT FORTVNA HVIVS DIEI, MERCVRIO
AGORÆO ET MINERVÆ ERGANÆ SACRAM FVISSE SCITOTE,
HODIE VOBIS DEDICATVR:
VT COMMERCIA TERRA MARIQVE APERIATIS,
EAQVE MORE MAIORVM LIBERA FACIATIS,
QVÆSTVM VBEREM CVNCTIS DETIS,
FACTOQVE GAVDIA LVCRO AVGEATIS.

Non temerè materiam de commercij libertate vno verbo hîc attigimus, in memoriam reuocantes quantopere omnium animos tam superiori anno quàm aliis præcedentibus hæc contentio perturbauerit, cùm de nouo vectigali mercibus imponendo, seu vero conatu seu composito agetetur, nouitatis introducendæ studio, qua nonnulli homines commodum Principis metiuntur. Sed quàm hoc aduersetur rationibus reip. non subditorum modò, sed & Principis ærario paucis verbis demonstrabimus. Quem idcirco æquiorem & benigniorem huius controuersiæ iudicem habebimus, quòd iisdem ferè rationibus permotus sub Principatus sui initium, huiusmodi in merces Antuerpiam importandas propositum vectigalis imperandi modum, non duxerit audiendum. Cuius quidem rei quò sumus certiores (nostra enim opera dum hæc Principi nunciarentur & perscriberentur, qui tum erat in Italia, vsus fuit huius vrbis Magistratus) eò bonam eius veniam faciliùs impetraturos nos confidimus, si de rebus agimus quas habemus exploratas, optimique Ducis gloriam, qui noui Principatus cum insigni hac clementia fundamenta prima iecit, toto orbe terrarum prædicandam euulgamus. Firmissimum fundamentum quo Belgij

Belgij fœlicitas & huius vrbis nititur mercaturam esse, cuius incremento ad maximam publicarum ac priuatarum opum amplitudinem peruenerunt florentissimæ hæ prouinciæ, nemo inficiabitur. Eo siquidem beneficio, & mercium transmarinarum copiâ, omnibusque rebus quæ ex toto orbe importatur affluunt, & opera domi nata, fabricata, elaborata cum magno facultatum augmento, foras mittunt, aliisq́ue regionibus sic communicant & distribuunt, vt nulla ferè sit natio quæ non merces à Belgis factas & compositas reliquis ducat præferendas. Quod cùm animaduerterent Principes nostri prudentissimi, suarum Celsitudinum maiores, nihil prius necantiquius habuerunt, quàm exteros mercatores cum suis mercimoniis præmiis excitare, beneuolentia ad nos allicere, concessis plurimis immunitatibus, ac priuilegiorum ornamentis, quibus alibi non fruuntur, & quod nusquam peregrinis negotiatoribus obtigit, indulto illis etiam peculiari Consulatu ac iurisdictione, vt de causis nationum suus in prima instantia magistratus cognoscat ac diiudicet. Multa porrò priuilegia, multas consuetudines, & maiorum instituta habent Antuerpienses præ ceteris prouinciis, ad negotiationem promouendam cõformata. Nec consilium Principes magis ad hanc rem idoneum inuenerunt, quàm mercibus terra mariq́ue importatis imponere vectigalia valdè exigua, qui modus à maioribus suis constitutus ne excederetur solicitè prospexerunt. Vsqueadeò vt licet seculis anterioribus patrimonia non haberent tam ampla & copiosa, quæ cum immensis opibus & potentia successorum comparari queant, attamen vtilitatis non propriæ sed ciuium habita ratione, non alio quàm suæ voluntatis & arbitrij consultore vsi, cum exteris nationibus, Hanseaticis nimirum & Lusitanis pacti sunt, ipsisq́ue præter cetera vt illos huc pertraherent, ne eorum merces in introitu vel in exitu maioribus solito vectigalibus grauarẽtur sanctè promiserunt. Quo exemplo inclytæ memoriæ Cæsares Maximilianus I. & Carolus V. Augusti hoc consilium iudicarunt subditis adeò salutare, sibi verò necessarium, vt in summis ærarij angustiis, externis bellis & domesticis implicati, quę pro defensione prouinciarum susceperunt, nunquam tamen eousque processerunt, vt imposito grauiori quàm solito vectigali, molestiam commercio aut detrimentum darent. Idem Carolus Imperator cùm quibusdam aulicis, siue consiliariis, siue assentatoribus, de centesima à mercibus exigenda auscultasset, admisso quamprimùm saniori consilio mentem mutauit, & dispendio intellecto, quòd ex alienatis ob centesimam mercatoribus, ac translatis aliò commerciis acciperet, nouitatem abrogauit. Quæ vt in rep. semper est periculosa, & licet tanquam iocus irrepat, ac velut nihil nocitura videatur, paulatim tamen ac consuetudine ad omnia reip. munera pergit, nec absistit, quin eandem euerterit, teste Platone lib. 4. de rep. eamq́ue vsqueadeò perniciosam existimat, vt ne ludi, nec vestis, aut supellectilis nouationem sine summo periculo in rep. admittat, vt ait lib. 7. ita tributorum nouitas quàm maximè odiosa est. Crimen vocat pro Flacco Tullius, cùm præfectus prouinciæ sumtus eos instituit, qui antea non erant instituti, eumq́ue qui noua vectigalia exercet de vi publica teneri inter leges relatum est. ff. ad L. Iul. de vi public. L. fin. Quinimò noua vectigalia instituere legibus vetat Imperator, & in sua Nouella constitutione XLIII. nihil tam magno studio, tamq́ue serio affectare se ait, quàm ne nouo quisquam vectigali oneretur. Nouum autem vocat non tantùm quod nũc primùm impositũ est, sed etiam quod primum modũ excedit. Quatenus autem potestate & decreto Principis id possit fieri, etsi variè tractarint iuris interpretes, quia tamen nostris moribus aliter receptum, & Principũ iureiurando confirmatum est, maluerunt optimi Principes, imò satius duxerunt, suis ipsi nominibus ęs alienum contrahere, & sacrum patrimonium multis modis obligare, quàm pecuniam mercibus imperare: vtpote exploratum habentes, vigentibus in regno suo commerciis, non defuturas populo facultates, quibus ærarij inopiam subl[e]uent; contrà alienatis nouo superindicto mercatorum animis, omniq́ue commercio ad vicinas regiones traducto, non solùm se nouæ impositionis effectu cariturος, sed populum præsidiis, quibus ex comparatis per commercia fortunis, iuuare Principem possent, destitutos fore. Quinetiam honestum & vtile existimarunt suo sese & successorum nomine solemni sacramento Ordinibus obligare, vectigal se mercibus haud impositurος, nec vltra consuetum modum au-

cturos, noua autem tributa licet exigua non imperaturos. Brabantiæ quoque Ordines in Principum suorum initiationibus, vt commercia sarta tecta conseruentur, nec vltra solitum modum onerentur, solicitè semper prospexerunt. Enimuerò si augmenta vectigalium, vel nouorum tributorum indictiones, reip. commodo fieri posse existimassent, eas ipsi rationes iamdudum iniissent ad suppeditanda Principibus subsidia, quæ à mercatoribus peregrinis potiùs merces importantibus, quàm à suis ciuibus videntur exigenda. Verùm vsu edocti hoc ad interuertendum commercium spectare, vnde quæstum ciues faciunt, in quo publici ærarij consistit firmamentum, à seipsis maluerunt & à ciuibus suis petere, quàm à negociatoribus, nequa aliò commeandi ab insolito modo vectigalium abhorrentibus, daretur occasio. Ceterùm Princeps clementissimus Rex Philippus Catholicus paterni exempli memor, & procerum consilio, qui inaugurationi astiterunt acquiescens, cùm ad hunc Principatum capiendum accederet, eodem quo maiores iureiurando se obstringere, putauit expedire & sibi & reip. Sed cùm Dux Albanus Belgio Præfectus, perdito quorundam priuatorum consilio, & proprio plus commodo quàm Regis aut prouinciæ studentium, decimam rerum venalium contra auspicia imperasset, eaque ratione infinitam vim pecuniæ se ærario illaturum certò sibi persuaderet, acerbissimam insoliti tributi nouitatem Regiæ vtilitatis nomine prætexens; cùm res ipsa docuisset, quanto cum periculo reique publicæ detrimento ex decima promercaliũ pecunia cogeretur, hunc exactionis modum conatu Albani improbato abrogauit, memoriamque è medio sustulit. Quippe Rex prouidentissimus non solùm externis aliorum Principum exemplis mouebatur, quibus malè semper cessit immodica tributorum indictio, sed longè prouidebat domesticos hosce motus, quibus ita status Belgij agitatur & iam nutat vt quamprimùm collabatur, nisi solido & maturo firmamento fulciatur.

Seditionum causas & defectionum, exactioni tributorum multi tribuunt historici, vt de Naxiis aliisque lib. 1. Thucydides. Ob tributum coriarium rebellarunt Frisij Olennio regendis illis imposito, auctore Tacito, ob præfectorum auaritiam Dalmatæ cũ Batone gentis duce, teste Dione. Tumultus Antiocheni tributi noui causa sub imperio Theodosij meminit Nicephorus lib. 12. cap. 43. Neq; alia fuit seditionis ratio sub Iustiniano Constantinopoli ortæ, qui cùm pecunia semper egeret, eam non satis honestè comparabat, gratiáque iis habebat, qui vias argenti colligendi ostenderent, vt testis est Zonaras. Apud Venetos quoque cùm exhausto ærario per diuturni belli onera, noua Patres vectigalia excogitassent, orta seditione Ducaria Rainerij Principis maiestas coniectis in eum lapidibus parum tuta fuit, auctore Sabellico. Excitatæ sunt & similes in Gallia turbæ sub Carolo sexto adhuc puero, sumto à populo Parisiensi initio, & licentiæ exemplo in totam Galliam peruadente. In pupillari similiter ætate Ricardi II. Britanniæ Regis, ob tributum in singula vtriusque sexus hominum capita, coorta est seditio, & sub Henrico VII. altera, vt prodidit memoriæ Polydorus Virgilius. Nec huius mali expers fuit Hispania, cùm multæ ciuitates Carolo V. Cæsare in Germaniam profecto ad imperium capiendum, rebellionem fecerunt, vt Iouius narrat in Adriano sexto. Variæ apud Flandros & domesticæ factiones sub Ludouico Maleano aliisque Comitibus, tributorum grauitati ab historicis asscribuntur. Meminit Legislator Nouel. 24. de motis ob publica tributa seditionibus. Quid autem ea de re scribat Claudius Sesellius de Gall. rep. lib. 1. non grauabor hîc subiungere.

Primum est vt Rex quàm minimum subditos tributis, vectigalibus ac pecuniarum exactionibus grauet, verum ita se cōparet, vt intelligant fortunas & compendia sua curæ illi esse. Hoc & Deo est gratissimum, & ad ipsius salutem animique tranquillitatem pertinet: Non enim sine maximis illorum dispendiis grandiorem pecuniam imperare potest: atqui nonnunquam eripitur miseris quo carere omnino non possunt, quod illis & liberis & familiæ necessarium est ad quotidianum victum: in quo summum est flagitium, neque dubitandum est, quin huius iniuriæ magnitudo, & oppressorum gemitus vehementer Deum commoueant. Huc ergo Reges respiciant, ac præterea cogitent alienari hominum voluntates, dum suæ cupiditati nullum statuunt modũ, inde turbas facilè & seditiones oriri, præsertim si quis grauior casus regnum affligat.

affligat. Accedit quòd vitandæ inopiæ extremæ causa mutare locum illi atque sedes coguntur, quod ad Regis detrimentum & infamiam pertinet. Quocunque enim peruenerunt, ibi de iniuriis & indignitatibus rumorem latè spargunt, & redacti ad egestatem agriculturam deserunt, & sibi suisq; mendicando victum parant. Sumtus ergo superfluos atque luxum omnem moderari Rex debet, atque euitare ne fortunis priuatorum calamitatem adferat. Sed ipsa etiam exigendi ratio correctionem requirit: colligitur enim infinita vis pecuniæ, quæ tamen ad Regis & reip. commoditates non impenditur omnis, & quæstores auctoritate ac nomine sui muneris confisi, multa sæpe auarè & intemperanter faciunt, & miserorum hominum laboribus suas facultates amplificant.

Hactenus Sesellius. Quod idem notat Cæsar lib. 3. de bello ciuili: *erat plena lictorum & imperiorum prouincia, conferta præfectis atque exactoribus, qui præter imperatas pecunias suo etiam priuato compendio seruiebant.* Eos ego cum aulicis quibusdam adulatoribus frementes hîc audio, qui omnia ad vtilitatē referunt, cum summa licet turpitudine coniunctam. Quod vitium vt verbis decoris obuoluant, & tributi odiosum ceteroqui vocabulum periphrasi quadam leniant, præsidia in eo ponunt neruosque reip. cuius corpori paralysim minantur, quoties de tributi remissione agitur. O medicos imperitos, ac symptomatis obnoxios, quæ ex nimia repletione nascuntur! Sed regno per continuas ardentesque ciuilis belli febres, luemque, phagedænā ac sanguinis profluuium exhausto, euacuato, quæ tum conuulsiones, ac neruorum spasmata præsentem corpori mortem non prænunciant, nisi applicatis ex arte remediis reficiatur exinanitio, ac tributorum rigor mitigetur? Etenim sicut corpus delumbe, & eneruatum subsistere haudquaquam potest, ita solum ex neruis compositum est inutile. Simili quoque modo si quod per omnes partes pro cuiusque symmetria distribui debet alimentum, neruorum tantū nutrimento cedat, vniuersos statim artus exangues fieri oportet. Et nunquid esset informe, monstrosum, expers vitæ corpus reip. cuius sola cōpages ex neruis constaret, aut cuius nutrimentum soli nerui deuorarent, sitim ante omnia vectigalium restinguendo, atque omnē succum in tributa conuertendo? Illius Verris more Siciliæ euerriculi, qui plus è prouincia vectigalis auferebat, quàm fructus nati essent, vt non modò granum vllum, sed ne paleæ quidem relinquerentur. Antigoni dictum fertur pecunias rigidè exigentis, cui cùm obijceretur, quòd non fuisset eiusmodi Alexander, rectè, inquit, Asiam enim demetebat ille, ego spicas lego. A prædone dictum est, non à Principe, scis quid mihi opus sit; &, hoc agamus ne quis quidquam habeat. Quod & Caracallæ vitio datur, pecuniam sibi soli esse debere, præterea nemini. Præclarior apud Eutropium vox Constantij, qui diuitias priuatorum fisci commodis præferens dicere fertur solitus; *Melius à priuatis publicas opes haberi, quàm intra vnum claustrum collectas obseruari.* Phrygiæ regem Midam luxu diffluentem, profuso patrimonio à Baccho impetrasse fabulantur poëtæ, vt quidquid attigisset in aurum verteretur, hoc est, vt res omnes tributariæ redderentur, ad suas vnius delicias sustentandas. Sed cùm vrgente fame cibum quoque in aurum mutari animaduerteret, in Pactolo se abluit, vimque auri attrahendi in fluuium deposuit χρυσοῤῥόαν inde dictum: vt nimirum diuitiæ per flumina atque æquora liberè comportentur, neque merciū affluentia purum putum aurum secum vnà conuehens, cursu per tributa contra fas impedito, arceatur aut sistatur. Accessit & alia auro nimis inhianti Regi ignominia: nam cùm quadruplatoribus, & emissariis suis, qui si quid in soluendis vectigalibus erratum vel cōmissum fraude esset, accusarent & deferrent, studiosius quàm par erat auscultaret & crederet, aures eius perhibentur mutatæ in asininas. Non igitur semper prodest auri appetitus, vti, licet sophisticè, in Euthydemo tractat Plato, nec sequitur vt is felicissimus sit futurus, qui in ventre quidem tria habeat talenta, talentum in animo, staterem verò in vtroque oculo. Scytharum ille mos est, pro viris beatissimis & optimis habere, qui plurimum in craniis aurum habent, ad vasa illorum potoria alludens ex craniis inauratis. Sed quod in mulierū virtutibus narrat Plutarchus cum Midæ fabula magis conuenit, & cum proposito nostro. Pythes qui Xerxis æuo vixit, repertis auri fodinis, totus erat in opibus

ex iis comparandis, omnique alio opere relicto ciues vniuersos fodere, egerere, ac purgare aurum assiduò & intemperanter cogebat. Oppressis multis, defatigatis omnibus, mulieres ad eius vxorem accesserunt, quas illa primum supplices cum spe bona dimisit, ac aurifabris accersitis aureos panes, bellaria aurea, quibus maximè delectabatur Pythes, facere imperauit, quæ peregrè reuerso marito apposuit: ipsique indignabundo, cibum postulasti, atqui rerum aliarum nullam, inquit, præterea copiam nobis reliquisti: omnis enim industria artesque exoleuerunt, dum agrum nemo colit, sed neglecta plantandi & pascendi cura, metalla effodimus nos ipsos ciuesque nostros enecātes. Idem nobis eueniret, si sublato per nouum tributum commercio fugarentur mercatores, cessarent opifices, quibus ob inopiam rei familiaris breui esset emigrandum.

Nec existimandum est semel pulsam è Belgio negotiationē, & ad alias regiones translatam ad nos statim recursuram. Id exemplo pannarij artificij edocemur, per seditionem popularem Louanio delati in Britanniam, vbi illud tam altas radices modò egit, vt de eius ad nos reditu vix sperare quisquam ausit. Exiguum argentei denarij portorium Senatus Anconitanus in singulos ex pilis camelinis pānos elapsis aliquot annis imposuerat, quod tam graues apud ordinem hominum merces permutantium offensiones excitauit, vt deserto emporio aliò se receperint, nec portorio abrogato oblataque maiori immunitate redierint. Exempla bina huiusmodi recenset Athenæus lib. 3. Dipnos. Riuulus mari vicinus gelidam aquam fundens prope Edepsum emicuit, cuius potus ægros plurimùm recreabat. Sed cùm Antigoni duces res Principis procurantes vectigal bibituros pendere coëgissent, euanuit illa scatebra. In Tagæi cuiusdam gratiam, vt scribit Iul. Pollux lib. 6. cap. 10. vel Tagasi vt apud Stephanum de Vrbib. legitur, in palude quadā Troadis salem condensauerat Neptunus, vnde Tagaseæ salinæ Straboni etiam notæ, è quibus cuiuis auferre salē licebat. Verùm vbi Lysimachus tributum illis salariū imposuit, nihil salis visum est, donec remisso vectigali copiam salinæ rursus præberent. Adhæc etsi nullum leuius est vectigal, quàm quod ex annona salaria percipitur, attamen cùm Liuio & Claudio censoribus premente bello Punico indictum Romæ esset, ad perpetuam familię suæ contumeliam Liuius Salinator fuit appellatus. Conuiciis Minois theatra Atheniensiū diu perstrepuerunt, quòd eos tributarios reddere voluisset. Ante Aristidem immunis à tributis pensitandis erat Græcia, quæ ab ipso insulis imposita, seruatæ illi Græciæ gloriā eripuerunt.

Illorum infamia prouerbio notatur, qui vel à mortuis tributū exigunt, vt Romæ solent Libitinarij, vel à statuis farinas. Aliorum memoriam damnarunt historici, quanto res est sordidior, vnde lucrum expresserunt. Nam quid fingi potest fœdius lustrali auro quod exegit Caius, in sacrum ærarium inferri vetuit Alexander, si credimus Lampridio, in quo tamen fuit reprehensum quòd aurum amaret, & vectigalia multa inueniret. Quid Flauij tributo inhumanius, à mendicis extorto, quid putidius vrinario, vel auro quod è fimo equino collegit, si vera est Tzetzæ Chiliadis primæ historia secunda? quod non erit admirandum, cùm nec à foricis locandis abstinuerint. Sed quousque non progreditur dominantium hæc cupiditas? pro vmbra exactum fuisse scribit Plinius lib. 12. pro aëre à Pescennio Nigro Spartianus, qui cùm prouinciales terras suas consitione leuari postularent, ego verò, inquit, etiam aërem vestrum censere vellem. Michaelis Paphlagonis imperio asscribit Cedrenus, quòd non pro solo, sed etiam pro cælo penderetur. Et ne frustra spirent auræ, ventum locant nostri æui homines ad circumagendas pneumaticas molas. Fumarij tributi à Nicephoro Phoca impositi meminit Zonaras. Stuppæ & axungiæ exactio constitutione Alexij Comneni Secundi antiquata est. Nunquam itaque defuerunt prædandi vocabula, sicut in suis Commentariis de bello ciuili lib. 3. memoriæ Iulius Cæsar prodidit: *Interea acerbissimè imperatæ pecuniæ tota prouincia exigebantur, multa præterea generatim ad auaritiam excogitabantur. In capita singula seruorum ac liberorum tributum imponebatur.* In singulis humani corporis membris à Frontone Daniæ rege idem factum esse apud Saxonem Grammaticum legitur. Pergit Cæsar: *Columnaria, ostiaria, frumentum, remiges, milites, arma, vecturæ imperabantur. cuius modò rei nomen reperiri poterat,*

terat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur. Sed ne quis existimet hæc à me proponi tanquam imitanda, hoc solùm animo pecuniæ redigendæ è fortunis subditorum artificia & exempla à me collecta sciat, vt videant nouatores (sic illos voco homines, qui nouis vectigalibus populum onerando, velut à se primùm inuentis gloriantur) has olim rationes pecuniæ emungendæ in vsu fuisse, veteribus haud incognitas: tum suffragio Aristotelis lib. 2. Oecon. quasdam actiones, quibus pecunias nonnulli pepererũt, aut arte aliquid gerendo confecerunt, operæpretium colligere, & quoniam in hunc sermonẽ incidimus, non ingratas lectoribus, sed dignas commemoratione duximus. Nec inutilem fore hanc narrationem arbitramur, quædam enim in nostra rep. nos secutos, quædã ad negotia quæ suscipimus tractanda quadrare comperimus, quædam moribus nostris nequaquam consentanea apertè refellimus: ait ergo Philosophus; Cypselum Corinthium Ioui vouisse si rerum potiretur, se Corinthiorum facultates vniuersas ipsi dedicaturum. Censum itaque describi iussisse, illis autem professis, decimam bonorum abstulisse à singulis: De reliquis facultatibus eos negotiari & rem facere permisisse. Elapso autem anno eandem rem fecisse. Decem ea ratione annorum spatio euenisse, vt Corinthiorum bona quæ Ioui consecrauerat, omnia ipse haberet. Corinthij verò alia sibi quærerent & pararent.

Lygdamis Naxius ciuibus quibusdam in exsilium actis, cùm illorum facultates nemo vellet emere nisi vili pretio, eas ipsas exsulibus vẽdidit tradiditq;. Donaria etiam diis consecrata quæ in officinis imperfecta iacebant, exsulibus iisdem aliisque vendebat nomen emptoris inscribi permittens.

Byzantij in penuria pecuniæ publicos lucos vendiderunt, fructiferos quidem ad certum tempus, fructuum non feraces perpetuò possidendos. Eos etiam qui ad publica sodalitia & ad sacra gentilitia pertinebãt, & qui in agris priuatis erant siti. Magno enim eos illi homines emebant, qui reliquam agri partem possidebant. Sodalitiis autem alia loca publica circum gymnasium, aut forum, aut portum, & circa rerum venalium forum, salinas item maritimas & salis mercimonium, quæstus etiam ex arte præstigiatoria atque vaticiniis, & ex pharmacopolis, aliisque rebus huiusmodi vendebant; & tertiã lucri partem pensitare iubebant. Vnam tantùm mensam pecuniæ permutandæ etiã elocarunt. Neque alio numismate, neque alteri vendere, nec ab altero quicquam emere omnino licebat. Quod siquis fecisset, pecunia ea multabatur. Cùm lex esset apud illos, ne pro ciue haberetur qui non ex vtroque parente ciue natus esset, pecuniis indigentes scitum promulgarunt, vt is qui altero tantùm parente ciue natus esset, si triginta minas persoluisset, ciuitatis ius haberet. In annonæ caritate, cùm etiã pecuniæ inopia laborarent, subduxerunt è mari nauigia. Quod temporis progressu ægrè ferentes mercatores, vsuras illis decimas persoluerunt. Ab illis autem qui res aliquas emebant, vltra earum pretium decimas illas exigebant. Cùm verò ex incolis quidam pecunias fœnori dedissent prædiis pignori oppositis, neque esset vnde ipsis solueretur, decreto sanxerunt, vt qui tertiam æris alieni partem tributi nomine conferret, prædia illa tanquam propria retineret.

Hippias Atheniensis podia & Mœniana in publicas vias proiecta, & scalarum gradus, vestibula & ianuas extrorsum aperientes eodem modo vendidit, quo huius vrbis moribus census iis imponitur. Emebant autem illa prædiorum domini, multæque pecuniæ sic colligebantur. Numisma verò Atheniensibus vsitatum, adulterinum esse declarauit, & precio constituto, imperauit ad se omnem pecuniam deportari. Cumque conuenirent qui alio charactere argentum vellent cudere, eandem pecuniam elocauit. Quicunque adhæc triremibus imperare aut tribubus iubebantur, aut sumtus in ludos aut in simile munus publicum præbere mandabantur, mediocri summa illis constituta edixit, vt qui illam soluere voluisset, inter eos qui hoc munere perfuncti essent, referretur. Mineruæ præstereà sacerdotissæ, quæ in arce colitur, pro singulis funeribus chœnicem aut semodium hordei præcepit afferri, ac tritici totidem, & obulum vnum; & ab iis tantundem qui prole aucti essent.

Athenienses qui Potideam inhabitabant, pecunia ad bellum gerendum indigentes, ciues omnes iusserunt bonorum censum profiteri, non quidem in sua tribu singulos, sed

vt in vnoquoque loco singula possiderent, vt pauperes etiam referri in censum possent. Qui verò nullam possessionem haberet, eius capitis fieret æstimatio. Hoc igitur tributum quod exigebatur, à singulis integrum conferebatur.

Antissæus ciuitate pressa pecuniæ inopia, cùm morem haberent, Dionysia celebrare cum magno splendore, in quibus ingentes sumtus faciebant totius anni apparatu, & victimis exquisitis: Instante hoc festo persuasit eis, votum Baccho nuncupare, se proximo anno duplicata reddituros, & quæ parata erant, vniuersa venderent. Hoc modo pecuniæ in præsentem vsum non modicæ sunt collectæ.

Lampsaceni plurimas triremes exspectantes, cùm farinæ medimnus quatuor drachmis venderetur, statuerunt, vt qui venalem haberent, sex drachmis venderent. Ad olei verò congium qui quatuor drachmis vænibat, tres obolos addiderunt. Idem de vino aliisque mercibus fecerunt. Priuati hoc modo vetus pretium accipiebant, quod autem supererat ciuitati cedebat, quæ sic pecuniæ sibi copiam comparauit.

Heracleotæ cùm in expeditionem contra tyrannos in Bosporo quadraginta naues mitterent, nec pecunia abundarent, à mercatoribus frumentum, vinum, oleum, & quicquid in foro venaliũ erat coëmerunt. Tempore verò constituto quo pretium solueretur, cùm non esset opportunum mercatoribus seminatim venditare, sed merces vniuersas vt oneratæ erant distrahere, ipsis cùm esset commodum soluentibus, nõ stipendia deuehebant, sed merces venales in nauibus onerariis, & vnum singulis quæstorem præficiebant. Cùm iam in hosticum peruenissent, milites ab illis omnia emerunt, argentumque collectum rursus in stipendium duces militares ipsis dederunt. Atque ita accidit, vt idem semper argentum daretur, donec domum reuerterẽtur. Sed non vacat omnino locus ille de mendi alicuius suspicione.

Lacedæmonij petentibus Samiis ad patriam recuperandam pecunias, indixerunt tam dominis quàm familiæ & iumentis vnius diei ieiunium, quantum autem vnusquisque si non ieiunaretur insumeret, tantum Samiis tribueret.

Carthaginienses militibus exteris frequenti apud illos multitudine crescentibus, stipendia illis debita persoluere nequiuerunt. Per præconem itaque denunciatum est, si cui ius esset clarigationis aut represaliarum, vt loquuntur Iurisconsulti, aduersus vrbem aliquam, aut hominem priuatum, si vellet eo vti, vt profiteretur. Permultis autem profitentibus, naues in mari velificantes comprehendebant, probabilem aliquam causam prætexentes, & tempus præstituerunt, quo eius rei causam dicturos se assererent. Ingenti igitur pecunia comparata, exauctorarunt milites, & de comprehensione disceptarunt: iniusteque comprehensis, de suis vectigalibus ciuitas persoluebat.

Cyziceni, orta inter illos seditione, ac plebe superiore, captis opulẽtioribus, cùm stipendia deberent militibus, edictum promulgarunt, ne capti necarentur, sed collaris pecuniis exsularent.

Chij cùm legem haberent de ære alieno publicè describendo, pecunia indigentes decretum tulerunt, vt debitores ciuitati pecuniam debitam mutuarent, vsuras verò creditoribus ex vectigalibus ciuitas solueret, donec & sortem suppeditasset.

Mausolus Cariæ tyrannus, petente per legatos Rege Persarum, vt penderet tributa, conuocatis ditissimis suæ regionis, indicauit eis Regẽ petere tributa, se verò pecuniis non valdè abundare. Ibi tum subornati quidam se collaturos statim promiserunt, summamque singuli indicatunt. Quo facto opulentiores partim pudore, partim metu, multò plura sunt polliciti, & contulerunt. Rursus indigens pecunia, aduocata Mylassensium concione, dixit eam ciuitatem regni metropolim, muris cinctam non esse, Regem autem Persarum exercitum aduersus illum ducere. Mylassensibus ergo præcepit pecuniam quam posset quisque maximam conferret, affirmans iis quæ quisque nunc conferret, ceteras fortunas suas seruaturum. Maximis autem copiis collatis, pecunias quidem ipse retinuit, sed deum illo tempore muros ciuitatis exstrui velle negauit.

Condalus Mausoli præfectus siquando iter per ditionem facienti, donum illi aliquis attulisset aut ouis aut vituli, iubebat descripto donatoris nomine & die, domum secum

nutriendum

nutriendum abducere, dum reuerteretur. Vbi verò tempus ſufficiens videbatur, petebat quod ille aluerat, & fructum ſubductis rationibus quem perceperat. Arborum præterea eminentium aut procidentium in regias vias fructus vendebat. Si quis militum mortem obiiſſet, copiam extra portas funus efferendi drachmâ vendebat. Atque hinc ſimul & pecuniam comparabat, & non fallebant eum duces militares, quo tempore aliquis militum moreretur Lycios animaduertens comæ nutriendæ ſtudio teneri, allatas finxit à Rege literas, quibus capillos mittere iuberentur, vt comas ex iis ſuppoſititias faceret, quas capronas aut antias vocant. Mandatum itaque à Mauſolo ſibi eſſe, vt illi tonderentur. Promiſit tamen ſi certam ſummam in capita ſingula vellent conferre, ſe capillos è Græcia afferri curaturum, qui Regi mitterentur. At illi libenter quod poſcebat præbuerunt, collectaque eſt ab ingenti multitudine pecunia copioſa.

Ariſtoteles Rhodius Phocenſibus imperans in pecuniæ inopia, cùm duas factiones inter Phocenſes eſſe cerneret, alteram factionem clam alloquitur, pecuniam ab altera ſibi dari indicans, vt rem ad ipſos inclinaret, ſe verò ab ipſis accipere malle, & ciuitatis adminiſtrationem ipſis concedere. Quibus intellectis, ſtatim illi qui aderant, pecuniam quantam indicarat contulerunt. Tum alteri factioni quid ab altera accepiſſet, oſtendit. Nec minorem ſummam illi numerauerunt. Atque ita accepta ab vtriſque pecunia in gratiam redire eos fecit. Cùm inter ciues animaduerteret multas lites eſſe, magnaſque inter ipſos ob diſſidia iniurias, iudicio conſtituto edixit, ſi qui lege non egiſſent intra tempus præſtitutum, non vlterius iudicium de prioribus controuerſiis ipſis datum iri. Quamplurimis itaque actionem inſtituentibus, & accuſationes mulctaſque ad ſe referens, & ab vtriſque per alterum accipiens, vim magnam pecuniarum corraſit.

Clazomanij in annonæ penuria argentique defectu edixerunt, vt ſi qui priuati oleum haberent, mutuum darent reip. ad vſuram; eſt enim ea regio olei valdè ferax. Multis ergo mutuantibus, conductis nauigiis ad emporia miſerunt, vnde frumentum ipſis aduehebatur, olei pretio pignoris vice dato. Cùm deberent militibus viginti talenta, nec ſoluendo eſſent, ſingulis annis quatuor talentorum fœnus ducibus pendebant. Cùm autem eo pacto de ſorte nihil decederet, ſed irritos ſumtus facerent, numum ferreum percuſſerunt ad argentei rationem pro viginti talentis. Hanc deinde pecuniam inter opulentiores pro rata diſtribuerunt, & tantundem ab iis argenti receperunt. Habebant igitur priuati quod in vſus quotidianos inſumerent, & ære alieno liberata fuit ciuitas. Deinde ex vectigalibus vſuras ipſis perſoluebant, & ſingulis pro rata diſtribuentes, numos ferreos ad ſe receperunt.

Selybriani inopia pecuniæ laborantes, cùm ſtatutum ibi eſſet, de frumento famis tempore non exportando, veteriſque frumenti copiam haberent, edixerunt, vt priuati frumentum pro certo pretio reip. darent, ſeruato vnicuique vnius anni victu. Poſtea exportandi facultatem dederunt pretio conſtituto quod æquum videbatur.

Abydeni agris per ſeditionem incultis iacentibus, nihil erogantibus in agrorum culturam propter æs alienum incolis, ſanxerunt vt qui pecuniam agricolis mutuam daret, ad opus rure faciendum, primos fructus perciperet, quod reliquum eſſet, alij.

Epheſij pecuniis egentes legem tulerunt, ne mulieres aurum geſtarent, quicquid autem tunc temporis auri haberent, ciuitati mutuarent. Permiſerunt etiam pecunię ſummâ conſtitutâ, templi columnis nomen ſuum inſcribere qui pecuniam numeraſſet, non ſecus ac ſi eas ipſe dedicaſſet.

Dionyſius Syracuſanus pecunias accumulare cupiens, concione aduocata, Cererem ſibi viſam dixit, eamque miſiſſe vt mundus muliebris in fanum eius deferretur: ſe quidem de mulierum ſuarum mundo hoc feciſſe. Poſtulare ſe igitur vt alij idem faciant, ne dea iraſcatur. Qui id non feciſſet, eum ſacrilegij reum pronunciauit. Omnibus verò quæ habebant afferentibus, tam deæ quàm ipſius reſpectu, facta re diuina, vniuerſum mundum abſtulit, tanquam ab ipſa dea commodatum. Vbi autem temporis progreſſu ornatum mulieres iterum ferrent, edixit vt quæ aurum vellet geſtare, res quaſdam certas atque definitas in templo dedicaret. Ædificaturus triremes ſciebat pecunia

ſibi opus

ſibi opus fore. Concione itaque aduocata, vrbem quandam ſibi proditam iri dixit, camque ob rem ſe pecuniâ indigere. Popoſcitque vt ciues ſtaterem ſinguli conſerrent. Hanc illi pecuniam contulerunt. Tum duorum vel trium dierum ſpatio interiecto, quaſi res illum fruſtrata eſſet, ciuibus collaudatis reſtituit cuique quod contulerat. Quo facto voluntates ſibi rurſus conciliauit. Poſtea ſimili ſpe, ſe nimirum recepturos, iterum contulerunt. Sed Dionyſius quod tunc accepit ad nauium fabricam retinuit. Cùm verò argento minimè abundaret, ſtanneum numum percuſſit, concioneque aduocata longa oratione in defenſionem eius numi vſus eſt. Syracuſij autem quamuis inuiti eum ſcito ſuo approbarunt, & ſibi quiſque perſuaſit, ſe argenteum numiſma non ſtanneum habere. Rurſus in pecuniæ inopia à ciuibus poſtulauit vt contribuerent. Illis ſe habere negantibus, ſupellectilem ſuam protulit, vænumque, tanquam præ inopia hoc faceret, expoſuit. Ementibus Syracuſiis, quod quiſque emerat deſcripſit. Pretio perſoluto vnumquemque quam emerat ſupellectilem referre ad ſe iuſſit. Ciuibus ob frequentia tributa à pecore alēdo deſiſtētibus, ſatis ſibi iam collatum affirmauit in præſentē vſum, qui verò poſthac pecus ſibi pararēt, immunes eos fore. Cùm plurimi multas pecudes ſpe immunitatis ſtatim compararent, vbi opportunū eſſe iudicauit, æſtimari iuſſit, & tributum impoſuit. Tum ciues ſe deceptos eſſe indignè ferentes, pecudes iugularunt & vendiderunt. Cùm autem adhæc Dionyſius edicto definiuiſſet, pecudum indies mactandarum numerum, ſacris offerebant occidenda. Ille tunc vetuit femellam pecudem mactari. Cùm denuò pecuniis indigeret, deſcribi apud ſe pecunias iuſſit familiarum parentibus orbatarum. Deſcriptis vniuerſis, pecuniis iis vſus fuit, dum ad ætatem legitimam peruenirent. Rhegio capto, concione aduocata dixit, ſe iure eam vrbem poſſe diripere, ſed ſi recipiat expenſas in bellum factas, & tres pro ſingulis capitibus minas, prædationem remittere. Tum Rhegini quicquid occultauerant palàm protulerunt. Et cùm renuiores ab opulentioribus exteriſque pecuniam mutuam ſumſiſſent, pecuniam illam perſoluerunt. At Dionyſius hac accepta, corpora nihilominus ſub corona vendidit, omnemque ſupellectilem, quæ occultata fuerat, detectam abſtulit. Mutuò ſumſerat à ciuibus pecuniam quam redderet, cumque illi repeterent, adferri argentum ad ſe iuſſit, quantum quiſque poſſideret, propoſitâ mortis pœnâ, niſi facerent. Argēto allato numum percuſſit, eiuſmodi valoris vt drachma vna duabus æſtimaretur, hoc modo quod antea debebat perſoluit. Cùm centū nauibus in Tyrrheniam nauigaret, abſtulit è Leucotheæ fano auri & argenti plurimum, aliaq; ornamenta non pauca. Cùm & nautas habere multa ſciret, edixit per præconem, vt dimidium eorum quæ quiſque haberet ad ſe adferret, alterum dimidiū retineret qui illud abſtuliſſet. Qui nō retuliſſet, ei mortis pœnam propoſuit. Nautæ arbitrati ſi dimidium retuliſſent, tutò ſe retenturos eſſe reliquum, illud retulerunt. At Dionyſius his acceptis, rurſus dimidium referre eos iuſſit. Fana etiam obiens ſicubi menſam auream vel argenteam deprehenderet, Boni euentus infundi nomen iubens, auferri eam præcepit. Quotquot ſimulacra extenſa manu pateram porrigebant, accipio, dicens, adimi eam iuſſit. Pallia etiam aurea & coronas ſimulacris detrahebat, dicebatq; ſe illis leuiora & odoratiora dare velle. Lineum illis deinde pallium & coronas violaceas circumdabat.

Mendæi fructibus quos ex portorijs aliiſque vectigalibus colligebant, ad ſuæ ciuitatis adminiſtrationē vtebantur. Sed quod ex ſolo & ędificiis percipitur, id non exigebant, ſed nomina tantùm occupantiū deſcribebant: qui quoties ciuitas pecuniis indigebat, quantum deberetur perſoluebant. Lucrum igitur capiebant ex tempore pręterito, pecuniis vſi ſine fœnore. Bellum cum Olynthiis gerentes, cùm pecuniis indigerēt, & mancipiis abundarent, ſanxerunt, vt duo tantum quiſque retineret, marem & fœminam, reliqua venderet, vt pecuniam haberent priuati quam ciuitati mutuam darent.

Calliſtratus cùm portorium in Macedonia viginti talentis plerunque redimeretur, effecit vti duplicaretur. Nam cùm animaduerteret illud ſemper redimi ab opulentioribus, quòd Talantinos oporteret pro viginti illis talentis fideiuſſores dari, per præconem edixit, fieri poteſtatem cuique redimendi, & fideiuſſores dandi pro tertia tantùm parte, & pro ſumma quantamcunque quiſque poſſet impetrandi.

Timotheus

Timotheus Atheniensis bellum gerens cum Olynthiis, in argenti inopia ęreū numum percussit, & militibus distribuit. Quibus ægrè id ferentibus, ostēdit mercatores & res venales in foro habentes, eo ipso numo ipsis omnia vendituros. Prædixit autem mercatoribus, se pro numo æreo quem quis accepisset, res in illa regione venales, prædasque coëmturos. Et siquid æreorum numorum superesset, id ipsi referrent, argētum pro eo accepturi. Ad Corcyram autem bellum gerens, & inopia laborans, militibusq; stipendia petentibus & imperium recusantibus, & se ad hostes transituros minantibus, concione aduocata, pecuniam per tempestates non potuisse ad se deferri dixit. Tanta autē copia abundare se asseruit, vt trium mensium annonam quam iam admensus erat, gratis eis præberet. Illi autem rati nequaquam Timotheum tantam pecuniam proiecturū, nisi reuera argentum exspectaret, de stipendiis acquieuerunt, donec ille susceptā expeditionem, vt voluit, absoluit. Cùm Samum oppugnaret, fructus & quicquid in agris erat, ipsis Samiis vendidit, vnde copia pecuniæ ad stipendia militaria suppetebat. Cùm multis aduentantibus necessariorum penuria in castris esse cœpit, edicto vetuit ne quis frumenti farinam venderet, nec mensuram medimno minorem, nec humida minori vænirent mensura, quàm merretā. Centuriones ergo & ordinum duces cumulatiùs omnia coëmentes militibus distribuebant. Aduentantes verò suum sibi victum ipsi apportabant, discedentes siquid erat reliquum diuendebant, vt milites annonæ copia abundarent.

Didales Persa, qui Datames est Polyæno Strateg. lib. 7. victum quotidianum ex hostico militibus suppeditare poterat, sed pecuniam quam daret non habebat: Cùm iam dies solutionis cederet, tale quiddam comminiscitur. Conuocatis in cōcionem militibus, non deesse pecunias sibi dixit, sed habere se quodam loco, quem etiam indicauit, motisque castris eò perrexit. Deinde cùm loco illi propinquaret, ad eundem processit, & quicquid argenti cælati in fanis ibi erat abstulit. Tum mulis onustis non secus ac si argentū ferrent, cùm vasa illa eminerēt, iter facere instituit. Videntes hoc milites, & quicquid à mulis portaretur, argentum esse existimantes, bono animo fuerunt, tanquam stipendium accepturi. At ille Amisum perueniri, ibiq; argentum signari oportere dixit. Erat autem via Amisum vsque compluriū dierum, & difficilis propter frigus. Toto verò illo tempore exercitus opera vsus est, cùm nihil nisi victum præberet. Idem opifices in castris penes se habebat & caupones, & qui aliquid permutant, nec alicui licebat horum quidquam exercere.

Chabrias Atheniensis cùm Taos rex Ægypti educeret exercitū, & pecunia deficeretur, suasit, vt demonstraret vtriusque sexus sacerdotibus, sibi propter belli sumtus numerum ipsorum diminuere necesse esse. His illi auditis, & rem sacram penes se esse cùm quisque expeteret, suas singuli pecunias Regi attulerunt. Quas cùm ab omnibus accepisset, suasit Chabrias regi, vt mandaret, sacerdotes quos sumtus in sacra & in ipsum regem antè fecissent, eorū deinceps partem decimam impenderent, reliquū sibi mutuò darent, donec bellum contra Persarum regem conquiesceret. In singulas familias certā pecuniæ summam tributi nomine imperari iussit, in singula item capita. De frumento quod væniret, vt exigeretur vltra pretium tam ab emtore quàm à venditore, de singulis artabis obolus. De nauigiis & officinis aliisq; locis vbi quæstus exercetur, decima quæstus penderetur. Copias è regione abducturo Regi suasit, vt iuberet quod quisque argenti vel auri non signati haberet, id ad se deferret. Plurimis itaque ferentibus suasit vt rex eo vteretur. Qui mutuò dedissent, hos nauarchis commendaret, qui ex vectigalibus ipsis soluerēt. Idem Chabrias coactis ad centum & viginti naues classiariis, cùm non opus esset pluribus quàm sexaginta, iussit vt reliqui, iis qui in sexaginta nauibus erant, bimestre stipendium soluerent, aut nauigare ipsos. At hi cupientes apud sua manere, dederunt quod imperauerat.

Iphicrates Atheniensis cogenre copias Cotye, vt ei pecunia suppeteret, effecit hoc modo: suasit vt imperaret omnibus ditionis suæ subditis, vt singuli partem agri triū medimnorum regi cōsererent. Hoc facto magna frumenti collecta fuit copia: quā in illa loca vbi fora agebantur exportatā, abundans pecunia est confecta.

Cotys rex Thraciæ mutuam petebat à Perinthiis pecuniam ad contrahendos milites. Eam Perinthij dare recusabant. Petiit igitur viros aliquot dari ex eorum ciuibus, qui certis locis

tis locis præsidio essent, vt militibus ea tūc custodientibus, alibi vti posset. Id Perinthij citò fecerunt, rati illa loca in potestate sua fore. At Cotys eos qui ad se missi erant captos detinuit, iussitque ad se mitti petitam mutuò pecuniam, & ita recipere suos ciues.

Mentor filius comprehenso Hermia, occupatis etiam iis locis quę ille tenuerat, procuratores ab Hermia constitutos nō remouit. Omnibus igitur iam securis, & siquid absconderant, aut apud amicos deposuerant, id rursum penes se habentibus, & ipsos comprehendit, & quicquid habebant abstulit vniuersum.

Memno Rhodius Lampsaco potitus & pecuniæ indigus, ingentem pecuniæ summam præscripsit ditissimis exsoluendam, eamq; recepturos ipsos affirmauit ex tributo ab aliis ciuibus pendēdo. Cùm etiam ceteri contribuissent, illam quoque summam mutuari sibi ad tempus iussit, idque præfiniuit, quo pecuniam restitueret. Rursus egens pecunia conferre eos iussit, & ex vectigalibus quod dedissent recipere. Illi igitur cōtulerunt vtpote quamprimùm quę dederant recepturi. Aderat verò tempus quo vectigalia perciperentur, at ille pecunia se tunc etiam indigere dixit, se illis postmodum cū vsuris redditurum. Quos habebat in exercitu, iis annonam & stipendium sex in anno dierum detraxit; pollicitus iis diebus ipsos nec vigilias nec itinera obituros, neque quicquam insumturos diebus illis exemtis. Superiore etiam tempore, cùm annonam militibus distribueret secundo post nouilunium die, primo quidem mense præteriit dies tres, sequenti verò quinque, eoque modo processit donec ad triginta perueniret.

Charidemus Orita locis quibusdam Æolidis occupatis, & Artabazo contra ipsum ducente exercitum, pecuniā destitutus militibus danda; primùm quidē ei nonnihil conferebant, posteà se habere negabant. Ex opido quodam quod opulētissimum existimabat, incolas iussit, si numorum quid haberent, aut pretiosæ supellectilis in aliud opidum ablegare, & comitatum se daturū spondebat, sicut etiam manifestò faciebat. Illis fidē habentibus, haud procul extra vrbem eductos inquisiuit siquid haberent, & tantum abstulit quanto indigebat, reductis illis in idem opidum. Et in opidis sibi subditis per præconem edixit, nequis arma in domo haberet, qui contra faceret, ei certa pecunię summa erat persoluenda. Negligebat autem ipse, curamq; non habebat. At homines præconium temerè factum rati, quæ habebant arma domi retinuerunt. Tum Charidemus domibus ex improuiso excussis, ab iis, apud quos armorū aliquid reperisset, mulctā constitutam exegit.

Philoxenus quidam Macedo satrapa in Caria, inopia laborans pecuniaria, Dionysia se esse actură dixit, & choragos descripsit Cariæ ditissimos, imperatis iis quæ ad apparatum erant necessaria. At grauari eos cernens, subornauit quosdam qui sciscitarētur, quantum dare vellent, vt muneris vacationem haberent. Illi verò plus etiam quàm impensuri videbantur, promiserunt se daturos, ne interpellarentur, & à suis negotiis abducerentur. Ille acceptis quæ illi dabant, alios descripsit, donec etiam ab his quæ voluit accepit. Sic ipsi à singulis aliquid accedebat.

Cleomenes Alexandrinus satrapes in Ægypto, cùm aliis in locis fames esset magna, in Ægypto autem mediocris, præclusit exportandi frumenti licentiam. At prouinciis præfecti se tributa posse pendere negabant, si non liceret frumenrum exportare. Tum ille exportationem concessit, sed magnum vectigal frumento imposuit. Ita euenit vt cùm frumenti exportaretur parum, magnum vectigal perciperetur, & eriperetur præfectis quod prætenderenr. Cùm quodam tempore eam præfecturam nauigio transiret, in qua crocodilus pro deo colitur, correptus fuit ex pueris eius à crocodilo vnus. Tum vocatis sacerdotibus, se qui iniuria prior erat affectus, crocodilos vlcisci velle dixit, & vt caperentur præcepit. Sacerdotes verò ne deus illorum despiceretur, aurum quātum potuerunt colligere, ei tradiderunt, atque ita abstinuit. Mandatum illi dederat Alexander, vt vrbem conderet prope Pharum, vtq; eò transferret forum venalium, quod Canopi prius erat. Canopum itaque nauigauit ad Sacerdotes, & bona ibidem possidentes, dixitque se venisse, vt eos aliò traduceret. Ibi tūm Sacerdotes & incolæ collatas pecunias ipsi dederunt, vt forum ipsis relinqueret. Quibus acceptis recessit. Rebus omnibus postea ad ædificandum comparatis, nauigauit rursus Canopum pecuniasque eos poposcit modum excedentes, nam hoc

iam sua

iam sua interesse vt ibi sit forum, & non illic. Cumque se tantum persoluere non posse affirmarent, habitationem mutare eos fecit. A blegato quodam ad rem quandam emēdam, cùm merces vilis pretij eum cōparasse sciret, & pretij maioris expēsum ferre, familiaribus eius dixit se intellexisse quòd ipsorum amicus merces emisset magno supra modū pretio, se verò non approbaturum: eiusq; stultitiam ira simulata insectatus est. Quibus illi auditis, non debere ipsum aiebant fidem iis adhibere, qui contra absentem dicerent, donec reuersus rationem ipsi redderet. Qui postquam redierat, retulerunt ei quæ à Cleomene audierant. At ille amicis suis & Cleomeni ostentare se volens, verum pretium indicauit quo fuerat mercatus. Cùm in ea regione frumentum decem drachmis væniret, accersitis operariis interrogauit eos, quanti vellent agrum ipsi colere; qui cùm minoris dixissent, quàm ceteris mercatoribus, ille sibi iussit frumentum dari sicut aliis vendebant, sed pretium imposuit triginta duas drachmas, & sic vendebat. Conuocatis Sacerdotibus, valdè immoderatos in sacrificia sumtus in illa regione fieri declarauit, itaque & fanorum & Sacerdotum numerum imminuendum esse. Sacerdotes & priuatas & publicas ei sacras pecunias dederunt, reuera existimātes facturum eum esse, vt suum cuique in illa regione fanum saluum maneret, vnà cum sacerdotio.

Antimenes Rhodius dimidia viarum curatione illi delata circum Babylonem ab Alexandro, pecuniam cōfecit hoc modo: antiqua apud Babylonios lege, decima pendebatur de iis rebus quæ importabantur. Nemine eam obseruante, tempus notauit quo omnium satraparum aduentus exspectabatur, militum quoque & plurimorum legatorū, præterea artificum accersitos alios adducentium, & eorum qui nomine priuato peregrinabantur, quo tempore munera multa solent afferri. Decimam ergo exegit ex lege lata. Inopiâ iterum pressus, mancipia quæ in castris erant describi à volentibus iussit, quanti illa æstimarent. De singulis enim octo drachmas annuas exsolui debere. Si verò mancipium aliquod aufugisset, pretium illis restitutum iri promisit. Multorum mancipiorum nominibus descriptis, non parum argenti fuit conflatum. Si aliquod aufugisset, iussit satrapam loci, in quo erat exercitus, reducendum curare, vel pretium domino solui. Idem Antimenes cellas granarias prope vias regias compleri iubebat à satrapis, iuxta legem regionis. Cùm autem exercitus inopia laboraret, aut alia sine rege multitudo, misso ad se aliquo, quæ in cellis erant condita, vendidit.

Ophellas Olynthius constituto procuratore præfecturæ Arthriditæ, cùm eius præfecturæ subditi ipsum accederent, & multò plura se tributuros pollicerentur, peterentq; vt procuratorem constitutū remoueret, interrogauit eos an quæ promitterent, præstare possent. Qui cùm se posse affirmarent, procuratorem in loco reliquit, tributa quæ ipsimet æstimauerant, exigi iussit. Non igitur honorem ei detraxit quem ipse constituerat, neque illis maiora onera imposuit, quàm ipsi constituissent, multiplicem autem ipse pecuniam accepit.

Pythocles Atheniensis consilium dedit Atheniensibus, vt plumbum Tytium resp. ad se à priuatis reciperet, eo pretio quo vænibat, duarum nimirum drachmarum: ciuitas deinde constituto pretio sex drachmarum, illud venderet.

Stabelbius Mysorum Rex cùm deberet militibus stipendium, ducibus conuocatis, priuatorum hominum opera se non indigere dixit; quoties verò militibus indigebat, datâ cuique ductorum pecuniâ, ad milites externos cogendos mittebat. Ea autem stipendia quæ militibus soluere deberet, se ipsis ductoribus dare malle dicebat. Iussit igitur suos vnumquemque dimittere, ita vt manipulatim è regione exeant. Duces verò ea ex re quæstum facere sperantes milites dimiserunt, vt ille præceperat. Modico tempore interposito, cōgregatis ipsis, neque tibicinis absque choro, neque ductoris absque militibus vsum esse dixit, eosque è regione excedere iussit. Hucusque Aristoteles. Sed ne hisce immoremur, quemadmodum non est arctius firmandi principatus vinculum, quàm amor subditorum & reuerentia, ita nulla re facilius quàm insolitis imperatis & exactionibus populi odium in Principes & contemtus prouocatur. Dionysius pecunias à Syracusanis exigere, ac iterum & tertio extorquere non destitit, nisi cùm se rideri & dicteriis proscindi

in foro intellexit:nunc enim,inquit, nihil habent quando nos contemnunt. Vespasiani Cæsaris apud Alexandrinos ob exiguum tributum sex obolorũ vitium exactorum, adeò imminuta fuit auctoritas, vt eum coram Tito huiusmodi cõuicio publicè perstrinxerint; Ignoscimus Vespasiano quia nescit impetare. Salsum refert Cedrenus scomma Nicephoro dictum, ab homine priuato Imperatori Orientis. Progressus enim ad exercitationem militarem Cæsar,& intuitus canitiem viri cuiusdam, qui dare nomẽ militiæ postulabat, cùm eundem rogasset, ecquid homo canus in militiam legi peteret, aptè is respondit, se multò nunc validiorem esse, quàm adolescens fuerat; & qui hoc verũ esset percunctante Imperatore, eò, inquit, quòd empto olim vnius aurei frumento duos asinos onerabam, te autem imperante quantum emitur duobus aureis frumenti haud grauatè humeris gesto.

Nec vacat periculo exactionis odium, sin minus Principibus, at eorum certè impulsoribus & suasoribus. Lydorum Rex Achæus ob intolerabilem tributorũ auaritiam à suis interemtus est, Ouidio teste in Ibin. Theodoricus Rex Francorum quòd populum tributis premeret de regno deiectus est. Philistus è Dionysij familiaribus à plebe Syracusana detractus ex arce & trucidatus est. Ioannes quidam Byzantius sub Michaële Paphlagone Nicopolim missus ad tributum exigendum, sibi ipse exitium & deficiendi causam Nicopolitanis præbuit, à quibus in frusta dissectum commemorat Cedrenus. Et ῥινοκολούστης Herculi inditum fuit nomen, vt narrant Thebani, quòd caduceatoribus qui ab Orchomeniis ad poscendum tributum missi fuerant, ad contumeliã nares præcidisset, Pausania auctore in Bœoticis. Proclerem Theodeberti Francorum Regis sectorem, quòd Regem ad tributa imperanda impulisset, à plebe Treuerensi lapidibus obrutum refert lib. 6. de rep. Bodinus, exemplo Adurami quem tributis præfectum & à Roboamo Rege missum lapidauit omnis Israël & mortuus est, vt sacræ asserunt litteræ. Georgium Preschonem Henrici Suecorum Regis assentatorem populus in palatium facta irruptione, omnibus tormentorum generibus cruciauit, quòd Regem quem solio plebs ipsa deturbarat, ad rapinas inuitaret. His casibus miserandis nouorum tributorum auctores admonentur, quòd malum consilium sit consultori pessimum. Memorabile fuit Locrensium institutum ad deterrendos ab incœpto nouatores, cuius in eandem de qua nunc agimus sententiam, Demosthenes meminit in oratione cõtra Timocratem, qua cauebatur ne quis nouam legem ad populum ferret, nisi priùs insetto in laqueũ collo eam palàm exponeret; vt si populo placeret, eidem pareret, sin minus, confestim strangularetur legislator. Nec exiguam Principes apud subditos suos gratiam inirent, si in perditos quosdam homines, qui cùm sua decoxerunt vel rationes conturbarunt, ad noua tributa suggerenda prosiliunt, pœnis animaduerterent, vel cum indignatione à se eos reiicerent. Huiusmodi siquidem hominum genus est, qui cum Flacci Damasippo:

Postquàm omnis res sua Ianum
Ad medium fracta est, aliena negotia curant
Excussi propriis.

Vel cum Plautino Parasito:

Curiosi hic sunt complures mali,
Alienas res qui curant studio maximo,
Quibus ipsis nulla res est quàm procurent sua.

Sed tales in intimis aulæ penetralibus admitti & versari quotidie conspicimus cũ infamia nostri æui, quasi verò sint Principum rationibus consulturi, qui cùm propria abligurierint bona, fidem fallunt creditoribus, aut facto naufragio luculẽti patrimonij, eam præ inopia non liberant. Porrò nihil æquè è periculo reip. est, quàm cùm tales consultores in ea tẽpora incidunt, quæ ab importuna tributorũ nouitate quàm maximè aliena sunt. Ad noui Principatus auspicia me cõuerto, in quibus præcipua haberi debet cautio, atque vna est prouisio, vt concilientur hominum animi. At qui aliter sentiunt, & auctores sunt Principibus cùm accedunt ad imperium, vt à nouis vectigalibus indicendis ordiantur, vel augendis veteribus; nec referre putant, in primo hoc ingressu an beneuolas inueniant subditorum mentes, an abalienatas, & auersos plebis vultus: illi vel regnandi imperitiam profitentur,

profitentur, aut vtuntur consilio ab hostibus submisso, Principum gloriæ æmulis. Regni siquidem firmandi optimum est auspicium tributorum laxamētum. Smerdim Magum scribit Herodotus, singulis quibus imperabat nationibus tributorum immunitatē, & vacationem militiæ in trienniū tribuisse. Pauli Æmilij triumphum quem de tota Macedonia & Perse victo egit, illustriorem reddidit parta populo Romano tributorum immunitas, vsque ad Hirtij & Pansæ consulatum, centum & viginti quinque annorum interuallo: quam laudem ei tribuit lib. 2. Offic. Cicero. Plutarchus in eius vita. Plin. lib. 33. cap. 3. Val. Max. lib. 4. cap. 2. Alexandrum Seuerum commendat Lampridius quòd vectigalia publica contraxit. Laudatur & Pisistratus quòd cùm rusticum agrum colentem, quid sereret, interrogasset, atque ille sphacelos, & ex iis vectigal Pisistrato pendēdum esse respondisset, tributū remiserit, libera hominis voce motus, vt legitur apud Suidam. Carolo octauo regnum ineunte coactis Galliæ comitiis tributa sunt sublata. Et in eodem regno tributorum petendorum egregiæ exstant formulæ, quibus Princeps ingenuè profitetur, se omnia tributa vbi primùm licuerit remissurum, vt Bodinus tradit lib. 6. de rep. quod Regum Philipporum Longi & Valesij exemplis cōfirmat, quorum hic exiguum salis vectigal propalam testatus est se mox sublaturum: ille cùm grauissimo bello coactus salarium tributum duplicasset, non passus est dominij tabulis comprehendi. Ne quis tamen existimet debitum tributorum vsum improbari, cùm nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queant, vt à Tacito didicimus; ita prospiciendum Principi existimamus, vt quæ bello vrgente, populo consentiente indicta sunt subsidia, ea positis armis vel omnino tollantur, vel ad æquabilem modum redigantur, qui ad pacis ornamentum amplissimè sufficiat. Et quemadmodum in tributis publicisq; vectigalibus Principatus & reip. firmamentum ponimus, quo sublato vel eneruato imbecillam haberemus vel nullam potius remp. sic insolitos imperādi & exigendi modos vel inuitis extorquendi rationes refellimus. Communi cōsilio malis publicis est medendum, vt quod omnes tangit, ab omnibus approbetur. Non hominum liberorum & lumine mentis ac ratione vtentium, sed pecudum potius consilij expertium gubernatio esset, si dictum Antonini Caracallę probaretur, vel Ausonię potius feræ, sicut eum perstrinxit oraculum, qui ostenso gladio, quamdiu, inquit, hunc habebimus, pecunia non deerit, vt refert Xiphilinus: Artem præstat inuenire qua temporibus difficillimis sponte conferatur ab hominibus voluntariis & consentiētibus. Bellum cum Veientibus gerere sumtu priuato gens Fabia Romę à Senatu impetrauit. Et cùm primum decretum est, militem de publico stipendium accipere (antea enim eo munere de suo quisque fungebatur) eamque ob causam indictum est tributum, tribunis plebis edicentibus se auxilio futuros, si quis in stipendia tributum non conferret, non exspectato auxilio tribunitio, repentè est certamen conferendi ortum, cùm primùm ipsi Patres (quia nondum argenti signati erat vsus) æs graue plaustris ad ærarium cōuexerunt. Postea diruto ærario noua ciuibus tributa, aut sociis imperari noluit Senatus, sed ita Patres disseruerunt: omne aurum, argentum, æs signatum ad triumviros mensarios deferamus, vt voluntaria oblatio, & certamen adiuuandæ reip. excitet ad æmulandum animos, primùm equitum ac deinde reliquæ plebis. Itaque Senatores tanto certamine in publicum contulerunt, vt prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse, vt nec triumviri mensarij accipiendo, nec scribæ referendo sufficerent. Parta victoria Senatus mutuam pecuniam singulis bona fide reddi decreuit. Hæc Liuius. Gelonis apud Plutarchum dictum extat, qui cùm pecunias Syracusanis imperasset, illis indignantibus se petere dicebat tanquam redditurū, quod etiam finito bello fecit. Sub Carolo VII. Gallorum rege consilij publici particeps fuit Philippus Cominæus historicus clarissimus, qui exemplum testamēti Turcarum principis Mahometi se legisse scribit commentariorum lib. 10. inter alia, inquit, dolebat ei plurimùm, quòd prouinciis suis pecuniā extra ordinem imperasset. Quocirca vide quid nostri Principes facere debeant, qui ius nullum habent populo inuito onus aliquod imponendi. Et paulò post: Nemo est omnium Principum, qui ius habeat vel teruncium vnum exigendi à suis, præter constitutum annuum censum, nisi populus assentiatur. At enim dixerit aliquis, nonnunquam incidere tempus

aliquod vt non sit integrum agere conuentus, aut conscribere populũ, eò quòd huiusmodi mora & coniuncta sit cum periculo, & rationes belli impediat. Nihil hoc certè ad rem facit: nam vt bellũ suscipiatur, graui quadã & matura opus est deliberatione, neque subitò aut præcipitanter aliquid in eo fieri debet. Deinde quando Reges de communi populi consensu rem gerunt, & sunt potentiores, & ab hoste magis metuuntur. Regem quoque Galliæ his verbis vti nõ decet; habeo potestatem exigendi a meis ciuibus quãtum mihi libet, quoniam neque ipse neque quisquã alius eam potestatem habet. Qui verò ei hãc tribuunt, nullum illi honorẽ habent, nec illius auctoritatem, & existimationẽ apud nationes exteras augent. At si Rex noster, aut ij qui potentiã eius prædicant ita loquerẽtur: Habeo subditos ita dicto audientes, vt eorũ quę impero nihil facere detrectent, quiq; incommodorum & calamitatum faciliùs obliuiscantur, magnæ ipsi laudi talis esset oratio. Nec huiusmodi verbis, exigo quantũ volo, eamq; potestatem seruari mihi cupio, Regem nostrum Carolum quintum, nec vllum aliũ vtentem audiuimus: sed quosdã eorum comites & ministros, qui bonam suis regibus nauare operam videbantur. Verùm meo iudicio aduersus illos peccabant, & assentandi tantùm causa ita loquebantur, neque satis quid dicerent cõsiderabant. Illi Ordinum conuentum periculosum esse, & qui de eo conuocando verba faceret, in læsæ maiestatis crimẽ incidere, atque id ad minuendã Regis auctoritatem pertinere asserebant. Sed illi ipsi sunt qui hoc crimen cõmittunt contra Deum, contra Regem & remp. vniuersam. Neque aliis prosunt huiusmodi sermones, quàm iis qui nullo suo merito euehuntur ad dignitatum gradus, ad quos obtinendos haudquaquã sunt idonei, nam assentari & seruire auribus didicerunt, & verba de rebus nugatoriis facere, magnosq; hominum conuentus reformidant, ne quales sint, tales agnoscãtur, eorumq; opera vituperentur. Hactenus Cominæus. Intestina Britannorũ seditio sub Eduardo primo orta non antè conquieuit, quàm decretũ latum esset, ne vllum Regi tributũ populo Anglico in posterum tempus indicere liceret, quod anteà Reges suo sæpe arbitratu fecerant, nisi è consilij auctoritate, vt apud Polydorũ Virgilium legimus. Memorabilem de Constantio historiam narrat Eusebius in Cõstantini vita, Principibus quotidie ob oculos ponendam, velut quãdam optimi principatus ideam. Diocletianus illi per legatos suos paupertatem exprobrabat, eique obiiciebat quòd cùm subditis parceret, nihil in thesauris reconditum haberet. Quibus intellectis dum legatos apud se commorari iussisset, cõuocauit Cõstantius locupletiores ditionis suæ ciues, ipsisq; inopiæ suæ causam exposuit, quòd maluerit beneuolentiam benignitate sua collectam & firmatam, quàm ipsorum thesauros imperio seueriore extortos possidere. Nunc verò illorum sibi opus esse studio, gratia, opibus & fide. Tum illi sine cunctatione lætis animis hilariq; vultu ærarium eius auro & argento compleuerunt, & amore erga Principem clementissimum mirifico, magnoq; inter se ardore certauerunt. Constantius itaque cùm legatis suas opes inspiciendas ostendisset, Diocletiano renuntiari quid vidissent iussit, & qua ratione tantus thesaurus tam subitò collectus esset, subindicans Principis ærarium tutissimum esse & firmissimum, subditorum animos beneuolos, & Regi nunquam defuturos eorũ thesauros, modò ei studium, amor & fides populi sui non desit. Benignus Imperator post discessum legatorum pecunias allatas ciuibus suis restituit, obsequio illorum multis verbis collaudato. Hæc Eusebius. Sicut igitur libertatis pars est vt quorum periculo res geritur, illorum etiam cõsilio administretur; ita illud arcanum imperij exploditur, quo indicta belli occasione tributa, eo etiam confecto continuari videmus. Nec auditur Archidamus, qui poscentibus sociis bello Peloponnesiaco vt illis vectigalia definiret, bellum, inquit, non habet certum pabuli modum, vt Plutarchus meminit. Hanc denique materiã cum D. Ludouici Gallorum Regis sub persona filij hac ad omnes Principes exhortatiuncula concludamus, qua eum religiosum in primis erga Deum esse monuit, aduersus egenos liberalem & benignum, legum morumque regni sui custodem ac vindicem acerrimum, à vectigalibus & tributis abstinentem, nisi summa vis necessitatis & vtilitatis publicæ iustissima causa impellat. Sed ad institutam scriptionem reuertamur.

Appensa



SCHEMA FORNICIS HERMATHENÆ.

Appensa aduerso huic fornici tabella sermonem continebat cum priori coniungendum ad Principes directum, ex præfatione sumtum Constitutionis Imp. Tiberij de diuinis domibus:

TVTELAMQVE MERCATORVM ET NEGOCIATORVM A CVRIS IMPERATORIIS NON DIFFERRE EXISTIMETIS.
QVANTO ENIM RESP. CVM SVBDITIS BENE EST, ET OPIBVS FIRMIOR ET COPIIS LOCVPLETIOR EST, TANTO PLVS AD OPVLENTIAM FELICITATEMQVE VESTRAM ACCEDERE COGITATE.

Siquidem artis regiæ remp. gubernandi finẽ esse non vno in loco docet Plato, ciues liberos, concordes & diuites efficere. Omnis enim ars, vt tradit lib. 1. de rep. rationem vtilitatis habere debet rei sibi subiectæ: quod & notat Arist. lib. 3. de rep. Qui tyrannicum esse ait ibidem lib. 4. omnia ad suam ipsius vtilitatem referre, non ad eorum qui parent imperio. Et in Præfatione Nouel. Imperium & fiscus abundabit, vtens subiectis locupletibus. Id certè melius est Imperium suffragio Aristot. lib. 1. de rep. quod in res præstantiores obtinetur. Vt enim hominibus quàm feris imperare nemo non elegerit, sic permagnum est discrimen, an inter pauperes tenuesque, an inter fortunatos regni purpura induatur. Inopes subditos reddere, est inuitis imperare, quòd nemo liber & ingenuus æquo animo ferre potest, iuxta Aristot. lib. 4. de rep. Neque ad nos pertinet Antigoni præceptũ, quod præfecto Munichiam obtinenti scripsit, vt non modò millum validum (præsidium arcis notat) sed canem etiam strigosum faceret, detractis populo Atheniensi facultatibus. Tales consiliarij illiberaliter Principes habent, quorum potentiam non constituunt in ærario, sed in ciuium spoliario, cruentarumque prædarum receptaculo. De bubulcis videntur huiusmodi emunctores, cùm tales opes prædicant, non de Principibus loqui, qui tantò feliciores sunt quantò plus mulgeant, vt est apud Platonem. Tondere pecus cum Tiberio quàm deglubere satius est, neque ita pennæ incidendæ sunt, vt renasci nequeant. Non assueuerunt ingenuę nostræ aures responsum accipere, quale ex Italicis tyrannionibus quidam, intolerabilem tributorum seruitutem deprecanti viro dedit: Quæ malum hæc, inquit, vestra impatientia est? Quò frequentius plumæ euelluntur anseribus, eò meliores plumas referunt. Illæ verò artes quibus ad inopiam ciues rediguntur non aliis Principibus peculiares esse solent, quàm qui suorum insidias pertimescunt. Habent itaque occupatos in opere quotidiano, eoque animo Pyramides Ægypti, & Cypselidarũ colossi sunt erecti, templum Iouis Olympij exstructum à Pisistratidis, & opera Samia à Polycrate sunt facta. Quę omnia ad rem vnam & eandem valebant, nempe ad ciuium occupationem & paupertatem. Eiusdem est generis vectigalium pensitatio quæ fiebat Syracusis, vbi Dionysio regnum obtinente, tributo conferendo res familiaris vniuscuiusque quinquennio exhauriebatur: vt refert Aristot. lib. 5. de rep. Sed vt Gubernatori cursus secundus, medico salus, Imperatori victoria, sic reip. moderatori beata ciuium vita proposita esse debet, vt ad Atticum scripsit Tullius. Et qui remp. gerendam susceperunt, tutorum partes sibi traditas existiment, quorum procuratio ad vtilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissi, gerenda est: eodem teste Officiorum lib. 1.

DESCRI-

DESCRIPTIO PEGMATIS HERCVLIS GALLICI.

IN sequenti theatridio quod in foro lacteo posuerat Senatus, pedes alto quadraginta, viginti quatuor laro, profundo verò sedecim, colossus Herculis sedebat cum leoninis exuuiis & claua, eo nempe schemate, quo illum priscos Gallos finxisse & coluisse Lucianus auctor est. Octodecim assidebant ei virgines, totidem Galliæ Belgicæ cum Burgundiæ Comitatu prouincias denotantes, aureis catenulis ab aure vinctæ omnes, quæ pertetebrata summa dei lingua in ore eius colligebantur, desumpto à Druidis sensu Gallorum sacerdotibus. Etenim sicut illi Herculem suum Ogmium, non monstrorum confectorem, sed flexanima oratione affectuum domitorem ac efferarum gentium ἡμερωτὴν fuisse prædicabant, populosque ab inhumano & barbaro vitæ cultu ad politiorem eloquio traduxisse: Ita nos ea mente patrium numen exhibemus, vt ad idipsum imitandum Principes nouos inuitemus, populi quem regendum concessit illis Deus, naturâ prius cognitâ. Facilia sunt Belgarum ingenia, ac ducenda non trahenda. In eorum regimine lenitate opus est, comitate, humanitate, mansuetudine: melius enim voluntate, quàm metu aut necessitate patet. Humanam curationem partitur bifariam in Politico suo Plato, in violentam & voluntariam. Violētam quidem tyrannidem, voluntariam autem volentiumque bipedum gregis administrationem, ciuilem artem nominat, atque ea facultate præditum omnino ciuilem regémque idem vocat. Longè errat Comici nostri sententia,

Qui imperium credat grauius esse aut stabilius,
Vi quod fit, quàm illud quod amicitia adiungitur:
Malo enim coactus qui satis suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cauet,
Si speret fore clam rursum ad ingenium redit:
Quem beneficio adiungas, ille ex animo facit,
Studet par referre, præsens absensq; idem erit.

Rami præter naturā curuati ad eandem vinculo dempto redeunt, quo respexit Flaccus:

Tolle periclum,
Iam vaga prosiliet vinclis natura remotis.

Alio item loco:

Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.

Nemo enim quem metuit amat, vt graui Aristotelis testimonio comprobatur. Quis enim aut eum diligat quem metuit, aut eum à quo se metui putet? vt Ciceronis verbis vtar in libro de amicitia. Quamobrem *ignorant verum iter gloriæ*, eodem auctore in Philippicis, *qui metui à suis quàm diligi malunt; charum esse, bene de rep. mereri, laudari, coli gloriosum est; metui verò & in odio esse, inuidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod videmus etiam in fabulis, ipsis illis qui dixerunt, Oderint dum metuant, perniciosum fuisse.* Non est igitur quicquam aptius ad opes tuendas quàm diligi, nec alienius quàm timeri. Præclarè Ennius quem metuunt oderunt, quem quisque odit, periisse expetit. Malus enim custos diuturnitatis metus, contraque beneuolentia fidelis est vel ad perpetuitatem, vt in Olynthiaca secunda Demosthenes, in officiis Cicero. Audiamus patrem Commodi de filij imperio in ipso mortis articulo solicitū, cuius ad amicos apud Herodianum exstat oratio: *Este*, inquit, *vos illi pro me vno multi parentes, excolendo scilicet atque optima suggerendo; neque enim aut pecuniæ vis tyrannidis luxuriam explere, aut stipantia satellitum agmina tueri principem possunt, nisi illi ipsi quos regas, animum imperanti beneuolentiamq; accommodent: quippe ij demum diu tutoq; imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate ciuium suorum animis instillant. Neque enim quos seruire neces-*

sitas coëgit, sed quos obtemperare sua quemque voluntas adegit, ij sunt in agendo patiendoq; à suspicione omni assentationeq; vacui: nunquamq; imperia detrectant, nisi violenter contumeliosèq; sint habiti. Sic Herodianus. Hoc vtitur argumento de Mitilenæis delēdis Cleon apud Thucydidem: Non considerantes (alloquitur Athenienses) imperium quod habetis violentum esse, & eos qui parent ad insidiandum intentos, & inuitos parere quos non sitis dicto audientes habituri, per ea quæ illis magno vestro malo gratificati estis, sed per ea potius, quæ potentia vestra non illorum beneuolentia obtinueritis. Non exercitus, non thesauri præsidia regni sunt, verùm amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur, teste rege Micipsa apud Salustium. Itaque beneuolentia quàm timor imperat rectius: Complures enim mali ex venia potius emendationis, quàm ex acerbitate capiunt exordium, & solo nutu serui obedientius & promtius, quàm per flagra & verbera seruiunt. Imperia difficilia si non committendi flagitij tædium, & contra nitendi studium excitant, at fallendi prospicientiam pariunt: eaque magis acerba, quàm diuturna arbitror imperia, neque quemquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat. Contra qui benignitate & clementia imperium temperauerint, his læta & candida omnia visa, auctore Salustio de rep. ordinanda. Quapropter Principes nostros confidimus effecturos, vt quæ opibus & copiis teneri vix possunt, ea sua mansuetudine & facilitate, subditorum verò fidelitate retineant. Non est prætereundum quòd sedentem in hac scena Herculem produxerimus, quod notatum fuisse à quodam antiquariæ rei studioso intelleximus, qui in veterum numis nusquam Herculis sedentis effigiem se vidisse præpostera religione asserebat. Quandoquidem neque ἀλεξίκακον, aut πρόμαχον hîc adducimus, nec vulgares Herculi partes attribuimus, sed ex media Druidum philosophia petitas, & cum benignitate & prudentia coniunctas. Sessionis autem actum aliquid conferre ad sapientiàm non philosophus modò, sed etiam iurisconsultus existimat. Sedendum esse iudici ex L. quisquis. §. fin. Cod. de postulando, à DD. colligitur: vix enim nisi sedeat maturè causam videtur expendere; & latam à stante iudice sententiam non tenere sunt qui notent ad L. A procedente, Cod. de dilationib. & ad Sext. Decretal. de senten. & re iudic. cap. 5. quibus adde Nouell. 82. §. sedebant, & DD. citatos à Roland. à Valle. vol. 1. consf. 41. numero 14. & 39. Legibus quoque iudex extra synedrium iudicans censoriàm pœnam luit. In Cluentiana accusatur Falcula, quòd cùm iudex datus esset, ex lege non perpetuò sedisset. Inter ceteras laudes quas Iosephus in antiquit. Iudaicis asscribit Philippo Euangelicæ saltatriculæ marito, quoties, inquit, domo egrederetur, iter cum paucis faciebat subsequente sella, in qua sedens solitus erat iura reddere, & si quis ex occursu opem eius inuocabat, sine dilatione mox posita ibi sella residens causam cognoscebat, aut sontem damnaturus, aut innoxium absoluturus. Plautinus in Mostellaria Tranio seni treuropidi sic eum alloquenti,

Surge dum huc, est consulere igitur quiddam quod tecum volo.


Respondet,

Sic tamen hinc consilium dedero, nimio plus sapio sedens.

Sedendi igitur actum in Hercule nostro haud perperam expressimus eloquij præside, communi cum Musis æde culto, quæ Herculis Musarum fuit appellata, vt Sueton. Augusto, cuius ibi mentionem è diuersis auctoribus & nūmis collegit Læuinus Torrentius huius vrbis antistes singulari litterarum scientia ornatissimus. Μουσηγέτην, vel Μουσηγέτω, vt Apollinem vocat Plutarch. in quæst. conuiual. vt Macrob. in somnium Scipionis, Græci venerabantur Herculem, id est, comitem ducemque Musarum, vt Eumenius rhetor in Panegyrico refert. Catenam asscribi mortalibus demissam etiam Mercurio apertè omnia & dilucidè explicanti, memini legisse apud Eunapium in vita Porphyrij.

Quatuor gradationibus nymphæ illi assidebant subselliis inferioribus, cum suis singularum prouinciarum insignibus.

A pro-


NON ARMIS
OPVS.
TYPVS HERCVLIS GALLICI.

A proſcenio infrà depicti erant Herculei labores, cum mythologica inſcriptione:

Aper:
Affectus domat Alcides.
Centauri:
Motusq́; refrenat Imperio virtutis.
Antæus:
Fraude reperta Vincitur Antæus.
Hydra:
Principiis obſta ſcelerum, naſcuntur ab vno
Plurima.
Nemeæus leo:
Ratione furores Indomitos animi compeſcuit.
Cerberus:
Se gloria faucibus Orci Liberat.

Dramatis argumentum per hos verſus in tabella ſupra affixa explicabatur:

Non armis opus Herculeis, non vindice ferro eſt,
Sponte ducem ſequimur placidum, monitisq́; benignis
Præbemus patulas quo nos deduxerit aures.
Imperiis, Alberte, tuis & coniugis vltrò
Adſumus, vt quocunque vocas reuocasq́; ſequamur.

ELEPHANTI HYMENÆVM GESTANTIS DESIGNATIO.

AD ingressum fori ante vicum viteum, suggestum materiatum elephantus sustinebat, & in eo sex pueros symphoniacos, quorum vnus editiori loco in medio consistens, habitu & cincinnis Hymenæum referebat. Hi in musicam harmoniam ex arte redactos per Cornelium Verdonckium musicum celeberrimum modulabantur hos versus:

Prome nouas, Hymenæe, faces, noua gaudia Belgis,
Serta salutifero myrtea sparge toro.
Diua petit thalamum diuos genitura iugalem,
Pax sit amore, salus fœdere, dote quies.

Tabella pectori belluæ affixa hæc verba continebat:


VT MAXIMVM SVM ANIMALIVM, ITA OMNIVM MAXIMVM SVSTINEO DEVM AMOREM.


Magnum eum & mirabilem vocat Plato in Sympos. & antiquissimum, augustum, maximoque honore colendum ex Hesiodo & Parmenide Plutarch. in Erotico, atq; eum esse Marti præferendum, quod nos illi assentimur: ad quem sensum versus pertinebant suggesto inscripti:


Non iam turrigeras portare ad prælia moles,
Pondera nec dorso Martia ferre iuuat.
Blandus Hymen thalami gestatur sarcina magni,
Et fera pacifici munus amoris obit.

In aliis lateribus verba erant scripta Apollinis oraculo veriora, cum populi Belgici votis coniuncta:


FOECVNDITAS VT ORBIS, SIC ET IMPERII STABILIMEN EST.


P
Rome nouas,Hy menæ e faces,Hy menæ e faces, ij. noua gaudi a
Belgis,noua gaudia Belgis, ij. Serta ſalu ti fe ro myrtea ſpar-
ge to ro. Diua petit thalamum diuos genitu ra iu ga lem, Pax fit a-
more, ſa lus fœde re, do te qui es.Pax fit a mo re, ſa lus fœde re, do te quies.


P
Ro me nouas,Hy me næe fa ces, Hymenææ faces, noua gaudia Belgis,noua gaudi a
Bel gis, ij. Ser ta ſa lu ti fe ro myr te a ſpar-
ge toro.Diua petit thalamum pe tit thalamum diuos genitura iu ga lem,
Pax fit a more, ſa lus fœ de re, do te quies.Pax fit a mo re, ſa lus fœde re,dote qui es.


P
Rome nouas, noua gaudi a Bel gis, no ua gaudi a noua gau di a Belgis,
ij. Ser ta ſa lu ti fe ro myrtea ſpar- ge toro. Diua
pe tit tha lamum di uos ge ni tu ra iu ga lem, Pax fit a mo re, ſa lus
fœ de re, do te qui es. Pax fit a mo re, ſa lus fœ de re, do te qui es.

Prome


P
Rome nouas,Hy menæ e fa ces, Hymenæ e fa ces, noua gau di a no ua gaudia
Bel gis,noua gaudi a Belgis, ij. Ser ta ſa lu ti fe ro myrte a ſpar ge to ro.
ſpar ge to ro. Di ua petit tha lamum diuos genitu ra iuga lem, Pax fit amore, ſa lus
fœ de re, do te quies. Pax fit a mo re, ſa lus fœ de re, do te qui es.
P
Ro me nouas, Hyme næ e faces, Hymenæ e fa ces, no ua gaudi a Belgis, noua
gau di a Belgis, ij. Ser ta ſalu ti fe ro myr te a ſparge to ro, ſparge toro.
Diua pe tit thalamum Pax fit amore, ſalus fœ de re, do te qui es. Pax
fit a mo re, ſa lus fœ de re, do te qui es.
P
Rome nouas, no ua gau di a Belgis, no ua gau di a Belgis. ij.
Ser ta ſa lu ti fe ro myr te a ſpar ge to ro, ſparge to ro. Di ua pe tit thalamum
di uos ge ni tu ra iu ga lem, Pax fit a more, ſa lus fœ de re, do te qui es.
Pax fit a mo re, ſa lus fœ de re, do te qui es.

GIGAN-


NON IAM
TVRRIGERAS.

GIGANTIS CVM CVPIDINIBVS ICONISMVS.

AD forum læua flectentibus, inter Palladis & Neptuni ſtatuas erat tranſeundum, pedes altas tredecim, octo pedũ baſibus impoſitas; Neptuno aſſcribitur:

MAGNI ET GENEROSI PRINCIPIS EST, BELLVM NON TAM CVPERE QVAM NON TIMERE.

Cui ex aduerſo velut reſpondens Pallas cum haſta in oleam deſinente, hoc elogium habet aſſcriptum ex Salluſtio petitum:

TAM PACE QVAM BELLO CLARVM FIERI LICET.

In medio foro coloſſus erat poſitus, qui in pompa amburbali inter cetera fercula quotannis locum habet, ſed mutatâ ad hanc actionem perſonâ. Cupidines pari cum prouinciis numero coloſſum, qui Martem tunc referebat, armis ſpoliabant, ea ſuper ara Principibus illuc venientibus exurebant, atque auſpicatis eorum nuptiis deuouebant, tanta alacritate, vt à riſu nemo ſpectatorum temperaret: inſcripti aræ verſus ſenſum dramatis exponebant:

Has belli exuuias thalamo ſacrare iugali
Fert animus, noſtriſq; ferum depellere Martem
Finibus; his veſtros tædis veneramur amores.


MAGNI ET
GENEROSI.
APPARATVS


HAS BELLI
EXVVIAS,
TAM PACE
QVAM BEL-
LO.
IN FORO .

PEGMA POLITICVM AD ÆDES SENATORIAS.

ANTE ædes Senatorias excitata erat temporaria ſcena, longa pedes ſexaginta, lata viginti, columnis ingentibus Corinthiis ſubſtructa. Ab area vſque ad ſummum faſtigium, cuius acroteriis inſiſtebant aquilæ, ſublimis erat pedes ſexaginta, duplici commodè apta vſui. Nam introitus tempore dramati ſeruiebat, ad ciuilem ſtatum egregiè conformato, ac in quatuor ſuggeſta diſtincto gradatim aſſurgentia, quibus haud inelegantes virgunculæ inſidebant, politicæ rei perſonas ſuſtinentes.

Summum locum obtinebant Pax & Iuſtitia, hæc cum oleæ in manibus ramo, & amictu candido, Furorem cum face pedibus calcabat: Iniuriam illa feminam perſonatam, viperinam ex ore linguam exſertantem, cum ſpinarum manipulo & fracta in manu libra. Huiuſmodi typum Iuſtitiæ obſtricto collo Iniuriam trahentis, & malè mulctantis ex Pauſania obſeruauimus priore Eliacorum.

Alterius ſeſſionis perſonæ erant: Themis, Palladis more culta & armata.

Aſtræa virgo aligera cum regula in manu Lesbia.

Eunomia candido amictu ſceptrum tenebat cum extenſa in ſummo manu, & in eius palma oculum, alis ſceptro affixis.

A libra noſcebatur Æquitas & cornu Amaltheæ.

A Veſtalis virginis habitu Religio.

Ratio ſcutum tenebat, & in eo pictam virginem leoni inſidentem, eumque freno regentem.

In tertio ſuggeſto ſeptem diuæ ſedebant: Prudentia ſerto coronata ex mori arboris foliis, ſagittam dextra tenens, cui Echenëis circumplicatur, ſpeculum ſiniſtra.

Poteſtas in ſcuto depictum geſtabat exſertum è nube brachium cum manu gladium ſtringente. Omnis enim poteſtas à Deo eſt, ipſo teſte apud regium Vatem: *Per me Reges regnant*. Et imperium Deo acceptum refert de conceptione digeſtorum Imperator, idque de cælo conſtitutum aſſerit in præfatione Nouel. 73. ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες in hymnis Homeri & Callimachi exſtat, & Heſiodi Theogonia. A Ioue originem pleroſque Reges duxiſſe teſtatur in priori Alcibiade Plato:

Auctoritas matrona veſtem auream induta, ſceptrum dextra, duas claues tenens læua.

Iuriſdictio veſtem purpuream, faſces conſulares penes ſe habebat.

Nemeſis virgo alata rotæ inſiſtens, cum freno in manu & regula.

Eubulia rubro amictu cum catena aurea collum ambiente, de qua cor humanum aureum dependet, librum dextra, noctuam tenens ſiniſtra. Nihil autem principatui neque reipub. vtilius magiſque neceſſarium eſt hac conſultrice diua. Vera apud Symmachum lib. 4. ad Stiliconem eſt ſententia: *Summis imperij moderatoribus pia & decora ſuadentes, inſtrumenta ſunt boni ſeculi. Eſt quidem rectori noſtro diuini fontis ingenium, & omnium virtutum promta natura, ſed vt imagine vti liceat, optimos gubernatores mediocriter etiam remigum manus iuuat.* Hæc ille. Sunt igitur optimi Principum conſiliarij qui optimi finis rationem ſpectant, vt in ſecundo Alcibiade docet Plato, atque hanc εὐβουλίαν, vel conſilij præſtantiam ἀρετὴν definit alibi λογισμοῦ σύμφυτον, id eſt, virtutem rationi inſitam: vbi λογισμοῦ non malè legeretur. Quæ quidem ratio dictat, vt non tam iucunda quàm vtilia ſuggerantur. Et cùm vtrumque obtineri nequit (Athenienſibus ſuadet Demoſthenes Olynthiaca tertia, & Philippica ſecunda) optima & ſalutaria facillimis & iucundiſſimis ſunt anteponenda. Qui probi ciuis officium eſſe cenſet τὴν τῶν πραγμάτων σωτηρίαν ἀντὶ τοῦ ἐν τῷ λέγειν χάριτος αἱρεῖσθαι: Salutem Reipub. ei quam quidam dicendo aucupantur gratiæ præponere. Multi enim Principum auribus ſeruientes ad voluptatem loquuntur, iiſque ſecus quàm

res

res habent, indicant. Quod veritus Nicias, cùm legatos è Sicilia Athenas mitteret, qui præsentem rerum statum ibi nunciarent, sic inter cetera scripsit: His ego iucundiora vobis scribere poteram, non tamen vtiliora, si modò decet vos rebus nostris apertè cognitis deliberare, ac præsertim cùm habeam ingenia vestra probè nota, qui iucundissima quidem vultis audire; sed si quid ex iis non perinde successerit, postmodum accusatis, tutius duxi verum promere, vt tradit lib. 7. Thucydides. Parasiti potius quàm Eubuli partes sumit, adulatoris quàm consultoris, qui ad sensum & voluntatem, gratiam nutúmque alterius sic conuertitur, vt in rebus arduis Terentij Gnathonem, vel Plauti Peniculum proponat imitandum: Negat quis, nego; Ait, aio. Quod eò est periculosius, quò maior ampliorque ad vanitatem accedit auctoritas. Sanioris consilij paradigma nobis exstat apud Pontum Heuterum rerum Belgicarum lib. 7. Maximiliano primo Cæsari dati à Ioanne Hautemio Brabantiæ Cancellario: Regnum, inquit, Belgicum monarchiâ prudentibus probisque consiliariis fultâ stare durareque multorum seculorum experientia comprobatum est. Dico fultam probis consiliariis, quòd populus natura generosus, animi excelsi, mortis, fortunarum imò vxorum liberorumque facilè contemtor, si ingenerosè seruiliterque habeatur, cito in vindictam exsurgat. Nec aliud Belgarum Regibus exspectandum est, quacunque etiam se muniant ratione, arte & potentia, si contra leges durè, inhonestè ac superbè imperare cœperint, quàm cõtinuæ coniurationes, rebelliones, cædes, sanguinariæque secessiones. Regnorum enim fata & interitus præsagit lib. 5. de Repub. Aristoteles, vbi Reges conantur, magis quàm par est, ferociter imperare, pluriumque rerum quàm fas est potestatem sibi tribuere, idque contra legem. Progreditur Hautemius. Contrà si secundùm leges leniter, honestè, humaniterque tractentur, nulla natio, nulla prouincia, fideliùs Principes suos agnoscit, colit, reueretur ac iuuat. Experti sunt huius rei veritatem Principes Burgundi, sola Belgarum ope, auxilioque, florentissimo Francorum regno non solùm resistentes, sed ad quas voluere conditiones aliquando cogentes. Experientur & Austriaci tui, clementissime Cæsar, si vt tu fecisti, & nos non dubitamus facturos, nepotes tui eadem ratione imperarint. Sic Hautemius Cancellarius. O fidelem consultorem, ac animorum prouinciæ gnarum! Noscenda siquidem populi quem regere vis natura est, ciuiúmque voluntates, quíque eas callet, prudens dicitur teste Plutarcho; atque ad consilium de Rep. dandum caput esse ait Tullius, nosse Remp. Est itaque Principibus peridonea & necessaria sapientium virorum consuetudo, vt prudentia & summa potentia naturæ vi quadam & quasi lege in vnum conspirare videantur. Sic vbi de Hierone vel de Lacedæmonio Pausania incidit sermo, iuuat commemorare Simonidis amicitiam, quæ cum illis intercessit, & ea quæ cum illis vel dixerit, vel fecerit recensere. Eodem modo Periandrum Corinthium & Thaletem Milesium vnà solent commendare, Periclem & Anaxagoram, Crœsum & Solonem. Atque ea imitantes poëtæ, Creontem & Tiresiam vnà componunt, Polyedum & Minoem, Agamemnonem & Nestorem, Vlyssem & Palamedem, & mea quidem sententia in eum finem prisci homines Prometheum cum Ioue compararunt. Hæc Plato secunda ad Dionysium epistola. Ceterùm quantopere Principibus expediat virorum sapientium consiliis vti, tractatum habemus apud Chæroneum, ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι δεῖ τὸν φιλόσοφον διαλέγεσθαι, quod philosophum maximè deceat cum principibus colloqui. Qui enim Principi benè consulit, vel eius sententiam in melius mutat, cum Rep. philosophatur, atque vniuersitatem corrigit, qua reguntur omnes. Sacerdotibus reuerentiam & honorem impartiuntur ciuitates, quòd bona non sibi & amicis ac domesticis modò, sed in commune ciuibus vniuersis à diis immortalibus votis suis precentur. Tametsi deos ipsi haud efficiunt bonorum largitores, sed quòd tales sint eos inuocant. At philosophi Principum vtentes consuetudine, iustiores eos reddunt, & æquabiliores, magisque ad beneficentiam beneuolos. Lyræ artificem ad eam faciendam libentiùs se comparaturum existimo, si se illa muros Thebanos ædificaturum, vt Amphion sciret, vel Lacedæmoniorum seditionem sedaturum, concentu eius ad placandos animos, vt Thales, adhibito. Gauderet & faber clauum nauis fabricans, si prætoriam Themistoclis nauem, qua Græciæ libertatem de-

ſendit, eo gubernatum iri præſciret, vel Pompeij qua piraticum bellum confecit. Quid igitur exiſtimas ſi de ſermone philoſophus cogitet, virum politicum qui hunc accipit, publicum præſidium fore ciuitatis, iuri dicundo, legibus ferendis, vindicando in ſceleratos, prouehendis bonis & honeſtis viris? Sic Pericles vſus Anaxagora, Dio Platone, Italiæ optimates Pythagora, Cato Athenedoro, Scipio Panætio. Huiuſmodi viros Alexander Seuerus in conſilio habuit, vt refert Lampridius, qui nimirum nunquam exiſtimationem Principis decipiebant, ſed amabant. Neque in tractanda Rep. ad auream meſſem acceſſuri ſe parabãt, vt Stratocles & Dromoclides ſe mutuò hortabantur. Nec quidquam prætereа gloriæ Principum decedit, quòd res benè gerant aliorum conſiliis, cùm ſummi etiam gubernatores in magnis tempeſtatibus à vectoribus admonentur.

Homodoxia, faſciculum iaculorum inauratũ tenebat. Hanc ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων ὁμοδοξίαν, ſiue eorũ qui imperant & qui parent conſenſionẽ, pro prima reip. benè conſtitutæ parte ponit Plato lib. 4. de rep. Nam omnino conſiſtere nequiret reſpublica ſine hac magiſtratus & populi conſenſione, vt legitimè ille imperet, hîc verò legitimis imperiis pareat.

Subſellij infimi perſonæ erant, Vigilantia femina armata, cuius galeæ cono grus inſidebat, anſer aſtabat.

Autonomia ſiue ſuis legibus viuendi poteſtas in oblongo ſcuto ſcripta habebat verba, IVS QVIRITIVM.

Eloquentia ex ianthina veſte nuda brachia exſerebat, haſtile ſtringens dextra, fulmen ſiniſtra. De eloquij in Rep. facultate ſuprà diſſeruimus in Hercule Gallico. Lupum aiunt non teneri auribus, populus auribus ducendus eſt maximè, ſecundùm Plutarch. in præcept. politic. Periclis & Niciæ comparatione, quorum hic ſermonis potentia, qua valebat, ſeruauit ciuitatem, ille deſtitutus dicendi facultate rempubl. euertit. Sed ne quis exiſtimet nos de artis rhetoricæ eloquentia hîc agere, vel de illa quæſtione diſputare velle, vtrum meliùs & commodiùs remp. adminiſtrant, qui tardioris ſunt ingenij, quàm qui ſolertioris, & quatenus eloquentia ſit vtilis reip. quod in vtramque partem tractatur à Thucydide lib. tertio, diſſeritur à Tullio lib. primo de orat. à Platone definitur lib. 3. de legibus: nos ad eam eloquentiæ partem reſpeximus, quæ humanitatem, comitatem, beneuolentiam complectitur.

Aſſidebat Fidelitas cũ candido amictu, magnũ annulum aureum habẽs, aſtante catello.

Æternitas imperium his virtutibus nixum perpetuum fore notabat. Cærulea eius veſtis ſtellis aureis erat conſita, aureum item ſerpentem in annulum contortum manu tenebat, terreſtrem globum læua.

Duæ denique virgunculæ pro Iuſtitiæ typo perſonatæ aſſidebant.


Commutatiua quæ notas Arithmeticas, Diſtributiua figuras Geometricas in tabula oſtendebat.

Ad perfectionem dramatis, in extremo vtrinque intercolumnio ternæ ſtabant perſonæ, in tabella ſuper haſtili argenteo nomina ſua deſcripta prętendentes: muliebres à dextra, Monarchia, Ariſtocratia & Democratia. Huiuſmodi regni ſtatum è regali, optimatum & populari mixtum, pręſtantiſſimum iudicarũt philoſophorum principes Plato & Ariſtoteles, & benè conſtituendæ reip. auctores Cicero & Polybius. Sicut enim in fidibus ac tibiis atq; cantu ipſo ac vocibus concentus quidam eſt tenẽdus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, isque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: ſic ex ſummis, mediis & infimis, & interiectis ordinibus, vt ſonis, moderata ratione ciuitas conſenſu diſſimillimorum concinit: & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, ea eſt in ciuitate concordia, arctiſſimum atque optimum in rep. vinculum incolumitatis, quæ ſine iuſtitia nullo pacto eſſe poteſt.

Viriles perſonæ Romano ſchemate cultæ Iuris Naturalis, Gentium, & Ciuilis typum exhibebant: zophoro erat inſcriptum:

Et regere imperio facili, Dux magne, memento,
Hæ tibi ſint artes, paciq; imponere morem.

Operis



SCHEMA PEGMATIS POLITICI.

PAVCIS inde passibus ad forum vetus frumentarium nauis erat posita, cum nautico apparatu suisque armamentis. Quæ cùm antè & ponè, dextrâ ac sinistrâ, & in orbem flecteretur, classicas functiones ex arte exercentibus decem naauiculariis, non infacetum præbebat spectaculum, nec erant inconcinni inscripti tabulæ versus:

Ite rates, vndæ fremitum posuere minaces,
Et freta Tyndaridæ spondent secura gemelli,
Desuetasq. iubent pelago decurrere puppes,
Auster & optatas afflabit molliter auras.

Præcesserat vt diximus Senatorius equitatus, qui cùm in viam altam peruenisset, tantisper ibi substitit, dum suæ Celsitudines cum Principibus & familia per forum frumentarium ad ædem D. Virginis augustissimam deflecterent. In templi ingressu lustrali ipsis aqua per Episcopum oblata, hymnoque, *Veni creator Spiritus*, inchoato, per clerum eo ordine quo venerant dispositum, ad chorum perrexerunt. Ibique ante summum altare in genua procumbētes, post solemnes ex ritu precationes, prædictus Illustrissimus & Reuerendissimus nomine ordinis Ecclesiastici, præcepta quædam de officio Principis pro re nata miscens, breui hac oratione aduentum gratulatus est, quàm ex sermone Gallico, quo vsus est Episcopus, in Latinum sic conuertimus:

SI vllum vnquam diem nobis illuxisse prosperum, felicem, & auspicatum gaudere & gloriari licet, PRINCIPES SERENISSIMI, hodiernus certè est, quo vestra vrbs Antuerpia post tot tantasque clades tam animi quàm corporis, vestratum Celsitudinum supremorum Principum nostrorum præsentiâ recreatur, ac sidere meliori omnia præteriti temporis nubila, tempestates & fulmina dissipat atque amouet. Vt enim quocumque sol radiis pertingit, suamque vim exserit, humores noxios tollit, aëris vitio medetur, sterilemque terram fœcunditati natiuæ restituit, ipsorumque hominum (quos astra nonnunquam ad bonum vel malum reddunt propensiores) opiniones aut temperat, aut mutat: Sic vestræ Celsitudines instar lucidi solis, (qui Regum optimorum Principumque typus est) religionis & pietatis suæ radios effuderunt in hanc ciuitatem & S. R. Imperij Marchionatum, & sperare nos faciunt, imò certè confidere, corruptas voluntates hominum malè sentientium, tandem aliquando sublatum iri, & auctores factionum, qui sub ementitę religionis velo quietum Belgicarum ditionum statum turbare conati sunt, deposita pertinacia ac mente mutata, ad veram debitamq; Deo & Ecclesiæ obedientiam, Principumque suorum auita propagine nobis concessorum, obsequium reditutos, augustissimæ verò domui Austriacæ & Regibus Catholicis Hispaniæ splendorem, Burgundicæ familiæ suam prosperitatem, in pristinam magnitudinem florem que reuersuram, & instar phœnicis ad conspectum famamque benignæ gubernationis vestræ vitam denuò recepturam. Video enim vestras Amplitudines ad veram stabilemque concordiam & pacem munire sibi viam, omnésque suas actiones ad hunc scopum dirigere, nec aliò collimare, quàm vt ante omnia pacē cum Diuina Maiestate concilient, non sibi solùm & domesticis, verùm etiam subditis, quos omni lenitate ad sanctam religionem Catholicam Apostolicam Romanam veramq; fidem bonis operibus & exemplis admonent, procurantes vt suum vnicuique reddatur, iuxta iura, priuilegia, & præclaras patriæ consuetudines; malos, populique oppressores puniendo, bonos honoribus & præmiis inuitando. Quod vnum ad solidam pacem stabiliendam necessarium esse, in ciuitate Aurelianensi singulari bonitate & insigni miraculo demōstrare voluit Deus: quemadmodum in libro pragmaticæ apud Gallos sanctionis scriptum reperitur. Rex enim Robertus Hugonis Capeti primi ex ea familia Galliæ Regis filius, precibus deuotè ante Crucifixi imaginem fusis ad pacem obtinendam, responsum accepit, à Domino in cruce pendente, pace eum non antè potiturum, quàm blasphemos, aliosque

criminibus publicis obnoxios pro meritis puniret. Vera certè & vnica constituendæ pacis Christianæ ratio, & in animis hominum sanctam fidem nostram & religionem inserendi ac plantandi modus. Ad quam restituendam atque conseruandam monarcharum ille maximus Philippus secundus tuæ Celsitudinis Pater (qui æterna cum Deo gloria perfruitur) labores suscepit cum periculis innumeros, sumtusque immensos fecit, Celsitudinesque vestræ non cum clementis solùm in illa ancipiti ad has prouincias expeditione, sed etiam cum piratis fortiter dimicarunt. Multa hîc de subsidiis auri argentique, multa de auxiliis ducibusque belli, tuo, PRINCEPS SERENISSIMA, nutu & consilio ad nos adiuuandos & liberandos missis, commemorare possem, & laudum tuarum, PRINCEPS SERENISSIME, victoriarumque pelago me committere, bellaque pro sancta fide nostra summo cum labore & cura suscepta ac fortissimè gesta, recensere, de pace denique cum Gallis opportunè inita & transacta, verba facere: sed ne præsentes videar laudare, eaque commendare quæ in ore sunt omni populo, hoc vnum tantùm dicam, me cum omni Clero, Senatu, populóque vniuerso huius vestræ ciuitatis, dum propensam Celsitudinum vestrarum ad hanc vrbem ditionemque tam in Ecclesiasticis quàm in rebus secularibus tuendam & propugnandam, voluntatem perpendo, exprimere nos haud posse immensam lætitiam, quam ex optatissima vestra præsentia felicique inauguratione capimus; incerti an vobis gratulari debeamus, vel potiùs nobis ipsis, qui hac occasione singulari beneficio afficiemur. Deo itaque omnipotenti gratias ago quàm possum maximas, quòd eiusmodi nobis Principes dedit, de quibus certam spem concepimus, eos sine personarum exceptione subditos suos omnes complexuros, recturos, solaturos; quemadmodum à Rege regum bonæ administrationis & gubernationis præmium & coronam æternam in cælis accipere desiderant. Quod factu erit facile, si iuxta legem naturalem vestræ Celsitudines subditos ita habeant, vt haberi ipsæ vellent si eorum loco essent. Cuius meminisse optimum est, & corpori atque animæ vtilissimum, instabilem sortem rerum, atque fluxam huius seculi & hominum vanitatem perpetuò meditari. Hoc summo Pontifici ad sublimem illam qua nulla in terris maior est, dignitatem euecto, & octophoro humerisque ad ædem D. Petri gestato vt accipiat diadema, eiusmodi ostenditur paradigmate. Suam enim Beatitudinem vir Ecclesiasticus quidam præcedit, qui affixas cannæ stupas singulis viginti aut triginta passibus incendit, clamarque alta voce; Sanctissime Pater, Sic transit gloria mundi: quod hisce meis oculis vidisse, auribusque audiuisse testari possum. Romanis quoque in vsu fuit, cùm ob rem benè gestam triumphus alicui decerneretur, vt in ipso curru quo vehebatur triumphans Imperator, seruus publicus aduheheretur, qui coronam auream gemmis distinctam ponè sustinens admonebat triumphantem, vt respiceret; appensum enim ad currum erat tintinnabulum cum flagello, vt se hominem esse meminisset, & humanæ fragilitatis & instabilitatis huius mundi obnoxium. Principum enim Regumque ac ipsorum etiam Cæsarum dignitates & imperia incerta velut è filo pendent, nisi stabiliantur & confirmentur per illum qui accipiens formam serui, vt genus humanum in libertatem assereret, in Crucis ligno pati voluit: sub cuius signo sicut ego & clerus hic totus nomina dedimus, & instar seruorum Christi, capite raso cum eiusdem vexillis obuiam Celsitudinibus vestris processimus, ad fidele debitumque obsequium iisdem præstandum, ita cum submissione animorum supplicamus, vt nos in clientelam tutelamque (vti confugientes ad Imperatorum statuas assolent) recipiatis, iurisdictionem Ecclesiasticam, bona nostra & priuilegia, immunitates & libertates quæ sacris Canonum constitutionibus, & religiosa Imperatorum, Regum, Principumque harum regionum, maiorum vestrorum pietate, tam liberaliter sunt indultæ, & à vobis tam beneuolè promissæ & iuratæ, conseruetis. Nos interim non omittemus vt serui eius indigníque ministri qui imperia suo nutu confirmat & dissipat, totis viribus opibusque nostris, licet exiguis per arma Ecclesiastica, & alia nostræ professioni licita anniti & contendere, vt inferioris Germaniæ corona (quæ regio diademati comparatur à quibusdam Canonum doctoribus) in capite vestro firmiter hæreat, virtute huius signi, quo Constantinus ille magnus, tantas tamque præclaras

victorias

victorias obtinuit, vestræque Celsitudines in posterum obtinebunt (nisi peccata nostra impediant) si & bella iusta gerere continuauerint, & heroicas suas actiones iuxta doctrinam, exemplū & symbolum per hoc signum (verum speculum & normam Principum Christianorum) adumbratum direxerint, ex doctrinæ eiusdem regula subditos vestros complectentes, præcipuè ordinem Ecclesiasticum, vt prudens dominus famulos suos excipit, bonus pater filios, licet frugis parum bonæ, tractat, & sicut verus pastor dispersum colligit gregem. Nos tempore opportuno lactis lanæque copiam vobis dabimus, seruiemus, obsequemur, amore filiali in quacunque occasione tam pacis quàm belli cum omni animorum propensione & fidelitate. Quod demissi animi obsequium à me, tanquam inter Clerum infimo, ad declarandum eiusdem affectum syncerum, & propēsam voluntatem Celsitudinibus vestris oblatam, vt boni consulant etiam atque etiam rogo, Deumque omnipotentem oro, vt vitam eisdem per multos annos prosperam seruet & incolumem, cum florenti posteritate, tantaque magnitudine, totque victoriis, ac profunda tandem pace, quantam nos fideles subditi & facellani ipsis exoptamus, atque respublica Christiana ad tantas extremitates redacta, postulare videtur. Sic Reuerendissimus.

Peracta oratione, hymnóque decantato, conscensis rursus equis, cœptum iter prosequuntur.

FORNIX

DESCRIPTIO CVRRVS TRIVMPHALIS NEPTVNI.

HVC in foro, cui à litore nomen, lepidissimum Neptuni accedebat spectaculum, curru suo inuecti cum vxore Amphitryte, alioq; æquoreæ pompæ comitatu. Præter equos marinos naturalibus grandiores, quibus nudi Cupidines insidebant, & Sirenes in anteriori currus parte positas, viuæ erant reliquæ personæ ludicro schemate cultæ. Tritones hastilibus tabellas præferebant, & in iis inscriptũ:

Dicto citius tumida æquora placat.

Et,

Vltrà Garamantas & Indos.

Totius machinæ affabrè nitidéque compositæ in pedes viginti octo longitudo protenditur. In summo tridentigeri regis ponti solio hi versus legebantur, ad communia Belgarum vota conformati:

Tradimus æquorei vobis, Dux magne, tridentis
Cum thalami consorte tui ius omne, queatis
Vt pontum populósque mari sedare propinquos.
Non erit inuitos opus expugnare, benigni
Fascibus imperij domiti flexiq́, volentes
Rursus ad obsequium mutata mente redibunt.

Nemo in rebus Belgicis tam est peregrinus, qui ignoret quanta fiet ad amplitudinem Principatus accessio, maritimis prouinciis vel domitis vel pacatis. Si enim sigillatim omnia expendamus quæ ad rem naualẽ & potentiam requirũtur, eas ditiones maxima quæuis regna populosq; nauigandi Oceani peritos non æquare modò re ipsa cõperiemus, verùm etiã superare. Viris in hac arte exercitatis opus est? Nusquã maior est frequentia currentium equis ligneis per cęruleas vias hominum, vt Plautinis verbis vtar. Siquidem classiarios referri in censum posse ad fidem superantia multa millia ex fidedigno relatu accepimus: Qui non solùm industriam & solertiam rei nauticæ communem cum aliis maritimis gentibus habent, sed aduersus tempestates corporum viribus præstant; armis animisque in nauali prœlio & nautæ & militis officio perfunguntur audacia admirabili. Si classis instruenda est, naues præsidiarias siue onerarias ad maritimi belli expeditionem sexcentas ex his portubus suis educere Princeps potest, & classem procinctam habere exiguo mensium spatio. Idque ob naupegorum, armamentorum, & classici apparatus ac commeatus copiam. Quàm peritiâ nauigandi nullis cedant nationibus, hoc recentes ad remotas Orientis insulas, & conatu memorabili Septentrionem versus nauigationes docent. Et testabitur amplissima Venetorum resp. quor, & quàm longinqua emensi fuerint maria, cùm à ponto glaciali sub Septentrione sito, in Adriaticum peruenerunt. Nihil itaque desideratur ad inauditam præteritis seculis velificationẽ, quàm vt ab Arctico polo digressi, circumnauigato terrarum orbe vniuerso, relicto à tergo mari indico, Iaua, insulis Philippinis, ac præteritâ Iaponiâ, ad polum eundem reuertantur: vel saltem explorent, quousque eo cursu ad promontorium Tabin, Plinio notum lib. 6. cap. 17. & deinde ad fretum nouæ Zemlę perueniri queat, vel ad eam maris oram ad quam per dictum fretum è Septentrione penetrarunt. Equidem sic existimo si in Colæ fluminis portu (vbi peragratâ ante annos viginti terrestri itinere Moscouiâ nauem ad reditum in patriam conscendi) vel si commodus inuenitur apud Pezoram portus freto vicinior, hibernare cum classe integrum illis foret, explorato per speculatores opportuno anni tempore, freti aditu transituque, rem facilius posse confici. Hæc ideo à me scribuntur, tam ob cognoscendarum rerum externarum quo flagro desiderium, vtpote qui ab ineunte ætate



NEPTVNI.



GRAPHICA DESIGNATIO OPERIS FVGGERORVM.

OPVS TRIVMPHALE IN PONTE D. IOANNIS.

AD D. Ioannis pontem qui ſtatim occurrebat, ſpectaculum exhibebant ingentes duæ ſtatuæ, in materiato opere ad pedes quinquaginta ſubſtructo, ſub duobus fornicibus iacentes, ad pedum triginta duorum latitudinem cum reliquo operis apparatu patentibus; profunditati tredecim pedes aſſignati. Incumbebant ſuis vrnis vtriuſque ſexus ſimulacra, hinc Oceani typus, inde Tethyos erat; ex huius vrna coloris rubri vinum, ex illius lac profluebat. In ſummo faſtigio machina erat poſita, quæ cærulei coloris aquam ſpiritali Heronis artificio eiaculabatur ad mirandam altitudinem; vt tres liquores illi cum Infantis ſtemmate concolores eſſent. In quadrata faſtigij tabula à Neptuno coronatur Albertus, Lyſandri exemplo, vt in Phocicis tradit Pauſanias; ab Amphitryte Iſabella, quod carmine tabellæ ad zophorum affixæ perſpicuum reddebatur:

Fas eſt veſtra, Duces, innectere tempora ſertis
Æquoreis, quibus Oceani ſunt æquora curæ.
Pandent vela Noti ſecura, reciproca Tethys
Libera pacato reddet commercia mundo,
Vina fluent riuis, & flumina lactea ripis.

ARCVS SECVLARIS EXACTA DESCRIPTIO.

VLTERIVS progressis in viam Michaëliam ad primum à dextra vicum, vndè liber prospectus ad palatij ingressum patet, arcus erat transeundus, quem à decima sexta humanæ salutis per Christum inchoatæ annorum centuria, Secularem nominauimus, ad pedum centum altitudinem pertingentem æquali cum annorum absoluti æui numero Moles erat vastissima ad quadraginta quatuor in latitudine pedes extensa, è quibus portæ hiatus viginti vendicabat; fornicis eleuatio triginta tribus assurgebat. Columnæ laterales operis erant Corinthij, transitum apertionis viginti pedibus metiebamur. Depicta in interstylobatiis emblemata ad quatuor ætates poëticas pertinebant, auream videlicet cum hac inscriptione:

Felices vbi luxus abest dissuasor honesti.

Enimuero non metimur felicitatem seculi quo Saturnus regnauit inuentis poëtarum ex professo hyperbolicis, quale in genethliaco in gratiam Pollionis vaticinatur fore Maro, vel in illis versibus Æneid. VI. Augusto attributis:

—— aurea condet
Secula qui rursus Latio regnata per arua
Saturno quondam.

Sicut eidem blanditur Horatius lib. 4. Od. 2.

Quo nihil maius meliúsve terris
Fata donauere boníque diui
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum
Tempora priscum.

Et Honorio Claudianus lib. 1. in Ruffinum.

Tunc tellus communis erit, tunc limite nullo
Discernetur ager; nec vomere sulcus adunco
Findetur, subitis messor gaudebit aristis.
Rorabunt querceta fauis, stagnantia passim
Vina fluent, oleiq; lacus.

Eiusmodi vbertatem Cyclopum insulis Homerus Odys. 9. asscribit:

Οὔτε φυτεύουσι χερσὶ φυτὸν, οὔτ' ἀρόωσιν,
Ἀλλὰ τάγ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται.

Plantaq; non manibus colitur nec vomere tellus,
Sed grauidas inarata creat sine semine messes.

Fortunatis Horatius Epod. 16. similem tribuit feracitatem:

Reddit vbi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret vsque vinea.
Germinat & nunquam fallentis termes oliuæ,
Suamq; pulla ficus ornat arborem.
Mella caua manant ex ilice.

Perquàm autem lepidum est quod de Saturni æuo ex veteri comœdia citat Athenæus lib. 6. vbi ipsum deum hoc modo loquentem introducit:

Λέξω τοίνυν βίον ἐξ ἀρχῆς ὃν ἐγὼ θνητοῖσι παρεῖχον,
Εἰρήνη μὲν πρῶτον ἁπάντων ἦν, ὥσπερ ὕδωρ κατὰ χειρός.
Ἡ γῆ δ' ἔφερ' οὐ δέος οὐδὲ νόσους, ἀλλ' αὐτόματ' ἦν τὰ δέοντα.
Οἴνῳ γὰρ ἅπασ' ἔρρει χαράδρα. μᾶζαι δ' ἄρτοις ἐμάχοντο,
Περὶ τοῖς στόμασι τῶν ἀνθρώπων, ἱκετεύουσαι καταπίνειν

Εἰπ φιλοῖσι τὰς λευκοτάτας. οἱ δ' ἰχθῦες οἴκαδ' ἰόντες
Ἐξοπτῶντες σφᾶς αὐτοὺς ἂν παρέκειντ' ἐπὶ ταῖσι τραπέζαις.
Ζωμοῦ δ' ἔρρει παρὰ τὰς κλίνας ποταμὸς κρέα θερμὰ κυλίνδων.
Ὑποτριμματίων δ' ὀχετοὶ τούτων τοῖς βουλομένοισι παρῆσαν.
Ὥς τ' ἀφθονία, τὴν ἔνθεσιν ἢ ναρδὸν ἁπαλὴν καταπίνειν,
Λεκανίσι, καὶ σιδ' ἀνάπαυσα παρῆν ἠδυσματίοις κατάπασα,
Ὀπταὶ δὲ κίχλαι μετ' ἀμητίσκων εἰς τὸν φάρυγγ' εἰσεπέτοντο.
Τῶν δὲ πλακούντων ὠστιζομένων περὶ τὴν γνάθον ἦν ἀλαλητός.

Dicam igitur vitam ego quam initio mortalibus præbui.
Primùm quidem omnibus pax fuit, tanquam manibus aqua:
Nec quæ metum afferrent, nec quæ morbum, terra genuit:
Sponte prodibant ad vitam necessaria.
Torrentis alueus cuiusque vino manabat: mazæ pugnabant cum panibus,
Circa hominum ora supplicantes vt deuorarentur,
Si quid placerent, candidissimæ: pisces egressi domo sua
Assantes seipsos porrecti iacebant in mensis.
Iuris fluebat propè lectos amnis, feruentes carnes prouoluens:
Intriti condimenti riuus, illis si cuperent, aderat.
Nardiq; recentis tanta copia, vt ad singulas bucceas liceret
Plenis deuorare peluibus: punicorum auulsa grana condimentis inspersa erant.
Assi turdi cum ametiscis ad fauces aduolabant.
Placentæ festinanter in maxillas sese protrudentes tumultuosè fremebant.

De eodem seculo philosophicam rationem Plato in Politico: & lib. 8. de rep. libroq; 4. de legibus, politicam reddit, & in Cratylo his verbis: nempe arbitror ipsum (de Hesiodo loquitur) auream ętatem appellare, non quæ aurea reuera esset naturâ, vel auro constaret, sed bonam & præclaram significasse, iuxta Maronem:

Haud vinclo nec legibus æquam
Sponte sua, veterisq; dei se more tenentem.

Quod & Tacitus annotauit Annalium lib. 3. *Vetustissimi mortalium nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoq; sine pœna aut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cùm honesta suopte ingenio peterentur, & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.*

Ad quam veteris æui formam correctâ vitę disciplinâ Principum nutu & auspiciis quo propius accedent noui seculi mores, eo illi suam maiori beneficio remp. afficient.

Argenteam ætatem hic versus denotabat:

Tutis bos pedibus rura perambulat.

Ænea sic declarabatur:

His Ducibus redeunt melioris secla metalli.

Ferrea hoc boni ominis hemistichio distinguitur:

Alios ferrum vertetur in vsus.

Ad agrorum videlicet culturam, quem peculiarem metallo huic vsum assignat Plato lib. 3. de rep. additque vice oraculi: Tum perituram remp. quum ferrum vel æs auctoritatem custodiæ obtinebit.

Quatuor vtriusque frontis intercolumnia totidem hermis muliebribus ornabantur, naturas referentibus: Simplicem, Velatam, Personatam & Auersam.

In secundæ eleuationis tabula depicta erat mutua gratulatio Philippi III. Regis, & Alberti Archiducis, Reginæ & Infantis. Hoc inscriptio inter tabulam & fornicem portæ lectori explanabat:

DEVS

DEVS OPT. MAX. PHILIPPVM III. D. PHILIPPI II. CATHOL. REGIS F. CAROLI V. AVG. N. CVM MARGARITA CAROLI ARCHID. AVSTRIÆ F. D. FERDINANDI AVG. N. HISPANIARVM INDIARVMQVE REGES. ET ALBERTVM D. MAXIMILIANI AVG. F. D. FERDINANDI AVG. N. CVM ISABELLA, CLARA, EVGENIA D. PHILIPPI II. F. D. CAROLI V. AVG. N. OPTATISSIMOS PRINCIPES HVIVS SECVLI ORNAMENTA ORBI TERRARVM DIV COMMODET, AC BENEFICIIS SVIS HVMANO GENERI CONCESSIS FAVEAT, TANTISQVE MVNERIBVS ADDAT PERPETVITATEM.

Secunda contignatio gradatim assurgebat, ac sequentibus personis sessiones præbebat in gradationum angulis.

Fatum forma virili candida veste ad talos demissa vtebatur, cælestem manu sphæram tenens, & super ea stellam, cum catena aurea è sphæra dependente vsque ad aream cui insistebat.

Tempus Saturni formam referebat cana barba & messoria falce, cum clepsydra in capite, vel potiùs clepsammidio. Annus serpentem in se contortum vel annulum tenebat, cum cornu Amaltheæ omnis generis frugibus referto.

Seculum virili effigie phœnicem, vt sentit vulgus, flammis ardentem super sphæra tenebat.

Abundantia rubro & flauo amictu spicas dextra, naualem clauum inauratum habens læua, ad maritimam & terrestrem vbertatem pertinebat.

Serenitas cœrulea & candida veste induta, candidam in capite columbam habebat.

Astrologia cœrulea veste cum stellifero in capite serto, humeris alas, cælestem sphæram dextra, sceptrum læua gerebat.

Architectura à circino aureo & angulari norma cui insidet hirundo cognoscitur.

Memoria fulua veste indice digito ad frontem posito, eum actum exprimens, quē reddimus cùm videmur aliquid ad memoriam reuocare, librum altera manu euoluebat.

Famam suo more personatam & aligeram inspersis vesti oculis auribusque, cum buccina quiuis agnoscebat.

Historia purpureo & viridi amictu culta, tabellam super hastili tenebat, eique inscripta ex Tullio verba:

TESTIS TEMPORVM, LVX VERITATIS, VITA MEMORIÆ, MAGISTRA VITÆ, NVNTIA VETVSTATIS.

Veritas candido amictu, coma aurea, speculum tenebat monilibus circumdatum.

In secundi gradus medio singulorum quatuor laterum, totidem Romana panoplia armati signiferi stabant siue aquiliferi cum labaris dependentibus.

In excelsum obeliscum statuamque Æternitatis desinebat tota machina.

Posterior arcus facies cum priori conueniebat, præter secundæ eleuationis tabulam. Minerua ibi Herculem in cælum deducit, superis postea cohabitaturum, ex Pausan. in Lacon. hoc sensu:

Virtus recludens immeritis mori
Cælum, sacratâ monstrat iter viâ.

Hunc actum seu fortium virorum gloriam prudētia comite acquisitam, nullisq; seculis intermorituram, poësis mulieris habitu assistens stellis pleno, lauro coronata cū mammis nudis lacteq; distētis, vultu inflammato ex enthusiasmo & cogitabūdo, æternitati dedicatura videbatur. Tres supra eam genij volitabāt, lyram hîc cum plectro, ille fistulam, tertius tubam ferens, ad pedes cygnus stabat. Inscriptio zophoro appensa est huiusmodi:

Magne Ducum, tibi dent superi quodcunque mereris,
Et faciles votis sint, Isabella, tuis.
Augeat imperium vestrum Deus, augeat annos,
Et rata perpetuò quæ dedit esse velit.

Vobis auſpicibus ſeclo præſente peracto,
Det nobis alio ſed meliore frui.

Ornatus interior teſtudinis laqueatæ, quatuor erant in ſingulis angulis bigæ à geniis agitatæ, veluti ſeculares ludos celebrantes: Spargebant flores è calathis alij Cupidines. In medio lacunari in circulo ouato ex alato angue facto æternitatis ſymbolo, diffuſis vndique radiis ita legebatur:

Lucem redde tuæ, Dux bone, patriæ,
Inſtar veris enim vultus vbi tuus
Affulſit, populo gratior it dies,
Et ſoles melius nitent.

Verus fuiſti, Venuſine, vates: eodem enim introitus die ſexto Id. Decemb. ac inaugurationis quæ poſtea ſubſecuta eſt quarto Id. eiuſdem, tam fuit admirabilis & inſolita hac anni tempeſtate ſerenitas, aëriſq; actioni gratiſſimæ aſpirantis, ac velut blandientis repentina temperies, vt rebus reſtitutis beatum fore Belgium ſub hoc Principatu nemo non auguraretur.

In tranſitus lateribus hinc pictus erat Circus ad Romani amplitudinem in quo ludos agitabant, ſeculares opinor, nam hoc verſus indicabat:

Dent hos Alberto ſuperi cum coniuge ludos
Incolumi, decies denos iterare per annos.

Pulchra me hercule eſſet ætas, non ſine exemplo tamen ſi Plinio damus fidem libro 7. cap. 48. Et irriſam fuiſſe præconis vocem ſolemni more inuitantis ad ludos, quos nec ſpectaſſet quiſquam nec ſpectaturus eſſet, cùm ſupereſſent qui ſpectauerant, memoriæ prodidit Sueton. Claudio. Tametſi idem Claudius ludos illos ſeculares ab Auguſto anticipatos nec legitimo tempori reſeruatos aſſerebat. Sed Principis vtriuſque hac de re rationes, quas prætermittit Tacitus lib. Annal. vndecimo, Lipſius noſter explicat; ad quem ſtudioſum lectorem ablegamus. Cererùm ludos ſeculares à M. Valerio Publicola inſtitutos atque ita appellatos, quod plerumque hominis ætas ſemel eos poteſt intueri, Pomponius Lætus refert, idque aliquandiu ſeruatum fuiſſe; poſtea Cæſarum ambitione, cupientium id ſolemne ſuis temporibus exhiberi, corruptum ordinem eſſe, & ludos ſeculares pro libidine habitos. Ex lege enim fiebant anno centeſimo decimo, quo ſpatio ætatem oraculo Romanis de his ludis dato definit Sibylla Erythræa, quod à Phlegonte Tralliano annotatum legimus. Pio magis ritu Romani Pontifices inanem ſecularium ludorum feſtiuitatem in verum ac ſolemnem Dei cultum tranſtulerunt, annumque Iubileium ſeu benignitatis anno quinquageſimo ex Moſaica inſtitutione celebrari ſolitum, ad vigeſimum quintum reduxerunt, vt quæuis ætas hominis cæleſtis gratiæ ex ampliſſimis Eccleſiæ theſauris deprompte particeps fieri queat. Vt præſens igitur annus ſiue Iubileius, ſiue ſecularis Principibus noſtris feliciter recurrat, eodem exemplo Deum precamur, quo Vitellius Claudio ludos ſeculares edenti gratulatus eſt, *Sæpe facias*, vt Suetonius meminit in Vitellio. Quam vocem inter formulas & ſolemnia populi Romani verba aliorum etiam ſcriptorum teſtimonio retulit Briſſonius lib. 8. Qui verò plura de ludorum ſecularium editione ſcire cupit, is Onufrij Panuuini de iis librum legat. Eos etiam in theatris fuiſſe celebratos ex Pomponio Leto colligimus in Philippo, qui apparatiſſimos edidit, anno ab vrbe condita milleſimo. Itaque amphitheatrum ibidem erat pictum cum huiuſmodi acclamatione:

Viuite felices, hic totâ plauſus arenâ
Perſonat, auguſtum genus, & tu Regia proles.

Ab altera parte Naumachiam effinximus, ſiue locum in quo nauales pugnas edebant; qui rei antiquariæ ſtudioſis haud ignotus eſt, & Sueton. in Tiberio mentionem facit: cui aſſcripſeramus hanc votorum ſponſionem:

Nauales vobis ludos, Alberte, vouemus,
Claraq́, pacato curret cum nauita ponto.

Theatri

Theatri schema adiunctum hos versus lectori proponebat, per dialogismum prolatos:

In scenam quis prodit? Amor cum Pace, quis auctor?
Albertus, lauroq́, sacra dignissima coniux.

Emblemata in transitu arcus lateralia etsi penicillo subitario adumbrata, non tamen vulgaris erant argumenti. Ad seculum aureum referebatur Apollinis natiuitas, quo nascente omnia in Delo aurea facta canit Homerus in hymno eius dei:

Χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα
Βεβρίθει, καθορῶσα Διὸς Λητοῦς τε γενέθλην.

Auro tota fuit Delus repleta nitenti,
Læta videns prolem Ioue Latonaq́, creatam.

Quod copiosa & eleganti distributione amplificat Callimachus in celebri eius insulæ hymno:

Χρύσεά τοι τότε πάντα θεμείλια γείνετο Δῆλε,
Χρυσῷ δὲ τροχόεσσα πανήμερος ἔρρεε λίμνη,
Χρύσειον δ' ἐκόμισσε γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης,
Χρυσῷ δὲ πλήμμυρε βαθὺς Ἰνωπὸς ἑλιχθείς,
Αὐτὴ δὲ χρυσέοιο ἀπ' οὔδεος εἵλεο παῖδα.

Fundamenta tibi tunc aurea, Dele, fuerunt,
Curua dies auro fluxerunt æquora totos,
E ramis oleæ stillarunt pinguibus aurum:
Exundat rutilo turgens Inopus ab auro,
Aurea fulget humus puerum qua suscipis ipsa.

Neque hoc vno beneficio natale solum affecit illud numen, sed cùm prius erratica esset Delus, Latonæ puerperio immobilis fuit reddita, Virgilio teste Æneid. 3.

Quam pius Arcitenens oras & litora circum
Errantem, Mycone celsa, Gyaroq́, reuinxit,
Immotamq́, coli dedit, & contemnere ventos.

Quod ex Pindaro annotauit Srrabo lib. 10. Tam firmiter autem patriam suam Apollo stabiliuit, vt scholiastes Callimachi in eodem hymno, adeò eam ἀκίνητον καὶ ἄσειστον dicat, vt Thucydidem citet, qui magnum terræmotum descripturus ea vtitur amplificatione, tam ingentem fuisse vt ipsa etiam Delus sir concussa. Sicut etiam ex Seneca obseruauimus Natur. quæst. lib. 7. cap. 26. Idque prodigij loco habitum ex oraculo memorat Herodotus in Erato:

Κινήσω καὶ Δῆλον ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν.

Et Delum, fuerit quamuis immota, mouebo.

Nos vtrumque beneficium vno versu complexi:

Fatidico nascente Deo stetit aurea Delos.

Futuram seculi felicitatem, firmamq; post belli diuturni procellas & iactationes quietis publicæ stabilitatem, ex hoc aduentu Principum ominamur: vt quemadmodum eam insulam Apollinis nutriculam Callimachus laudat à publica pace & tranquillitate:

Οὐδέ σ' Ἐνυὼ
Οὐδ' Ἀΐδης οὐδ' ἵπποι ἐπιστείβουσιν Ἄρηος.

Armis non te Bellona cruentis
Calcabit, nec Ditis equi, Martisq́, iugales.

Ita noui Principatus felicissimis auspiciis Belgium nostrum exstincto bello conquiescet. Nec minus delectabile proximum erat emblema Æoli scilicet qui hospites in litus

suum eiectos, in patriam quemque suam reducendos curauit, auctore Isocrate in Busiridis encomio, cui asscripseramus:

Ad patrios hac ite lares.

Hæc sunt vota nostra, PRINCIPES, vt optimos vestros subditos, non vt ventorum pater hospites, Belgas, non peregrinos, post tam calamitosa fortunarum naufragia, pacatæ vestro beneficio patriæ restituatis. Ea in nos in vobis fiduciam posuisse aliud Persei emblema indicabat, qui vt Mercurij & Mineruæ opera, ab hoc enim harpen seu falcatum ensem & talaria accepit, quæ Musæ pedibus eius nectunt, vt in sublime feratur, sumta ex Pausania in Laconicis fabulâ; ab illa verò galeam & ægidem, qua Medusam superauit: sic & fortitudine & prudentia vestra Gorgoneum hoc monstrum, bellum dico, conficiatis: seriò enim asscriptum erat:

Nunc defensoribus istis Tempus eget.

Quartum Thesei erat emblema, qui Scironem latronem iter facientibus infestum, victum cæsumque in mare proiecit, in scopulum deinde sui nominis mutatum. Scironia saxa etiam Melæ æuo infamia. Et scelere petras nobiles Scironides Seneca vocat in Hippolyto. Straboni haud ignotæ infames Scirone petræ, nec Papinio primo Thebaid. Vt autem Theseus Græciam latrociniis purgauit teste Plutarcho in eius vita, ac Pausan. in Atticis; ita Belgium reflorescat,

PVRGATA LATRONIBVS PROVINCIA.

Alterius lateris symbola sunt huiusmodi: Examen apum, quo infrenis & dissoluta Democratia designatur, astante Principe fumo dissipatur: quod non solùm ex Virgil. Georg. 4. & Æneid. 12. & ex rerum naturalium scriptoribus edocemur, sed rationem Plutarchus reddidit in causis natural. & scholiast. Apollon. in 2. Argonaut. ὅπτον καπνὸν φεύγουσιν αἱ μέλισσαι διὰ τὸ στενότορον εἶναι αὐτῶν τὴν ὄσφρησιν. Quid autem sit καπνίζειν τὰς μελίττας iuxta Pollucem libro primo, quod & βλίττειν dicitur & βλίσαι Hesychio, ex iure etiam scripto liquet. ff. ad leg. Aquil. l. si quis fumo. Nos ad publicum sensum retulimus his verbis:

Vaganti frena licentiæ
Iniecit.


Proximum est Neptuni reducis emblema in bigis equorum marinorum ex numis antiquis ventos compescentis mare turbantes:

Non illi imperium pelagi.

Ad annonæ vbertatem tertium spectat symbolum per leonem designatum, Belgicum opinor, qui arborem pomiferam vnguibus concutiens per fructus decidentes pabulum animalibus ceteris præbet, asscripta ex Lucano ratione:

Emiturq́, metus cùm segne potentes
Vulgus alunt.

Sciebat Pompeius, cui omnis potestas rei frumentariæ ex S.C. per quinquennium erat data, irarum causas & summa furoris annonâ momenta trahi. Multitudinem sæpenumero non auctoritate, sed sagina teneri, auctor est pro Flacco Tullius. Et annonæ inopiam seditionum causam præbuisse, ex eodem obseruauimus in Orat. pro domo sua. Catonis consilium probatur à Plutarcho in præceptis Polit. qui cùm tempore coniurationis Catilinariæ populum animaduerteret à Cæsare solicitari, atque ad res nouandas præcipitem esse, persuasit Senatui vt inopi plebi frumenti congiarium daret, quo munere ciuilis tumultus conquieuit, & compressa est secessio. Vsque adeò autem populi fauorem laxioris annonæ beneficium conciliat, vt ea ingrauescente quàm plurimi è largitione frumentaria imperij affectandi occasionem quæsiuerint. Exemplo Spurij Melij, vtriusque Gracchi, & L. Saturnini. Perniciosam similiter legem annonianam tulisse P. Clodium tribunum plebis, qui fuit summè popularis, in Pisoniana notat Pedianus: Sic alimentariam Curio, fortassis de frumento plebi gratis diuidendo, vt infimorum hominum



GRAPHICA DESIGNATIO ARCVS SECVLARIS.

min um ſtudia compararet; ſicur Tullio ſcripſir Cœlius epiſt. 6. lib. 8. Ipſe denique Cicero ne popularitatis videatut accuſandus, quòd Arhen ienſium cariratem ſubleuaſſet, ſe Pomponio ſuo purgat, quòd illa non largirio in ciues, ſed in hoſpites fuerir liberalitas, libro 6. ad Attic. epiſt. 6. Ex quo colligi poteſt quantopere ad Principis curam ſpectet optima σιτολογίας ratio: quod Plato docet lib. 8. de legibus.

Vltimum emblema ex *Arcadicis Pauſaniæ deſumſimus, de Philopœmene, qui cùm celebrantibus Nemea Argiuis inteteſſet ludis, carmen hoc *Mileſij Timothei decantante citharœdo:

Κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων μέγαν Ἑλλάδι κόσμον.

Libertate frui licuit tibi Græcia per quem.

Græci vniuerſi oculos in Philopœmenem coniecerunt, plauſuque edito ſignificarunt eum verſum ad ipſum referendum. Nos ad Principes noſtros reſpeximus, confecto bello, quo durior nulla ſetuitus eſt, libertatis aſſertores. Siquidem nihil aliud pax eſt, quàm tranquilla libertas, vt in quodam dialogo, quem cũ Adriano habuit, teſpondit Epictetus.

MATERIA-

MATERIATVM OPVS AD D. MICHAELIS.

IN palatij ingreſſu ad D.Michaëlis materiatum opus ex ordine Corinthio pedes altum ſexaginta, latum quinque & triginta, Philippo Regi memoriæ immortalis Principi ceu extremum actum tribuimus. In medio ſecūdæ eleuationis Philippus in ſolio regio ſedens, Pallade ad dextram, ad ſiniſtram aſtantibus Parcis, omnium regnorum ſuorum aſſem in ſphæras terreſtris orbis diſtinctum, hoc modo diuidebat, beſſem Philippo III. cum ſceptro aſſignabat, reliquū trientem filię Iſabellę.

Dextrum intercolumnium orbis imperium depictum continebat, virginis ſpecie, capite ſeptem planetis ſerti loco redimita: veſtis pectus tegens, quod Zodiaco obliquè ambiebatur, cærulea erat nubibus ſimilis, altera vſque ad genua demiſſa cymatilis & vndoſa, in tertia ad pedes vſque montes, ciuitates, arcesque erant pictæ, ſceptrum dextra, naualem clauum tenebat læua, aſſcriptum erat capiti:

HÆREDIBVS ORBIS IMPERII.

Ad læuam Gloria cum alis & tuba, aſtante Cupidine legebatur:

PHILIPPI GLORIÆ ÆTERNÆ.

Tertia ſubſtructio his verſibus ſententiam operis explicabat:

Maximus vt regnis, ſic & pietate Philippus
Partitur natis genitor quos rexerat orbes.
Hinc ſedes petit ætherias, hominumq; labores
Subleuat aſſiduis pacato numine votis,
Solaturq; ſuos, & mundo conſulit abſens.

Non enim de nihilo, inquit Macrob. in Somn. Scip. lib. I. cap. 9. aut de vana adulatione veniebat, quòd vrbium conditores aut claros in rep. viros in numerum deorum conſecrarit antiquitas, ſed Heſiodus quoque priſcos reges cum diis aliis enumerat, hisque exemplo veteris poteſtatis etiam in cælo regendi res humanas aſſignat officium, & quæ ſequuntur in eam ſententiam.

Statua in ſummo acroterio poſita Prouidentiæ erat typus, orbis globo inſiſtens ac haſtile cum ſceptro tenens: alia verò ſigna, vel ſigilla potius, in reliquis acroteriis collocata, hæc erant, Pietas, Felicitas, Fortitudo, Liberalitas, Potentia, Magnanimitas, Maieſtas & Clementia. In oblongis ſupra portulas tabulis intercolumnio vtrinque affixis, hæ inſcriptiones lectores detinebant:

HEV QVAM DOLENDVM EST, CVM IMMORTALIS SIT RESP. EAM IN VNIVS MORTALIS ANIMA CONSISTERE: SATIS ENIM PHILIPPVS NATVRÆ VIXIT ET GLORIÆ, SED TERRARVM ORBI PARVM.

Siniſtri lateris elogium eſt huiuſmodi:

CVM EXEMPLO MENANDRI BACTRIANORVM REGIS DESIDERIVM PHILIPPI, CVI INTER BONOS AB ORBE CONDITO PRINCIPES ANTEPONIMVS NEMINEM, CONFERIMVS PAVCOS, DIVISIS IN SINGVLAS CIVITATES CINERIBVS LENIRE NEQVEAMVS: OPTIMI TAMEN PRINCIPIS ERECTIS PVBLICE PRIVATIMQVE IMAGINIBVS, QVOD IMPERATORI ADRIANO OMNES GRÆCIÆ VRBES PRÆSTITERVNT, MEMORIAM SACROSANCTAM VENERABIMVR ET COLEMVS.



INGRESSVS PALATI AD D. MICHAELIS.

PRINCIPIBVS palatium suum ingressis cum tubarum clangore admirabili & multiplici, circa horam quartam vnusquisque se recipiens ad ignes exstruendos tota vrbe se parat: qui in omnibus viis, ad moles triumphales ab omnibus ciuibus & nationibus publicè priuatimque, & à sex armatis in foro collegiis luculenter excitati sunt, tribusque noctibus continuari. Quibus ignium spectaculis suæ Celsitudines per totam vrbem rheda vectæ interfuerunt. Solemnis huius moris, quem in excipiendis Principibus obseruamus, lætisq; ob partam victoriam nunciis, atque triumphalibus vrbium ingressibus, aliisque publicis gratulationibus, originem à veteri ad nostrum vsque æuum transiisse, ex variis auctoribus Petrus Faber annotauit ad L. 2. de orig. iuris, post commentarium ad diuersas iuris regulas: Ex Latino Pacato in Theodosij panegyrico vbi de Narone Illyrici opido agit: *Quid portas virentibus sertis coronatas, quid aulæis tardantes plateas, accensisq́, funalibus auctum diem?* Et ex Ammiano Marcel. Vbi de Iuliano Bononiam ingrediente scribit; cumque suburbanis propinquantem militaris & omnis generis turba cum lumine multo & floribus, votisque faustis augustum appellans & dominum duxit in regiam Sed & quum Nero Neapoli reuersus cum Tiridate vrbem ingrederetur, populum vniuersum luminibus & coronis ingentem lætitiam testatum fuisse ex Dione Xiphilinus prodidit his verbis: *vrbs tota luminibus & coronis ornabatur*. Alexandrum Seuerum Romam venientem eodem apparatu exceptum fuisse idem auctor commemorat: *vrbs vniuersa floribus & lauro redimita ac stragulis versicoloribus ornata luminibus & suffimentis relucebat*. Antonini Caracallæ introitum Alexandriæ floribus tædisque spectabilem fuisse tradit Herodianus. Heraclio denique debellata Perside Constantinopolim reuertenti populum occurrisse cum frondibus oleaginis & facibus Cedrenus in historiæ compendio meminit. Neque certè à proposito alienum videbitur si ad faces nuptiales hos ignes applicemus, ex veteri item ritu Principibus sponsis auspicatò collucẽtes. Amoris sanè typum, quo Belgica tota natio in Principes suos flagrat, aptiori quàm ignium accẽsorum paradigmate, exprimere non potuimus. Amorem enim igni non poëtæ modò, sed grauissimi etiam auctores cõpararunt.

Ex poëtis antiquissimis lepidissimos versus citat A. Gellius lib. 19. cap. 9.

Custodes ouium teneræq́, propaginis agnûm,
Quæritis ignem? Ite huc: Quæritis? ignis homo est.
Si digito attigero, incendam siluam simul omnem,
Omne pecus flamma est, omnia quæ video.

Ex alio item poëta non minus dulces quàm priores:

Quid faculam præfers phileros qua nil opus nobis?
Ibimus, hoc lucet pectore flamma satis.
Istam non potis est vis sæua exstinguere venti,
Aut imber cælo candidus præcipitans.
At contra hunc ignem Veneris, si non Venus ipsa,
Nulla est quæ possit vis alia opprimere.

Finguntur & pinguntur cum facibus Amores. De argenteo Cupidine cum lampade accusat Verrem Cicero Sthenio Thermitano hospiti erepto. Et in veteri marmore inter cetera donaria Fortunæ primigeniæ dedicata, Cupidines duo cum suis lychnuchis in Aldi Manutij orthographia reperi, sub nomine Popillius. In scuto Alcibiadis quod ex auro & ebore confectũ habuit, pro insigni erat ἔρως κεραυνὸν ἠγκυλημένος: *Cupido fulmen vlnis amplectens*; vt narrat Athen. lib. 12. Ignis vocabulum pro amore est vsitatissimum, vt ardere pro amare; Græci verbis φλέγεσθαι τῷ πόθῳ, ἐκφλέγεσθαι, ὑποτετύφθαι, κεκαῦσθαι & θερμαίνεσθαι: *ardere desiderio, comburi, vri, succendi & incalescere*, vtuntur pro iisdem, auctore Iulio Polluce lib. 3. cap. 7. Charinus amator in Plauti Mercatore;

Ita, inquit, *mihi in pectore atque in corde facit amor incendium,*
Ni oculos lacrymæ defendant, iam credo ardeat caput.

Et in Persa Dordalum dicentem, *vritur cor mihi*, facetè ridet Toxilus; *Da illi cantharum, exstingue ignem, si cor vritur, caput ne ardescat*. Exstant in Anthologia festiuissima Græcorum Epigrammata huius argumenti, quæ Latina olim fecimus, ideoque hîc asscribimus.

Αὐτὸ τὸ πῦρ καῦσειν διζήμενος οὗτος ὁ νύκταρ
Τὸν καλὸν ἱμείρων λύχνον διαφλογίσαι,
Δεῦρ' ἀπ' ἐμῆς ψυχῆς ἅψον σέλας, ἔνδοθι γάρ μου
Καιόμενον πολλὴν ἐξανίησι φλόγα.

Quisquis aues rutilos accendere protinus ignes,
Et tenebras media vincere nocte petis:
Huc ades, atque meo sumas de pectore flammam,
Vritur & multas eijcit vsque faces.

Μὴ κλαίων τὸν ἔρωτα δόκει Τηλέμβροτε πείσειν
Μηδ' ὀλίγῳ παύσειν ὕδατι πῦρ ἀπνεές.
Χρυσὸς ἔρωτος ἀεὶ Παιώνιος· ἐσβέσθη δὲ
Οὐδὲ τότ' ἐν πολλῷ τικτόμενος πελάγει.

Flectitur haud lacrymis amor, ô Telembrote, nec quit
Vllus inexstinctas vincere rore faces.
Solus amor fuluo semper medicabilis auro est,
Nec periit mediis cum fuit ortus aquis.

Ἔρωτα παύει λιμὸς, εἰ δὲ μὴ, χρόνος.
Ἐὰν δὲ μηδὲ ταῦτα τὴν φλόγα σβέσῃ,
Θεραπεία σοι τὸ λοιπὸν ἠρτήσθω βρόχος.

Sola potest sedare fames vel tempus amorem,
Quod nisi letiferum tandem restinxerit æstum,
Nulla nisi laquei superest tibi cura petendi.

Τίς γλύψας τὸν ἔρωτα παρὰ κρήνῃσιν ἔθηκεν,
Οἰόμενος παύσειν τοῦτο τὸ πῦρ ὕδατι;

Quis finxit rigui latices prope fontis Amorem,
Haud secus ac vllis cesset hic ignis aquis?

Χθιζά μοι Ἑρμώνασσα φιλακρήτοις μετὰ κώμοις
Στέμμασιν αὐλείας ἀμφιπλέκοντι θύρας,
Ἐκ κυλίκων ἐπέχευεν ὕδωρ. ἀνάθυνε δὲ χαίτην
Ἣν μόλις ἐς τρισσὴν πλέξαμεν ἀμφιλύκην.
Ἐφλέχθην δ' ἔτι μᾶλλον ὑφ' ὕδατος· ἐκ γὰρ ἐκείνης
Λάθριον εἶχε κύλιξ πῦρ γλυκερῶν στομάτων.

Hesterna cùm longa darem post pocula cœna
Serta coronatis florida liminibus:
Hermonassa comas infusa polluit vnda,
Compositas ternis vix mihi luminibus.
Occultis magis atque magis miser ignibus arsi,
Ore quibus dulces illa repleuit aquas.

Ψαλμὸς καὶ λαλιὴ, καὶ κωτίλον ὄμμα, καὶ ᾠδὴ
Ξανθίππης, καὶ πῦρ ἄρτι καταρχόμενον,

Ω ψυχὴ,

Ω ψυχὴ, φλέξει σε τὸ δ᾽ ἐκ τίνος, ἢ πότε, καὶ πῶς,
  Οὐκ οἶδα, γνώσῃ δύσμορε τυφομένη.

Colloquium fallax Xantippes, cantus, ocellus,
  Comburitq́ meam flamma recens animam.
Vnde tamen, nec quando scio, sciturus abundè
  Absumtum in cineres cùm mihi corpus erit.

Τί ξένον εἰ βροτολοιγὸς ἔρως τὰ πυρίπνοα τόξα
  Βάλλει, καὶ λαμυροῖς ὄμμασι πυκνὰ γελᾷ;
Οὐ μήτηρ στέργει μὲν Ἄρη, γαμέτις δὲ τέτυκται
  Ἡφαίστου, κοινὴ καὶ πυρὶ καὶ ξίφεσιν;
Μητρὸς δ᾽ οὐ μήτηρ ἀνέμων μάστιξι θάλασσα
  Τρηχὺ βοᾷ; γενέτης δ᾽ οὔτέ τις, οὔ τε τίνος.
Τοὔνεκεν Ἡφαίστου μὲν ἔχει φλόγα, κύμασι δ᾽ ὀργὴν
  Στέρξεν ἴσην, Ἄρεος δ᾽ αἱματόφυρτα βέλη.

Ignea quid mirum mittit si tela Cupido,
  Et puer immissum ridet ad exitium?
Mulciberi coniux Martem Venus ardet Amoris
  Mater, vti gladios sic amat illa faces.
Et tumidum reboat ventis mare, quo Venus ortum
  Ducit, & incerto de genitore genus.
Hinc Amor æquoreis æquales fluctibus iras,
  Mulciberi flammas, telaq́ Martis habet.

Ω σοβαρὴ βαλανῖσσα τί δήποτέ μ᾽ ἔκπυρα λούεις;
  Πρὶν δ᾽ ἀποδύσασθαι, τοῦ πυρὸς αἰσθάνομαι.

Quid me proterua balneatrix abluis
Feruente lympha? vestis haud deponitur,
Sensi medullis igne torqueri intimis.

Sed sufficiant hæc amatoria. Quanta verò amoris cum Sole sit affinitas Plutarchus disserit in Erotico. Nos solemnibus hisce ignibus Amorem faces subdidisse poëtico more finximus, scripto in medio foro hoc disticho:

Hos amor, hos sincera fides exsuscitat ignes,
  Claraq́ sunt radiis lumina, Clara, tuis.

POSTRIDIE suæ Celsitudines rheda circumuectæ, munitissimæ suæ vrbis mœnia conspexerunt: quibus nulla propugnacula in Europa firmiora sunt, nec amœniora, ob consitas quadruplici ordine in quincūcem ibi arbores. Magnificas etiam nationis Hanseaticæ ædes perlustrarunt. Quarto Id. Decembris qui Dominicus fuit dies secundæ inaugurationi dictus, equitatus Senatorius eodem numero, habitu & ordine quo obuiam processerat, ad palatium est profectus, suasq; Celsitudines ad templum deduxit D. Virgini sacrum. Magistratus in sedili, stallum chori vocant iuris canonici professores, locum suum retinuit. Rediuina per Episcopum solemniter peracta, per viam à templo vsque ad ædes Senatorias tabulis & arena subiecta complanatam pedibus perrexerunt. Theatrum cuius suprà meminimus ascendit Senatus cum quæstoribus ærarij, pensionariis, actuariis, secretariis, virisque senatoriis, quos vel exsenatores vel exscabinos appellare nobis liceat, manētibus inferius intra septum quoddam vicomagistris, & reliquis triumphalis pompæ asseclis propter loci angustiam. Sequebantur viri proceres, Comites, Principesque cum Nuntio Apostolico & Hispaniæ Regis legato. Vbi Principes sub solio siue vmbella aurea loco nonnihil editiori consedissent, ad dextram, nimirum Infans Se-

fans Sereniſſima cum ſuo gynæceo,conſiſtente ad lęuam theatri magiſtratu cum Præſidibus,Cancellario,aliiſque nonnullis primatiæ notæ viris,vtpote arcis præfecto,Decano & Archidiacono;factoque per caduceatores ſiue heroaldos ſilentio,Brabantię Cancellarius breui oratiuncula ſolemnis conuentus cauſam expoſuit, & ſuarum Celſitudinum ad dicendum iuſiurandum idemque obſeruandum voluntatem declarauit. Tum propiùs acceſſit Audientiarius altero genu nixus, atque ſimili ſchemate Cancellarius, inde Conſul vrbis Henricus Halmalius eques,ob valetudinem abſente altero Conſule Blaſio de Bejar equite;in medio Epiſcopus,quem huic actioni ob maiorem venerationem ſuæ Celſitudines intereſſe cupiebant.Iuriſiurandi formulâ,linguâ primùm Teutonicâ Belgicâ,ac deinde Latinâ ab Audientiario perlectâ, vbi ad ſolemnia ſacramenti verba venit; ITA NOS DEVS ADIVVET ET OMNES SANCTI EIVS; Sereniſſima Princeps prior in genua ſua procidens,tactis ſanctis Euangeliis iuſiurandum dixit, ac deinde eodem modo Archidux Albertus præeunte verba ſolemnia Halmalio Conſule ciuitatis, cui iuſiurandum à Principibus dicebatur.

IVRISIVRANDI FORMVLA.

NOS ALBERTVS ET ELIZABETH, CLARA, EVGENIA, Hiſpaniarum Infans, Dei gratia Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi & Geldriæ, Comites Habſpurgi, Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Tirolis, Palatini & Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, Zutfaniæ,Marchiones S.R.Imperij,Domini Friſiæ,Salinarum & Machliniæ,ciuitatum, opidorum & territorij Traiecti,Tranſiſalanæ & Groningæ: Videlicet ego Archidux tanquam maritus & legitimus tutor prædictæ Sereniſſimæ Infantis: Et ego Infans tanquam Princeps proprietaria ſupradictarum prouinciarum : vt ſatisfaciamus atque exſequamur ea quę vigeſimo primo Auguſti anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi octaui per nos & ex noſtra parte promiſſa & iurata fuere ſingulis Ordinibus huius Belgij Inferioris,tunc Bruxellis exiſtẽtibus & congregatis in maiori aula noſtri palatij ibidem: Iuramus nos ius ſacroſanctæ Eccleſiæ & ius Marchionatus ſacroſancti Romani Imperij vniuerſaliter illorum ſtatuta, priuilegia,chartas,libertates & omnia illorum Iura, Cõſuetudines veteres & nouas,nec non priuilegia noſtri iucundi introitus,quę à nobis & maioribus noſtris Statibus Brabantiæ data & conceſſa ſunt,nullis quidem in illis exceptis,firmiter obſeruaturos & obſeruari facturos: nosq; aduerſus aut contra eadem non facturos aut fieri permiſſuros in toto vel in parte quouis pacto. Et quòd nos omnia illa faciemus quæ boni & iuſti Domini ac Marchiones Marchionatus ſacroſancti Romani Imperij ſuis bonis ſubditis eiuſdem Marchionatus facere tenentur & obligantur. Et quidquid horum infractum aut innouatum eſt,reparabimus & reſtaurabimus. Sic nos Deus adiuuet omnesq; Sancti eius.

Poſtea Magiſtratus nomine ciuitatis præeunte verba Audientiario linguâ noſtrâ Teutonicâ Belgicâ digitis erectis iuſiurandum præſtitit,quod erat huiuſmodi:

NOS Burgomagiſtri, Scabini, Conſilium & communes incolæ ciuitatis Antuerpiæ vniuerſi & ſinguli; Iuramus vobis Sereniſſimi Principes Alberte & Iſabella,Clara, Eugenia,Hiſpaniarum Infans,Dei gratia Archiduces Auſtriæ.Duces Burgundię,Lotharingiæ,Brabantiæ, Limburgi &c. Comites Habſpurgi, Flandriæ, Arteſiæ &c. ſupremis noſtris Dominis & legitimis Principibus qui hic præſentes eſtis; Nos vobis bonos & fideles futuros, atque id omne facturos, quod boni & fideles vaſſalli ſubditique legitimis ſuis Dominis facere tenentur. Ita nos Deus adiuuet omneſque Sancti eius.

Solemnis huius actionis cum iuriſiurandi vtriuſque inſertione publicum inſtrumentum rogatu Magiſtratus per Principes ſignatũ, fuit expeditum,aſſcriptis etiam procerum nominibus qui teſtes eidem actioni adfuerunt,in hunc ſenſum. Actum in ciuitate noſtra Antuerpia die duodecimo mẽſis Decembris Anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi noni:præſentibus Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo in Chriſto patre Epiſcopo Tricaricenſi Nuncio Apoſtolico, D.Balthazaro de Çuniga Regis Hiſpaniarũ legato, Duce Aumalæ,Prin-

læ, Principe & Comite Mansfeldio nobili Barone de Heldringen, Ordinis nostri equite à consiliis Status, exercitus Mareschallo, prouinciæ & ducatus nostri Luxemburgi, Chuij Comitatus præfecto & Capitaneo generali: Duce Croiaci & Arschotti, Principe Auraico, Marchione Hauræo à cõsiliis Status & Finantiarum Prçside, Comite Arenbergio Ordinis nostri equite, maris Admiralio, Comite Montiũ ac Bergarum ad Somam Marchione, Geldriæ Ducatus ac Comitatus Zutfaniæ præfecto, D. Ioanne Richardotto equite D. de Berly sanctioris consilij nostri Præside & à consiliis Status: D. Christophoro ab Assonleuilla equite D. Alteuillæ, à consiliis Status: D. Nicolao Damant equite, Brabantiæ Cancellario, aliisque personis & officiariis nostris astantibus & præsentibus: eratque notatum hac paragrapho N.D.V[t]. & signatum I. Albert & A. Isabel. Infrà scriptum erat: ex mandato suarum Celsitudinum & subsignatum, Verreycken.

Ex hac autem forma inaugurationis certas conditiones legesq; continente, vnde vltrò citroque obligatio nascitur, Principis potestatem ac reliquos regni gradus Ordinesq; vniuersos tam commodis çquisq; inter se rationibus deuinctos esse constat ac coagmentatos, vt nec maleuolentię, neque animorum abalienandorum fomenta dari possint, nec vlla ad dissidium materia adhiberi, quàm diu pacta conuẽta integra seruabuntur. Etenim populus Belgicus cùm priuilegiis suis fruitur, tanto affectu Principes commodi huius auctores vindicesq; complectitur, vt vitam pro eorum ac patriæ salute profundere non exhorreat. Non hæc tamen proposuimus, vt Principum in subditos suos potestatem exacta priuilegiorum obseruatione lædere vel minuere, vt quidam obiiciunt ad aulicas adulationes compositi, ne cogitando quidem censeamus; sed vt de regno Galliæ scribit Belleforestius historiarum lib. primo, felicissimum & firmissimum Principatum esse dicimus, cùm potestas illa regia rationis legumq; limites haud excedit, neque publico vtriusque tam Principis quàm populi bono commodoq; detrimentum adfert. Regem enim, inquit, ac caput reip. ita se erga membra ac mystici corporis siue regni partes habere ac gerere decet, vt nequid mutet aut offendat quod ad optimã totius cõpositionem attinet. In quo si quid temerè à suo statu dimoueat, dãnum sibi ipse arcesseret: cùm omnem amplitudinem Princeps accipiat ab iis quibus imperat, qui offensa rep. affectibus Principis aduersari iustè possunt: non quia ita tanquam rex voluit, sed quòd conatus eius ab officio suo & auctoritate dispar & alienus sit. Rex siquidem regni causa, non priuati sui commodi vel omnia pro libito faciendi gratia, sed cõmuni omnium bono, subditis releuandis, vtilitatibus promouendis & potentia regni, ad quod sanguinis & hęreditatis ratione vocatur, constitutus est. Exemplum huius rei fecimus sub Carolo Magno Imperatore & Rege; qui cùm fasces Imperij perpetuò in stirpe sua permansuros putaret, constitutionibus Imperialibus regnum Galliæ subiicere meditabatur, veteri Gallorum iure abrogato, legibusq; in eo regno receptis. Sed intercesserunt regni Gallici proceres, quorum voluntati Rex acquieuit, quòd eiusmodi eius cogitationes bono Gallorum publico aduersarẽtur, tametsi eam rem Galliæ commodo cessuram Imperator iudicaret. Quapropter absolutæ regiæ potestatis limites esse positos, quibus eius auctoritas nonnihil circumscribitur, non absurdè disserimus, ne quiduis pro libidine faciendi libertas tyrannidem pariat, capitalem principatus ac regiæ amplitudinis totiusq; reip. & libertatis hostem. Eaque de causa Galli in rebus politicis solertissimi, regiæq; potestatis & imperij securè stabiliendi studiosissimi, cùm vt eò saniorem & diuturniorem hominum vitam animaduerterent, quò melior temperies & regimen accederet; ita etiam respublicas tantò esse æterniores ac æuum ferre rectius, quantò melius ab origine res politica constituitur; politicum regni statum tam benè & ordinatè fixerunt & fundarunt, vt nec Rex abuti publico, nec eius potestatem cõtemnere populus queat. Corruptis enim vel dissolutis Regum moribus, vel alio quouis modo potestate abutentibus, huic quoque malo quærendum fuit remedium, frenumque immodicæ libidini imponendum: vti etiam Principibus vel ætate minoribus vel morbo impeditis, quibus suis incõmodis prospici rectè possit, regia auctoritate nihilominus haud minutâ, non omnino absolutâ, nec sic coangustatâ, vt quidquam de legitima potestate decedat; sed sacrarum legum temperamento condîta, veterumque consuetudinum & institu-



INAVGVRATIONIS APPARATVS IN


ORO.

torum limitibus circumſcriptâ, quæ vtpote cum ſceptro & diademate nata, abolere Rex non poteſt. Hactenus ſcriptor Gallicus. Sed nos rei geſtæ narrationem perficiamus. Ad iuriſiurandi à Magiſtratu præſtiti confirmationem, ſinguli ad ſuas Celſitudines acceſſerunt, & exhibitâ in fidei ac obſequij ſignum demiſſo ad ſolum vſque genu reuerentiâ, à populo acclamatum eſt, diuturnam Archiducibus vitam exoptante. Sparſi deinde aurei & argentei numi miſſiles, cum ingenti tubarum & tibiarum ſonitu omniũ aures demulcente. Tantus autem ad hunc actum populi cõcurſus vndique fiebat ſolemnis ſpectaculi nouitate, vt cùm locus deeſſet vbi homines conſiſterent, non forum aut frequens concio videretur, ſed huc illuc agitatum fluctuãtibus vndis æquor, vel multorum iugerum ager, cùm maturæ ſegeres vehementis Auſtri flatibus impulſæ mutuò colliduntur.

Vbi verò turba nonnihil conquieuit, vocati ad Archiducem acceſſerunt nobiles viri Robertus Tucher & Nicolaus Rockox id temporis Senatores, Ioannes van Brecht & Iacobus Daſſa ordinis Senatorij: qui ſinguli in genua ante Principem procumbentes, triplici gladij ictu à Comite Solreo aſtante porrecti, in dextrum humerum leniter incuſſo, Principis manu equeſtri dignitate ſunt ornati, exoſculato, vt fit, enſis manubrio, verbiſq; ſolemnibus à Principe prolatis, Ego facio te equitem in nomine Dei ac S. Georgij, ad fideliter conſeruandam fidem, Eccleſiam, iuſtitiam, viduas & pupillos.

TVM ſe ad palatium Archiduces receperunt comitante eos Senatorio equitatu. Veſperi ignes inſtaurati maiore quàm pridie apparatu, fuiſſentque ſpectatu amœniores, niſi anticipato Principum iuſſu horarum aliquot ſpatio, fuiſſet maturandum: iis quoque ſpectaculis raro artificio paſſim editis adfuerunt. Poſtridie actiunculæ in collegio patrum Societatis editæ à ſtudioſa iuuentute cum magno oblectamento interfuerunt. Vita S. Eliſabethæ dramatis erat argumentum.

Pridie Id. Decembris arcis Antuerpienſis, & Liræ ac Grauiæ opidorum Præfecti fidelitatis ſacramentum Sereniſſimæ Infanti, mandato Regis fratris dixerunt. Poſt meridiem porticum mercatoriam adierunt, & ſuperiores cum mercibus officinas, non tamen copiosè, vti ſolent, inſtructas; ac deinde vitriariam fornacem, vbi pocula quædam cryſtallina conflari à fuſoribus viderunt. Sequens porrò biduum in rebus lociſq; Antuerpiæ ſingularibus viſitandis inſumſerunt; vtpote domo magnifica, vbi rari artificij pretiiq; tapetes & aulæa omnis generis vendi conſueuerunt; templo D. Virginis cum turri ſtructuræ admirabilis; ac denique celeberrima Officina typographica Plantiniana (eàm non minori quàm ſocer cum laude Ioannes Moretus gener Chriſtophori nunc exercet) quæ inſpectantibus ipſis Archiducibus hoc elogium gratulatorium maiuſculis typis excudi curauit:

LÆTI

LAETI FAVSTIQ. VT IN HANC VRBEM
BELGICAE VESTRAE PRINCIPEM,

SERENISSIMI POTENTISSIMIQ.

PRINCIPES,

IN ALIAS PARITER OMNES INTROITE.
IVSTITIAE PACISQVE LEGIBVS
DIV FELICITER IMPERANTES,
SVBIECTAS FOVETE;
LAPSAS ERIGITE;
ERECTAS CONSERVATE.
AD LIBEROS NEPOTESQ. EXEMPLIS VESTRIS
IVSTITIAM CVM PACE EDOCTOS
IMPERIVM SERO TRANSMITTITE.

HAEC SVA ET TOTIVS BELGICAE VOTA,

PLANTINIANA OFFICINA

VESTRIS (VT AETER. MEM. REGIS CATHOLICI)
M. L. Q. IMPERIIS ADDICTA,
DEVOTIONIS ERGO, VOBIS PRAESENTIBVS,

SERENISSIMI DVCES,

GRATVLABVNDA CONCEPIT IMPRESSITQ.
XVIII. KALEND. IAN. ANNI M.DC.

IISDEM quoque diebus ſex armatorum ciuium collegia per Decanos ſuos vrbiſq; Penſionarium Principes ſalutarunt, fortunas vitamq́ue pro ipſorum obſequio profundere ſe paratos deditoſq; offerentes. Nec ingratum ſibi eſſe hoc officij genus verbo & nutu declararunt. Munus nomine ciuitatis Principibus donatum duplici de cauſa fuit acceptiſſimum, tum quòd ſeptem auro rigentia aulæa victorias Archiducis acu pictas continerent, tum quòd eadẽ cum reliquis ex tela exiliſſima magni pretij deliciis variis plurimiſq́ue domi nata eſſent. Neque muta erant aurea illa periſtromata, ſed ſingula emblematis exornata, & aſſcriptis notis ſpectaroribus declarata. Summo artificio ſunt elaborata, vt non rexta eſſe diceres, ſed pictoris celeberrimi penicillo adumbrata. Quid ſingula deſignarent inſcriptio denotabat: In primo aulæo erat:

I.

CALETANA EXPEDITIO PRIVS GERI AVDITA QVAM PARARI.

Eodem ſenſu texta in limbis erant emblemata: Pallas Pegaſo inſidens curſu fertur velociſſimo:

HAC ALITE.

Hercules Cerberum ex Orci faucibus catena vinctum extrahit:

NEC IANITOR ORCI
TERRVIT.

Rupem aſperam & præruptam aſcendit Virtus haſtam manu tenens, cum bouis cranio & oleæ ramo, eamq́ue rupi infigere videtur:

NON FATO SED FACTO.

II.

ARCIS CALETANÆ MVNITISSIMÆ EXPVGNATIO.

Pro emblemate, pugil à tergo murum habens enſem dextra, clypeum læua, vtrinque ab armatis inuaditur:

PARATVS ET PERITVS.

Dux exercitus paludatus haſtam dextra, caduceum protendens ſiniſtra militi aduerſario offert:

VTRVM VELIS.

Metius Suffetius quadrigis diſcerptus iuſſu Tatij Regis:

AT TV DICTIS ALBANE MANERES.

III.

ARDA CALETENSIS AGRI PROPVGNACVLVM NOCTVRNA OBSIDIONE OPPRIMITVR.

Accipiter volans vnguibuſq́ue auem ſtringens, præuolantibus duabus etiam auibus imminet. Infra venator leporem humero ſuſpendens alium perſequitur:

PARTA TENENS NON PARTA SEQVOR.

Luna in cælo bigis vehitur, infra tripus Apollinis cum lituo & capeduncula:

AVCTOR EGO AVDENDI.

Ædes binæ incendio conflagrant, has incolæ ruina non aqua reſtinguunt:

NON RVINA SED AQVA.

IIII.

ARDA CASTRISQVE DEDITIS PRÆSIDIARII IN GALLIAM SE RECIPIVNT.

Tigres binæ vno iugo iunctæ, paſtor oues tutò paſcit:

IVNCTÆ SVBIBVNT.

Inſignia Auſtriaca cælo demittuntur:

DIVINA FABRICATA MANV.

Hercules duas columnas humeris gestat:

CONFINIA NON HIC IMPERII.

V.

HVLSTANVS AGER ADITV INACCESSVS FIRMISSIMIS CIRCVMMVNITVS PROPVGNACVLIS, SVPERATO MARIS ÆSTVARIO CAPITVR.

Fortuna clauum nauis tenet, in velo depicta insignia Austriaca, sequẽtibus militibus:

NIL INVIVM.

Triremis gubernaculo circumplicatur pisc[illegible]s remora:

SVPERANDO QVOD OBSTAT.

Tres corollæ inter se connectuntur, rostrata, vallaris & laurea:

HIS ORNARI AVT MORI.

VI.

AGGERIBVS ET VALLIS VI EXPVGNATIS, CETERISQVE MVNIMENTIS DEDITIS DESERTISQVE, HVLSTVM ARCTIVS OBSIDETVR.

Nemesis colubris redimita flagello hostes in fugam vertit:

PANICO TERRORE.

Consilium deorum de causa Regis disceptat:

STAT VINDICE REGIS CAVSA DEO.

Austria habitu muliebri armorum struem incendit, coronatur à pace:

CONFRINGET ARMA ET COMBVRET.

VII.

HVLSTANI ADITV AVXILIIS NON PRÆCLVSO, FACTA DEDITIONE MILITES BIS MILLE INCOLVMES EDVCVNT.

Religio Crucem læua tenens, dextra militem ad vallum ducit:

AVDENTIOR IBO HAC DVCE.

In circulo lepus pictus, foris gladij vndique eminent:

FORAS GLADIVS, INTVS PAVOR.

Tria trophæa variè distincta ex terrestribus & maritimis spoliis:

SIC PLVRA SVPERSVNT.

Hæc non ideò asscribimus vt verbis munus ornare videamur, sed quòd ad rerum fortissimè gestarum narrationẽ spectent, & quòd ad gloriosas Principis victorias, hoc veluti penicillo designandas pertineant: quas in posterum Deus exercituum accumulet, dum prouincias populosque, quos regendos ei dedit, confecto bello, æternæ tranquillitati restituat.

Decimo quinto Kalend. Ian. Bruxellam sunt profecti, eodem quo venerant instructissimo nauigio. Ibique diebus aliquot commorati, ad reliquarum ditionum suarum inaugurationem, in summa licet anni intemperie maximisque frigoribus, quamprimum se parant, Flandriam ante reliquas prouincias inuisuri.

TENERAMVNDA.

Vbi resciuit Teneramundanus Magistratus suas Celsitudines Flandriam petituras, ac postquam intellexit Bruxella discessisse, sexto Cal. Februarias præsentis anni millesimi sexcentesimi, eodémque die in opidum suum Teneramundam (quod cum suo territorio inter particularia Principum dominia recensetur) introitum suũ facturas, Carolus de Haubremont eques, D. de Ribencourt, eius opidi & territorij prætor, quẽ summum Baillinum vulgò vocant, cum bono nobilium virorum eiusdem territorij numero, ac quingentis armatorum collegiorum ciuibus instructissimis, vsque ad eiusdem ditionis pagum Lebbecanum, suis Celsitudinibus obuiam processit, ipsisque oblongam albamque virgam, supremæ Iurisdictionis insignia, primùm obtulit; quia illi seu Principum in administranda iustitia vicario benignè reddita, ciues displosis sclopis suis aduentum gratulati sunt, ac ordine composito, rhedam qua Principes vehebantur præcedentes, ad opidum deduxerunt & portam Bruxellensem, à magistratu sericis togis longis, nigro holoserico intus duplicatis, amicto exspectatos. Ibi nomine Magistratus (qui sequentes fuerunt, Franciscus van Royen nobilis scutatus, Consul, Dominicus Mauwe, Philippus de Kimpe, Mr. Ægidius van Pee, Ioannes de Breuseghem, Georgius de Hoorenbeke, Guilielmus Sanders nobilis item scutatus Mr. Franciscus de Bruyne, & Ioannes Leeman, Senatores, Mr. Ioannes vander Beke Pensionarius, Mr. Ioannes de Clerck Graphiarius, Ioannes vander Borch D. de Moeseke Consulatu ante functus, nunc verò magnus Decanus plebis, Petrus Huylenbroeck, Ammannus, Lucas Arents, & Eduardus de Swaeruelt quæstores ærarij) dictus D. Ribencourt in cratere inaurato, argenteam clauem inauratam obtulit, obsequij ex consuetudine symbolum: qua Magistratui clementer reddita, Pensionarius aduentum Principibus gratulatus est; incredibile magistratus populique Teneramundensis gaudium testatus, vitam & fortunas eiusdem illis deuouens; opidum ac omnes ditionis eius incolas sub clientela sua & protectione perpetuò sibi commendatos habeant, orans obsecransque. Quod & gratum sibi esse ac curæ in posterum fore, cùm suæ Celsitudines benignè respondissent, Clerus opidi accessit, debitam Principibus reuerentiam exhibens, inde suo quisque ordine ad ingressum portæ tendit. Erat ea quidem à postrema per Ducem Parmensem expugnatione tormentis concussa & valde diruta, sed ex opere subitario & materiato affabre refecta & contabulata, & inter turres geminas insignibus Austriacis & Burgundicis exornata, & his versibus inter duo super globis inauratis funalia scriptis illustrata:

Thessala cum Tempe & Memphitica marmora desint,
Aduersus dominos est amor atque fides.
Lædere quam potuit fatis vis maior iniquis,
Fata sed ipsa quidem frangere non poterunt.

Et rationi consentanea & iuri scripto oratio est. Siquidem in vim, maioris rei impetum qui repelli non potest, hostilis etiam incursus imputatur. Ita vt de rebus quæ superioribus annis contigerunt, quæ tamen non probarunt Teneramundani, fortuna non sit in culpam conuertenda. In opidi ingressu plurimi accensis funalibus præcesserunt honestissimi viri, qui velut δᾳδοῦχοι siue lampadarij Principes hoc lumine venerabantur, aut instantem vesperum suis facibus illustrarunt: cui quoque vsui picata passim vasa seruiebant. Vbi ventum est ad pontem qui à Frisiis nomen habet, duæ conspiciuntur vtrinque pilæ saxeæ, quibus insident leones inaurati, insignia tenentes hic Austriacæ quidem domus, ille verò opidi Teneramundani, in appensa tabella hi versus legebantur:

Scaldis abundanti fluuio ter me secat, at vos
Vestris me meritis redditis vnanimem.

Vnani-

Vnanimem votis, aut si minus illa putantur
Profore, seruitiis militia atque domi.

Ad alterum deinde pontem à turri appellatum, lapideæ cum leonibus & insignibus pilæ aditum decorabant. Hinc recta in forum frumentarium perrexerunt, in cuius medio equestris statua cernebatur, cum quatuor ex vulgata historia sessoribus, Asiatica siue Turcica veste splendidè amictis cum tiaris in capite. Insertum singuli læuum brachium habebant clypeo Argolico, & in eo depicta Gessoriaci insignia seu Bononiæ Gallicæ, dextra strictum ensem compositè quatiebant. Equus vbi gyros flexúsque suos fecit, Archiduces præcedebat. Ad tertij inde pontis à Tenera subterfluente dicti aditum, tabellæ columnis affixæ lectorem morabantur his versibus:

Famoso placidus se immiscens Tenera Scaldi
Cæsareas proles sensit, & exsiliens;
Augusti vultus aliquid promittere plus quàm
Humanum, nec spes vana videtur, ait.
Cum dicto sacrum vitreo caput abdidit alueo,
Ingentem oraclo lætitiamq; dedit.

Altera tabella hæc carmina continebat:

Auspiciis, Alberte, tuis nunc Tenera crescat,
Crescat & auspiciis, diua Isabella, tuis.
Pinguibus vt madidos fœcundet fluctibus agros,
Aduehat & pressas diuite merce rates.
Spes alit, vtq; iuuent tres vnus ritè precamur,
Est opis in vobis consiliiq; satis.

Ædes in foro Senatoriæ albi rubrique coloris peripetasmatis panneis ornabantur. Hîc giganteæ molis statua procedenti equo comitem se dedit, ingentem arcubalistam humeris gestans, cum insignibus D. Georgij & stemmate opidi publico. Sequebatur flammiuomus ille draco à sancto Georgio victus, quem diuum Principes Burgundi singulari semper cultu venerati sunt. Egressum fori triumphalis arcus reddebat cõspicuum, quadratis quatuor ingentibus pilis nixus. In zophoro picta erant Celsitudinum insignia, & super coronice basibus vtrinque insidebant leones duo inaurati, hic regia Hungariæ & Bohemiæ insignia quadripartita, ille Castellæ & Arragoniæ tenebat cum vexillis sericis Austriacis. In medio assurgebat in sublime aquila, ad communem vtrique Principi familiam Imperialem spectans, sub ea operis dedicatio his verbis erat scripta:

QVOD FELIX ET FAVSTVM SIT
CIↃ. D. C.
ALBERTO ET ELISABETH AVSTRIACIS PRINCIPIBVS OPTIMIS, OBSERVANTIÆ ERGO, ET IN DEBITÆ OBEDIENTIÆ DEMONSTRATIONEM, S. P. Q. TENERAMVNDANVS P. P.

Ex aduerso frontispicio pari cum anteriori ornatu legebantur hæc duo verba chronographica, maiusculis litteris distincta:

DA paCeM.

Nouus nouorum Principum
Nouum incidens in seculum
Conspectus, vt vetus facit
Malum omne sit despectui.

Cum Marte claudus it faber,
Ceduntq́ Diis maioribus,
Pro iis Diana & Cynthius
A maximo tibi en Ioue.

Hinc ad aulam itum est, ad quam ab æde sacra materiata porticus cum funalibus impositis deducebat. Ad ingressum palatij transeunda erat porta triumphalis pro loci opportunitate haud inelegans, cum hac epigraphe:

Saluete Heroes, saluete ô lumina nostri
Luminis, aura animæ & nostræ spiracula vitæ:
A vobis tristi squalentia pectora luctu,
Et tot pressa malis languentia corda virorum,
Nunc recreata nouos animos viresq́ resumunt.

Ciuibus armatis pręstitum egregiè in occursu officium, honore compensatum est Principum custodiæ, quam prærogatiuam maximè cùm Hispanus miles in opidi propugnaculo præsidia haberet, cuius opera vti potuissent, sibi datam esse ciues Teneramundani haud temerè gloriantur. Vesperi hora nona in omnibus viis vicisque publicè priuatimq; & ab omnibus collegiis ignes excitari, vt turres domusque conflagrare viderentur, omnibus animorum quo suscipiebant Principes ardorem restantibus.

Postero die vbi suæ Celsitudines cum nobilibus suis opidique magistratu sacro interfuissent in templo D. Virginis, tapetibus vndique exornato, ad egressum chori è testudine descendit sphærica quædam machina, quæ per tubulos occultos tam frequentes pulueris nitrati artificio sonitus displodebat, vt virorum prœliantium conflictus putaretur. Tum sensim ante Principes delapsa sese mediam aperuit, candidamque columbam, laureum ramusculum rostro gerentem in lucem dedit, gratissimo pacis omine & spectaculo. Alia deinde subsecuta fuit machina orbiculari forma, quæ crebros similesque ex arte pyria fragores flammarumque partus edidit, Principesque voluptatem è re affabrè sciréque composita capientes, aliquantisper detinuit. Dataque in palatio accedendi venia, opidi graphiarius nomine Magistratus eosdem allocutus est. Gratias primùm egit quantas potuit maximas, quòd suæ Celsitudines illac iter facere, optimosque & fideles subditos suos visere, ac pręsentia sua recreare dignarentur. Rogare itaque Magistratum, vt hanc gratulationis & lætitiæ significationem pro facultatum suarum modulo exhibitam, in bonam partem accipiant, etsi minus officio pro Principum dignitate satisfactum videbitur, per tenues fortunas in hoc statu rerum excusatos habeant, Magistratum populumque Teneramundanum fide ceteroquin & obsequio Principibus suis legitimis deuotissimos, commendatos habeant. Gratum sibi esse respondit Serenissima illorum in se studium, eosque singulariter sibi esse commendatos, & vt bonos ac fideles subditos se eos protecturam: quod similiter se facturum Archidux subiunxit, eodemq; die Gandauum sunt profecti.

DESCRI-



DESCRIPTIO
Pompæ et Gratulationis publicæ,
SERENISSIMIS POTENTISSIMISQ.
PRINCIPIBVS
ALBERTO Maxæmyliani II. Imp. Filio.
et ISABELLAE CLARAE EVGENIAE
Philippi II. Catholici Regis Filiæ, Infanti Hispann.
Archiducibus Austriæ, Ducibus Burgundiæ
Dynastis Principibusque Belgarum
a SENATV POPVLOQ. GANDAVENSI
ad Inaugurationem Flandriæ Comitatus decretæ.

MAXIMO ÆMYLIANO VRIENTIO
eidem Senatui à secretis Auctore.

LABORE ET CONSTANTIA

ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
Apud Ioannem Moretum.
cIↃ. IↃCII.



VRBIS MAXIMAE
PRÆTORI MAXIMO,
SENATVI MAXIMO:

REPRAESENTAT MAXIMVS AEMILIANVS DE VRIENDT
POETA, CIVIS, ATQVE ACTVARIVS VESTER

TRIVMPHVM

IAM NVPER SERENISSIMIS POTENTISSIMISQVE
PRINCIPP. ALBERTO ATQVE ISABELLÆ
CLARÆ EVGENIÆ, INFANTI HISPANN.
ARCHIDVCIBVS AVSTRIAE, DVCIBVS BVRG.
BELGI PRINCIPIBVS, GANDAVVM FLAND.
VRB. MAX. AD CAPIENDVM PROVINCIAE ILLIVS
COMITATVM, INGRESSIS EXHIBITVM.
BONIS BONVM, ALIIS ALIVM, VOBIS PORRO,

AMPLISSIMI DOMINI,

TALEM, QVALEM DE EO FACTVRA EXISTIMATIONEM
IVDICII VESTRI SINCERI ET RECTI AMVSSIS RECTA.

DESCRIPTIO

POMPÆ ET GRATVLATIONIS PVBLICÆ SERENISSIMIS BELGICÆ PRINCIPIBVS GANDAVI EXHIBITÆ.

ANNO SAL. Christ. supra millesimum sexcentesimo, XXVIII. IanuarI, qui in diem Veneris incidit, Serenissimi potentissimique Principes ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA INFANS HISPANN. Dei gratia Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ & Brabantiæ, Comites Flandriæ, &c. solemniter ac more Principum supremorum Inferioris Germaniæ, vrbem hanc suam Gandauum Belgicæ maximam, Flandriæ primam, hoc quo sequitur ordine & modo, ardentissimis bonorum omnium votis introgressi sunt.

Discedentibus dicto die circa horam ante meridiem decimam Principibus Teneramunda, vectisque vehiculo pensili (quod rhedæ genus omnes propè nationes accepto ab Hungaris vocabulo, *coche* nuncupant) obuiam progresi sunt, vsque ad incultam illam planitiem pagi Larnæ haud procul hospitio publico, vbi pro insigni Curio Larnæ pendet, Ordinis Ecclesiastici bono numero, viginti ex Flandrica nobilitate primarij viri, & quatuor Membrorum (ita ciuitatum conuentus appellantur, qui ad publica prouinciæ comitia euocantur) legati, terni scilicet à singulis missi collegiis. Imprimis à Gandauensibus nobilis vir Antonius Trieſt D, Merlebecæ, & Ioannes van Haure D. VVallæ, ipsisq; iunctus Ioannes Vermanderius Senatus assessor (quem ab annua pensione, quo honoratur, vulgus Consiliarium Pensionarium vocat) ad excipiendos Principes in itinere aduenere. Etsi autem vltra Teneramundam ad prouinciæ limitem more maiorum fuisset occurrendum, rescripto tamen Principum ob hiemis inclementiam, consilium hoc mutatum est. Prædictus itaque Pensionarius Ordinum Flandriæ nomine Principes oratione excepit, qua & sacri inter ipsos connubij pacta, Belgicæ Principatum, aduentum denique eorundem in hanc prouinciam gratulatus est. Vlterius progresis ad riuulum Eenbecam, quem terminum esse vetus fert opinio, quo vrbis nostræ territorium ab aliis agris dirimitur, Rytgracht seu Vrytgracht vulgus vocat, occurrerunt:

Augustinus Dherrera nobilis Hisp. arcis Gandauensis Præfectus.

VTERQVE BAILLIVVS, nimirum:

D. Iacobus de Langlee Eques, Heijnæ Baro, D. Pecquiæ, supremus apud Flandros, apud. Gand. primarius Prætor, vir clarissimus, omnibusque vitæ ornamentis ampliss.

D. Ægidius vander Meere, Prætor secūdarius, vir nobilis, & iustitię vindex acerrimus.

PRIMI VEL MAIORIS SVBSELLII DECVRIONES, SIVE SENATORES ET TREDECEMVIRI.

D. Ioannes Bets.
D. Gisbertus Cortewylle.
D. Ioannes van Haure D. VVallæ.
D. Philibertus Rym D. de Bellem.
Petrus Zeghers.
D. Andreas vander Sare, Andreæ filius.
Eusebius vande Foreeste.
D. Antonius Trieſt D. de Ruddershoue.
D. Robertus Hellin D. de VVassenhoue.
D. Ioannes de Castille.
D. Antonius van VVychuus.
Iacobus del Val.
Ioannes Spira.

PENSIONARII.

Mr. Ioannes vander Mandere.
Mr. Henricus de VVasteel.
Mr. Ioan. Baptista Schoorman.

SECRETARII.

Iodocus van de Kerchoue.
M[r]. Ioannes Hebberecht.
Maxæmylianus de Vriendt.
M[r]. Iacobus Hebberecht.
M[r]. Petrus vanden Speeten.

MINORIS VEL SECVNDI SVBSELLII SENATORES, SIVE PARTITIONIS HÆREDITARIÆ CVRATORES.

D. Philippus Triest D. de Auweghem.
D. Ioannes Baptista de Rodouan D. de Biese.
D. Gisbertus de Grutere D. Loouelde.
M[r]. Adrianus Meganck.
Iacobus van Ouerwale senior.
D. Iacobus de Bauires.
D. Franciscus Vilain.
Franciscus de Redichoue
D. Ioannes de Vos.
D. Iacobus Doosterlinck.
Balduinus vanden Velde.
Læuinus van Crombrugghe.
Franciscus van Haure F. Ludouici.

PENSIONARIVS:

M[r]. Franciscus de Groote.

SECRETARII:

M[r] Iodocus Rogiers.
Michaël van Zeuecote.
Thomas Heylinck.
Adrianus Helias.
Ioannes Dhane.

QVÆSTORES:

D. Ioannes Damman Thesaurarius.
Philippus de Bisschop, operum publicorum præfectus.
Iacobus de Rycke, quæstor exagogicus.

Præterea alij quamplurimi, simul cum meliori Patriciorum vrbanorum numero, huiusmodi cultu ornatuque Principes adiere. Vterque scilicet Bailliuus palliis, Scabini verò cum Pensionariis vestiti togis holosericis, quarum anteriores inuersasque partes villosi serici fulcimentum decorabat: Secretarij, Quæstor Ærarius, siue Thesaurarius, Ædilis, ac Repetundarum quæstor, cum Amptmanno togis ex serico raso cum villosis itidem suffulturis sericis. Cuncti pileos petasósque gerentes holosericos, sedentes in equis quibus stragula pannea erant iniecta. præter magistrum lautiorum (is est per quem Senatus viris claris in vrbem aduenientibus munera, vini plerumque certum modum mittit) domorum item ciuicarum custodes, & magistrum ministeriorum quibus nomen est ab illuuie & platearum purgamentis, præterque duos Ærarij publici scribas, quibus non fuere togæ galerique nisi ex serico, quod vocabulo nostrate Armosinum vocant. Loco igitur, quem suprà memorauimus, vniuersi consistentes in quadam planitie, quæ agri est Disselbergani, cis Eenbecam, ad sinistram viæ regiæ, & ex equis descendentes, aduoluti altero genu, venerabundi Principes salutarunt. Ad eos verò Pensionarius Ioannes Baptista Schoormannus Clarissimi viri Antonij regij quondam Consiliarij F. nomine Senatus orationem habuit.

Eo penè momento quo ille dicendi finem faciebat, ciues Gandenses sexcenti duce Iacobo Borluuto D. Schoonberghæ, Patricij ordinis viro, omnes splendidissimè armati, & sumtu publico gestantes singuli galerum album insignem crista plumea, seu pennis versicoloribus tribus, vna scilicet russa, altera alba, tertia cærulea (qua colorum varietate se gaudere INFANS SERENISSIMA in emblematis, ludis, festisque ostendere consueuit) explicata acie, tormentis manuariis plumbeos globulos ingenti cum fragore eiaculantur, more militari loco acclamationis exspectatissimis Principibus salutem dicentes, atque ita porrò eodem chiliarcha Schoonbergho, & strenuis Petro Seelino, & Iacobo Dierkens, vrbanæ militiæ lectissimis Tribunis in vrbem contendentes, ponè sequente longo agmine aulicorum, ac Magistratu reipub. Gand. cum D. Pecquiæ primario Bailliuo virgam albam surrectam toto itinere vsque ad palatium Principum præferente.

Appropinquantibus ad maiorem ciuitatis arcem, Præsidiarij more militibus solemni, maiori-

maioribus tormentis æneis, aduentantes Principes salutarunt, quum paulò antè alij stationarij milites in planitie arci proxima, ludicro admodum pedestris velitationis spectaculo Principes detinuerunt, quæ in cladem vmbratilem alterius factionis veste & armis Turcicis ab altera distinctæ periucundè desinebat. Quod quidem certamen in horæ quadrãtem magno spectantium plausu, nec minori Principum voluptate protractum fuit. Hoc ergo comitatu per Damportam ab aggere sic vocatam rheda inuectis huiusmodi in tabella, inscriptio sese obtulit:

MAGNI PRINCIPES MAGNAM SVBITVRI VRBEM SALVETE.
PIIS CONATIBVS, PARVIS APPARATIBVS BENIGNI FAVETE.
SI QVID DECENS PROBATE, SI MINVS EXCVSATE,
TEMPORIS ANGVSTIÆ, CÆLI INCLEMENTIÆ, CLEMENTER CONDONATE.
OBSEQVIVM ATQVE ANIMI FAVENTIAM MAGE QVAM MAGNIFICENTIAM IN RE TENVI NOSTRA SPECTATE.
ITA VOS REGAT, ITA VOS TEGAT,
QVI NOS, QVI CETEROS BELGAS VOBIS REGENDOS, VOBIS TEGENDOS COMMISIT PROPITIVS DEVS.

Hanc portam introgressis ad pontem sublicium Castri Gand. sinistro à latere, inter gemina vtriusque Principum insignia quadrata in tabula talis fuit inscriptio:

QVA ANIMI PRÆSTANTIA ET FIDE AVGVSTINVS DHERRERA MVNITISSIMÆ HVIVS ARCIS PRÆFECTVS D. PHILIPPO II. CATH. REGVM MAX. PRINCIPI SVO PARENTI VESTRO, TAM HIC QVAM ALIBI STRENVVS MILITAVIT, EADEM HAC VOBIS SERENISSIMI DVCES SE PERPETVO PRÆSTO ADFVTVRVM SPONDET ET VOVET. ADEO VOS IAM NOVOS CONIVGES, BELGICÆ PRINCIPES, VENTVRÆ FELICITATIS AVSPICES, S. RELIGIONIS VINDICES CORAM MENTE ATQVE ANIMO VENERARI, ORE ATQVE OCVLO CONTEMPLARI PERFECTE LÆTATVR ET GAVDET.

Prætergressi arcem ad S. Georgij portam peruenere hora à meridie circiter quarta, inclinante iam sole: ceterùm cælo per eam anni tempestatem adeò sudo & amœno, vt non sine certissimo publicæ tranquillitatis omine ipsa auræ temperies Principum ingressui aspirare, & velut adblandiri videretur. Ad prædictam portam subito & tumultuario opere structa ædicula seu sacellum fuit, ad quod Reuerendissimus Præsul Petrus Damantius III. huius vrbis Episcopus cum venerabili clericorum turba, & religiosorum mendicantium sodalitiis solemni supplicationum ritu sereniss. Principes præstolabatur: quibus eò aduectis & vehiculo egressis, more Pontificio Episcopus benè precatus est. Crucem vterque osculati equos conscenderunt, & præeunte sacro supplicantium cœtu Sangeorgianum pontem transiuerunt: super quo portæ eius loco quæ olim fuit diruta, exhibitus est arcus triumphalis picturis & ornatu statuarum insignis ex architectonica dispositione, opere & forma rustica: tota altitudo cum insignibus, statuis & obelisco ad LII. pedes pertingebat, latitudo ad XXVIII. pedes patebat, transitus verò XI. pedibus protendebatur, porta ipsa ad XVI. pedes attollebatur. Supra illam in zophoro virgo amœnissimis coloribus depicta, in cuius gremio placidissimus leo perpetuus ipsius custos capite coronato recumbens, dextra hastile tenet, ad cuius cuspidem labarum dependens hanc habet epigraphen: S. P. Q. G. in portæ verò fastigio ad obeliscum appensa vtriusque

que Principum insignia cum hac orbiculari inscriptione:

PRINCIPVM CONNVBIA DEO AVCTORE FELICIBVS AVSPICIIS CONCILIATA, FELIX HVMANI GENERIS CONCORDIA.

Hinc inde leones ater atque albus Flandriæ prouinciæ & Gandaui vrbis signa cum hastilibus & vexillis flaui & nigri coloris, leonibus etiam interpictis. In laterum dextro, Iulius Cæsar tanquam huius vrbis conditor affabrè ex ligno dedolatus, cum hoc infra hemistichio ad augurem relato:

Quam tu olim hanc vrbem credis!

Cui ex opposito augur lituo atque habitu Romano perquam eleganter effictus, hoc velut oraculum respondere inducitur:

Non altera Diuûm
Auspiciis, cælo tantum caput efferet alto.

Ipsa autem virgo antiquissimum Reipub. Gand. symbolum, latissimo septo cum leone suo inclusa, ingredientes Principes tali carmine salutat:

Illa ego Flandrigenas inter prælata puellas
Cæsareis genita auspiciis, genito simul ipsa
Cæsare virgo potens, quin & te Principe Diuos
Progenitura pares, illa olim ego maxima Ganda
Vrbs atauis regnata tuis, regnandaq; dudum
Imperiis, Isabella, tuis, sic Rege Philippo
Patre tuo, sic fratre tuo statuente Philippo.
Illa ego mœsta diu, sed enim nunc lætior astro
Adspectus radiante tui, radiante serena
Alberti mihi luce tui, tibi Nympha salutem
Et voueo, accipióque lubens te dante salutem.
Emensas pelagóque vias, tædasq; iugales
Denique & aduentum tibi gratulor, ô decus, ô lux,
O spes vna mei & felix custodia regni.
Quare ades ô tandem Diuûm genus, en tibi latè
Panduntur portæ, panduntur & omnia ciuis
Corda mei, clauemq; tibi mentemq; dicatam
Submittunt, pacemq; rogant, tu Regia pacem
Nympha faue, felixq; veni pede Diua secundo.

In ipsa verò arcus testudine serpens in se reuolutus hieroglyphicè seculum denotans, cum hac inscriptione in circumferentia:

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.

Quæ quidem non tam ad præsentis seculi renouationem, quàm ad augustissimum illum Diui Caroli v. Cæsaris natalem ab vno retro seculo huic vrbi felicissimè concessum, merito referri & potest & debet, cui etiam perquam appositè respondet ex opposito illud Virgilianum in natalem Pollionis,

Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Sed de hoc latiùs in altera eiusdem arcus facie; in anteriori verò parte prædictæ testudinis descripta hæc verba,

AVE SALVTARIS VRANIA BELGICÆ.

Anagrammatismus scilicet ipsius Principis:

ISABEL CLARA EVGENIA AVSTRIA.

In quem non ineptè quadrat & hoc epigramma:

Dicat

Dicat Aue, bis dicat Aue, cui publica cordi
Lætitia est, populi vox sonet omnis Aue.
Ecce salutaris verè Austria & aurea Belgis
Appulit Vranie, vox sonet omnis Aue.
Appulit ô tandem clarissima Clara Isabella,
Appulit Eugenie, vox sonet omnis Aue.

In dextro autem latere prædicti arcus infra testudinem Ianus bifrons, anteriori facie barbatus, altera imberbis, illa præteritum, hac præsens tempus designans, manu claui instructus, tanquam portarum Deus, vnde & apud veteres Portumnus, Clusius & Patulcius dici consueuit, iuxta illud Ouidij 1. Fastorum:

Præsideo foribus cæli cum mitibus Horis.

Penes eundem expressus fuit vetustissimus ille ritus condendarum vrbium die auspicato, iuxta Varronem de ling. Lat. Festum in primigenius sulcus, & in dictione sulci, Virgil. Æneid. 5. Ouid. 4 Fast. Lucan. lib. 7. Plutarch. Romulo & in Roman. quæst. & Isidor. lib. orig. 15. cap. 2. qui Catonem quoque citat. Ianus aurigantis habitu cinctuque Gabino, togæ parte caput velatus, parte succinctus, æneo vomere sulcum ducit iunctis sexu dispare bobus, stiuâ incuruâ. A qua aratri curuatura siue ab vruo vrbem dictam putant Grammatici, & Pomponius annotauit in l. pupillus. ff. de verb. signif. Iano autem sic asscriptum:

Auspice me felix vobis nouus inchoet annus.

Anni auspicium signans, & pro more Principes ingredientes fausto omine salutans. Ipsi verò aurigantì asscriptum erat:

Quanta molis opus paruo succreuit aratro!

Quo ciuitatis amplissimum incrementum à tam paruo principio notatur, sicut etiam de vrbe æterna Propertius lib. IV. eleg. 1.

Optima nutricum nostris, lupa Martia, rebus
Qualia creuerunt mœnia lacte tuo!

In sinistro porrò latere eiusdem arcus, dij Lares, & Penates coronati habitu antiquo ex vetustis numis petito, tali inscriptione:

Sacra suosq; tibi commendat Ganda Penates.

Item & illa:

Læta Deûm soboles læta succedite Gandæ.

In exteriore verò eiusdem arcus parte, quæ pontem lacteum & plateam vulgò den Steendam spectat, artificiosissimè expressus natalis Diui Caroli v. Imp. tanquam augustiss. huius vrbis augustiss. Principis & ciuis, idque adeò in hunc modum: ipse Princeps specie infantis aureis in cunis flamma innocua, tanquam futuri imperij auspicio caput eius circumlambente, iuxta illud Virgilij de puero Ascanio,

Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma caput.

Quod & Seruio Tullio Romanorum olim Regi, & Lauiniæ Æneæ postmodum vxori commune, testantur & prædictus Virg. & Liuius. Et de Masinissa Silius Ital. lib. 16.

Carpenti somnos subitus rutilante coruscum
Vertice fulsit apex, crispamq; inuoluere visa est
Mitis flamma comam.

Supra verticem eiusdem infantis felicissimus ipsius horoscopus, concurrentibus ad illum dexterioribus stellis Iouis, Martis & Veneris. Diademate etiam cælitus è nube protenso certissimo venturi imperij signo, & adlucente maiori & nouo velut astro, quali & Diui Augusti natalem commendat hoc versu Virg.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Sub

Sub ipso autem astro, felicioris ominis testandi ergo adscriptum illud:

IOVE ET ASTRO.

Iuxta & circum cunas propensæ nutricularum in morem porrectis vberibus venustissimæ tres Charites, quibus actionem hanc nutriciam peculiari quodam figmento siue blandimento pictor attribuerat. Virgines enim esse poëtæ eas tradunt, & testatur Seneca lib. 1. de benefic. cap. 3. vt in annotationibus in eum auctorem, quendam qui nemini gratiam referebat, hoc disticho Græco perstringit Muretus:

Παρθένοι αἱ παρὰ σοὶ χάριτες, τίκτουσι γὰρ οὐδέν,
Αὐτὰρ ἐγὼ στείρας οὐκ ἄγαμαι χάριτας.

Virgineas verè Charites colis, haud parientes,
Delector sterili non ego sed Charite.

At demus hanc licentiam artificis penicillo, qui nudas etiam pinxit beneficas illas diuas, cùm vsque ad Pausaniæ æuum, vt idem refert in Bœoticis, velatas vestimēto eas pinxerint finxerintque. Multaque earum signa commemorat hoc schemate expressa: Et supra in Veneris victricis descriptione de Gratiis vestitis facta fuit mentio. Negat verò Pausanias se vsquam comperisse, quis nudas primus finxerit Gratias. An quia munifici & liberales homines omnia habeant aperta & soluta? Eoque nomine solutis Gratias zonis vocat Horatius, quas appellat nudas alibi. Prope illas lætissimus niueo amictu, puerili vultu, coronato vertice, manu cornucopiæ instructa Genius; Astante illi habitu regio, cum sceptro & corona, Iunone Lucinâ, paruum præside: à qua non longè niuea in veste tres Parcæ ex arte singulæ suis functionibus intentæ cum versu illo Catulliano:

Currite felici subtegmine, currite fusi.

Infra ad cunas illud Virgilij:

Magnum Iouis incrementum.

Supra ad caput auis natalis placidè expassis pennis, iuxta illud Catull.

Accinit & natalis auis.

In ipsius verò arcus fastigio ad pyramidem appensa signa Imperij Rom. tanquam ipsi iam Principi fataliter agnata, iuxta illa leones ater atque albus Flandriæ & Gand. prisca insignia cum hastilibus & vexillis, vt in anteriori arcus parte. Super coronice ad laterum partes, hac Pallas, illac Vesta, illa sacrorum, altera armorum Dea, habitu veteri pro more adumbratæ, cum his inscriptionibus:

Pro virgine virgo, Palladem tangens, item & illa:

Pro numine & aris, Vestam spectans, quin etiam & tertia ad vtramque relata:

Virginis æterna muros & templa tuemur,
Innuba virgo armis, innuba virgo sacris.

Omnem rempub. benè constitutam & armorum & Religionis obseruantia contineri non obscurè denotans.

Ad rotam verò natalis prædicti figuram atque etiam ipsius vrbis originem ex aduerso expressam respondebat perquam eleganter hoc epigramma:

Prima tui cunabula aui Gandam aspice Princeps
Cæsareum Cai bellipotentis opus.
Quàm benè de nato sibi plaudit Cæsare Ganda,
Quæ quondam è Caio Cæsare nata fuit.
Austriacis aquilis cesserunt Iulia sceptra,
Cessit & imperio Iulia Ganda tuo.

Super hòc arcu tibicines consistebant & buccinatores publico ciuitatis ministerio addicti, qui Principes transeuntes Musicâ symphoniâ perquàm suauiter salutabant. Illic præsto fuit vmbella (Itali Baldachinum vocant) ex serico raso, subtegmine variante inter

ter

ter album & nigrum, reip. Gand. colorum ſymbola, ſub qua ipſi equitabant Principes. Eam congredientes manu ſuſtinuere tres ſuperioris ſubſellij Scabini (quod Curam ſiue Keuram vulgus noſtrum vocat) & quinque ſimiliter inferioris ſubſellij, id eſt, partitionis hæreditariæ ſeu familiæ erciſcundæ Senatores, amicti quam ſuprà deſcripſimus veſte. Fuere autem vmbelliferi inſignes & ſpectabiles ciues tam ſua quàm parentum virtute, & decurionum munere in rep. clari, Ioannes de Caſtille, Antonius van VVychuus, & Andreas van Sare ſcabini Keuræ; Iacobus de Bauires, Franciſcus Vilain, & Franciſcus van Haure ſcabini Partitionum.

Ab hac porta vſque ad palatium ipſorum Principum, tota via per interualla ſedecim pedum inſeſſa fuit continua quadam virguncularum ſerie, ad numerum quingentarum & quinquaginta, omnium infra ætatis ſuæ annum duodecimum, quæ ſingulæ è ſedilibus ſuis eminentes amictu exterius candido ſerico, lineo, interius cæruleo, rubeo, atque aliis id genus amœnioribus coloribus, dextra ardentem facem, fronte lauream præferentes, iucundiſſimum tum vultus atque habitus elegantia, tum continuo funalium ſplendore præbebant ſpectaculum, ſedilibus etiam ipſis in ſeptem pedes eleuatis ſua non deerat gratia, vtpote egregiè depictis, & quatuor diuerſis emblematibus alternatim exornatis, quorum primum cæruleo atque argenteo colore Principum nexum, ceu Cifram, vt vocant, repræſentans, inſcriptum fuit, dicatumque:

AMORI ÆVITERNO.

Secundum petitum ab antiquo numo L. veri, cuius & Ælianus, & poſt illum Politianus meminerunt, Corniculam exhibens, adiecto illi ad roſtrum oleæ ramuſculo, cum inſcriptione:

CONCORDIÆ PERP.

Tertium cornucopiæ ſymbolum, cum tribus ariſtis inſcriptum:

VENTVRÆ FELICITATI.

Quartum caduceum Mercurij, duabus infrà iunctis manibus, titulo:

SPERATÆ QVIETI.

Inde progreſſis ad pontem lacteum exhibiti fuere gigantæa forma tres præcipui huius vrbis fluuij, nimirum Scaldis, dextra oſtentans Cornucopiæ, ſiniſtra vrnam premens, cum inſcriptione ad pectus:

SCALDIS VBERTATI.

Ad vrnam lacte artificioſè fluentem:

FLVMINA IAM LACTIS.

Liſa capite ſpicis exornato, dextra ariſtis inſtructa, inſcriptione ad pectus:

LISÆ FERTILITATI.

Ad vrnam vino rubeo liquentem:

IAM FLVMINA NECTARIS IBVNT.

Liuia in alga recubans, capite arundine & iuncis obtecto, cum hac pectorali inſcriptione:

LIVIÆ AMOENITATI.

Ad vrnam melle fluentem:

Lacte nouo Scaldis fluat, vbere nectare Liſa,
His ego Principibus Liuia melle fluam.

Vltra quos fluuios vni Gandauo ſingulari quodam naturæ beneficio proprios, etiam & quarto loco additus fuit non minori forma ſpectandus Oceanus, cuius & vrbs illa per manuductum alueum ſiue foſſam commoditate præcipuè gaudet, cum conuenienti hac ſibi epigraphe:

OCEANI COMMODITATI.

Profluentibus ab eiuſdem vrna diuerſi generis piſcibus, addito carmine:

Lacte, mero atque fauis vos DI ſtillate minores,
Magnus ego Oceanus flauis ferar aureus vndis.

Descendentibus per forum Suarium in plateam vulgò de Cammerstrate, exhibitum fuit ad ædes Triestiorum in theatro eminentiore, à iuuentute Kerchouiana lætissimum spectaculum, loquentibus in transitu Principum per hemistichia Virgiliana perquam breuiter & appositè certis personis ad hoc conuenienter adornatis, quarum prima scipioni innitens, tanquam grauiori onere depressa, miserã plebem repręsentans, hoc breue:

Numquámne leuabor!

II. Ciues duo grauiter vulnerati & obuoluti:
Quis funera fando Explicet?

III. Discordia habitu femineo cum duobus in fronte cornibus, dextra Zelandiæ insignia complectens:
En quo discordia ciues
Perduxi miseros.

IIII. Pietas cum asseclis habitu Ecclesiastico, face ardente:
Pacem te poscimus omnes.

V. Bellum horribili specie Martis vultu sanguineo, manibus cruentis cum insignibus Hollandiæ:
Bella horrida bella
Bella sonent.

VI. Salus publica, habitu Regali, insignibus Austriæ:
Nulla salus bello.

VII. Gratia diuina specie nymphæ:
Vel pace vel armis
Vincite.

VIII. Pax niueo amictu oleam capite, manu caduceum protendens:
Dextras iungamus inermes.

IX. Hæresis Erinnydis specie, libro & gladio instructa, cum insignibus Britanniæ:
Hoc velit Austriacus.

X. Iustitia cum gladio & bilance:
Discite iustitiam moniti.

XI. Bellum:
Moriemur inulti?

XII. Hæresis:
Acheronta mouebo.

XIII. Mercatura cum marsupio:
Redeunt Saturnia regna.

XIIII. Colonus ligone & pede coronato:
Pascite vt ante boues.

XV. Opificia malleo, amussi, & id genus instrumentis:
Iuuat indulgere labori.

XVI. Studiosus habitu Iurisconsulti cum libro:
Albertus nobis hæc otia fecit.

XVII. Goliath forma gigantea:
Nescia vinci Dextera.

XVIII. Dauid:
Cedant arma Deo.

XIX. Iudith gladio euaginato, capite ab hoste sanguinolento:
Dux femina facti.

Pertin-

 339

Pertingentibus hinc paruo interuallo ad forum Veneris, primùm à dextra sese ostendit latissimum theatrum ex arte architectonica accuratè fabricatum, longum pedes sexaginta, latum viginti, altum septem, cum duabus vtrimque ad ascensum patentibus scalis. Totum id Religioni Iurisiurandi dedicatum.

In medio autem ipsius fori, eminens statua inaurata cum basi & scapo marmoreo, altitudine quadraginta trium pedum, Diuo Carolo v. Imp. ob memoriam rerum gestarum, & natiuitatis hîc suæ nouiter erecta, cum his in quadrata basi elogiis:

D. CAROLO V. IMPERAT. CÆS. AVG. PIO, FELICI,
TVRC. AFR. GERM. GAL. GELD. HISPAN. SICIL.
ATQVE IND. REGI, FLAND. COMITI P. P. S. IMPERII
VINDICI. QVIETIS AVSPICI.

PRINCIPI POTENTISS. VICTORI AC TRIVMPHATORI
PERP. MAGNO MAX. VNIVERSI CHRIST. ORBIS
BONO, DEO VOLENTE, CÆLO FAVENTE HVIC VRBI
SVÆ FLAND. MAX. FELICITER INNATO.

ALBERTO AVSTRIACO MAXÆMYL. II. IMP. F. ET
ISABELLÆ, CLARÆ, EVGENIÆ, PHILIPPI II.
HISP. REGIS F. AVSTRIAE ARCHIDD. BELGI
PRINCIPP. HANC VRBEM LÆTISS. OMNIVM CIVIVM
APPLAVSV INGREDIENTIBVS.

ANNO SALVTIS CHRIST. CIↃ. IↃ. C. IACOBO DE
LANGLEE EQ. HEYNÆ BARONE, PECQVL D. PRÆTORE,
IOANNE BETHS, ET ANT. TRIEST MEERLEBECANO
COSS. S. P. Q. G. P.

POSTERI CONSERVANTO.

Ad decliuiorem fori partem prope Lisam flumen, immane tormentum bellicum, in cuius tubo Mauors horribili specie, manibus post terga reuinctis, in rotis duæ furiæ hydris caput implexæ, Hæresim & Discordiam notantes: quæ simul ad conspectum Principum à colonis subito velut ex insidiis erumpentibus auelluntur, & profligantur: euolantibus eodem ferè momento è faucibus prædictæ machinæ niueis columbis, cum ramusculis oleæ, pacis symbolis.

Iuxta prædictum tormentum, erectum pegma longitudine viginti quinque pedum, & pari latitudine, in quo officina Vulcani:

fumantibus ardua saxis,
Quam subter specus & centeni incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntq́ cauernis
Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat.
Hic inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantq́ tenaci forcipe massam
Brontes & Steropes & nudus membra Pyracmon.

vt pulchrè Virg. Æneid. lib. octauo.

Iucundissimum autem visu fuit noxia omnia arma in plaustra, ligones, rastra, & cetera id genus rustica & paci conuenientia instrumenta conflari, agrestes circumlætari, milites cædere, ferrum proterere, apiaria extollere, & penitus paci incumbere.

Præter cetera verò sedilia quatuor illis communibus emblematibus distincta, & alia quinquaginta duo ab iis diuersa, & maiori paulò forma in eodem illo foro exhibita fuere, singula singulorum opificiorum insignibus & emblematis ingeniosè variata, con-

tinua etiam porrecta super sedilia porticu, virgunculis, vt suprà, exornata, quorum hic sequitur series:

Laniones.	*Quid meruere boues?*
Salsamentarij.	*Elementa per omnia luxus.*
Nautæ.	*En altera quæ vehit Argo.*
Pistores.	*Sat quercus.*
Cereuisiarij.	*Vindemia Belgis.*
Lanarij.	*Vestes quas geritis.*
Sartores.	*Velamina noxæ.*
Vestiarij.	*Obsoleta nouant.*
Caligarij.	*Sarta tecta.*
Panni tonsores.	*Attonsa decori.*
Phrygiones.	*Operum gens gnara Mineruæ.*
Linteones.	*En tela texitur.*
Culcitrarij.	*Lectos fugit acer inertes.*
Aromatarij.	*Peregrina probantur.*
Casearij.	*Parce.*
Lychnopæi.	*His noctem superare datum.*
Institores.	*Duce Mercurio.*
Zonarij.	*Zonam cura.*
Pileones.	*Libertatis honos.*
Pictores.	*Magna æmula matris.*
Aurifices.	*Moderato splendeat vsu.*
Stannarij.	*Itum est in viscera terræ.*
Lignarij.	*Tractant fabrilia fabri.*
Tignarij siue Materiarij.	*Non ex omni ligno Mercurius.*
Naupegi.	*In classem nemora alta cadunt.*
Serratores.	*In via ne seces.*
Carpentarij.	*Ne extra orbitam.*
Capsarij.	*Dædalei monumenta laboris.*
Tornatores.	*Opus Alcimedontis.*
Cæmentarij.	*Ad amussim.*
Scandularij.	*Cælum ipsum petimus.*
Stramentarij.	*Ventos aduersus & imbres.*
Crustarij.	*His olim contenta vetustas.*
Coriarij.	*Quæstus in exuuiis.*

Cal-

Calcearij.	*Nouit qui induit.*
Cerdones.	*Ne vltra crepidam.*
Chirothecarij.	*Et amico pignus & hosti.*
Alutarij.	*Alieno in corio.*
Pelliones.	*Pro pellibus omnes.*
Membranarij.	*Sic vos non vobis.*
Flammearij.	*Non ostro affinior alter.*
Cęrulearij.	*Non cælo affinior alter.*
Tonſores.	*Formido Tyrannis.*
Doliarij.	*Pſeuſippo præeunte.*
Vini menſores.	*Te cerebro metire tuo.*
Oenopolæ.	*Vina parant animos.*
Fabri ferrarij.	*Mulciberi de ſtirpe genus.*
Armamentarij.	*Dulcia inexpertis.*
Molitores.	*Nequid nimis.*
Olearij.	*Oleum non ſola Minerua.*

Atque hæc quidem omnia prædicto in foro pergentibus porrò inde per longam monetam, varia eaque amœniſſima à mercatoribus ibidem commorantibus, exhibita fuerunt mentium atque animorum lenocinia, citra inſcriptiones tamen. Donec in ima via vbi angulus eſt forum ſpectans piſcarium, noua eaque ingenioſiſſima inter pulcherrimos hermas ſeſe conſpicientium oculis obiecit pictura, ea autem erat talis: Sedebat venerabilis quædam matrona habitu decenti ſed lugubri ad radicem ſiccæ arboris, paſſis capillis, oculis lacrymantibus, vultu in terram deiecto, pedem nudum oſtentans, acri perfoſſum ſpina, & ab eius ſanguineo vulnere grauiſsime dolentem, retrò illam ad litus maris vrbs hoſtilis, omnia diluuio, flammis & rapinis miſcens, regio circumquaque vaſta & deſerta. Iuxta illam Æſculapius, veſte coccinea, vertice laureato, gallo gallinaceo ad pedes, qui manu ſub conſpectum eius longius protenſa, Sereniſſ. Principem Iſabellam innuens, vnà cum Archiduce Alberto, hoc verbum effari viſus eſt, OSTENDE, quo & ille vim mali, & in Principe præſens eiuſdem remedium apertè demonſtrabat; Princeps autem mitiſſimo illo quo totam Belgicam ſuam oculo, & miſeram hanc Flandriam ſuam clementer intuita, manu panacen ſiue moly ſaluberrimam plantam protendens, promtiſſimo reſponſo hoc vnum effari videtur, MEDEBOR. Cui viciſsim Flandria:

Sic iuuet, & pulcrâ faciat te prole parentem,
Cæſareum genus Albertus.

Supra Albertum & Principem ipſam, è nube cum caduceo, petaſo & talaribus aureis ſe librabat Mercurius, cum hoc hemiſtichio:

Audiuere DII.

Ad hermas ſupra coronicem prædictæ picturæ inſcriptum:

Expectata venis noſtri ſpes aurea ſecli.

Ab hoc pegmate ſtatim ſeſe offert alta porta, vulgò de Hoochpoort, in cuius plateæ medio magnificentiſſimus arcus, opere & ſtructura Ionica, tranſitu triplici patens, altitudine cum inſignibus & obeliſco pedum ſexaginta octo, latitudine pedum octodecim,

cim, porta ipsa media ad totidem pedes attollebatur: totius operis pars inferior sex columnis marmore versicolore egregiè depictis nitebatur. Superior verò quatuor paribus columnis, capitulis ex candido lapide elaboratis, in summo operis fastigio ad obeliscum appensa D. Philippi II. Cathol. Hispan. Regis amplissima insignia, in quorum ima parte pium illud & notissimum symbolum inauratis litteris egregiè conspicuum:

DOMINVS MIHI ADIVTOR.

Super extrema coronicis parte à dextra idem Hisp. Rex communi hominis forma maior, ab altera eiusdem filius Philippus III. Inter vtrumque leones ater atque albus ex ligno dedolati, cum hastilibus & labaris sericis, atri & flaui coloris, Flandriæ & Gandaui nouis & priscis insignibus. In medio ipsius arcus elegantissima pictura altitudine & latitudine decem pedum, petita è sacro Bibliorum codice Num. 27. historiam referens, qua Iosue distributor hæreditatis Dei, iuxta eius sententiam assignauit quinque filiabus Salphaad ex tribu Manassæ possessionem in medio fratrum suorum. Textus ipse in tabula ad dextrum latus in intercolumnio adscriptus:

IVSTA FILIARVM SALPHAAD EX TRIBV MANASSE FILII IOSEPH PETITIO, DEI ENIM LEGE ET IVDICIO IN HÆREDITATEM PATRI DEBITAM SVCCEDENT, DABITVRQVE EIS POSSESSIO INTER FILIOS PATRVM SVORVM, TRANSIBITQVE HÆREDITAS EORVM IN POSTEROS, ET ERIT HOC IN FILIIS ISRAEL SANCTVM LEGE PERPETVA, NE CVM IVBILEVS REMISSIONISQVE ANNVS VENERIT, CONFVSIONE COMMISCEANTVR POSSESSIONES FILIORVM TRIBVS ISRAEL, OMNESQVE VIRI SIC ET FEMINÆ NVBANT IN EADEM TRIBV ET NATIONE SVA, ET HÆREDITAS PERMANEAT IN FILIIS, VT A DOMINO SEPARATÆ SVNT.

In sinistro applicatur exemplum prædicto Regi Philippo II. in donatione Belgicæ suæ, Isabellæ Claræ Eugeniæ filiæ, Principi nostræ iam nuper factæ, tali inscriptione:

QVOD DIVINITATIS INSTINCTV, SACRAE ANTIQVITATIS EXEMPLO, HVMANI ET PATRII IVRIS FVNDAMENTO, PHILIPPVS II. REGVM MAX. PATRVM OPT. PRINCIPIBVS LIBERIS ÆQVA HÆREDITATIS PORTIONE TRIBVTA HEROINÆ LECTISSIMÆ FILIÆ DILECTISSIMÆ, ISABELLAE, CLARÆ EVGENIÆ HANC BELGICAM SVAM PROPRIAM ET DOTALEM SCRIPSERIT; QVODQVE ADEO PHILIPPVS III. OPT. PATRIS OPT. FILIVS CHRISTIANI ORBIS BONO IPSVM ID RATVM ET SANCTVM ESSE VOLVERIT,

SENATVS POPVLVSQVE GANDAVENSIS VTRIQVE PRINCIPVM MERITISS. LVB. HVNC ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM OB MEMORIAM ET GRATITVDINEM POS.

In ipsa hac Belgicæ traditione per sphæram appositæ repræsentata, & velut à Rege ipso in filiæ manus collata, iucundissimum fuit videre seriem Flandriæ Comitum ascendentem per gradus ad Philippum Audacem, singulis suis adpictis insignibus; ad pedem eiusdem tabulæ fimbriamque Isabellæ Principis adscriptum hoc Virgilij;

Voluenda dies en attulit vltrò.

In

In imo tabulæ:

DEO IVBENTE,
REGE SEQVENTE,
PRINCIPE OBSEQVENTE.

In ſtylobata dextro maioris portæ, emblema prouidentiæ monochromate æneι coloris depictum, cum ſpeculo relatum tali inſcriptione ad Regem:

PHILIPPI PROVIDENTIÆ.

In ſiniſtra ſimili pictura, emblema obſequentiæ, inſcriptione ad Principem filium relata:

PHILIPPI OBSEQVENTIÆ.

In epiſtylio minoris portæ dexteræ, Sol occidens, cum titulo:

NATVRÆ SATIS, ORBI PARVM.

In epiſtylio minoris ad ſiniſtram Sol oriens, ſimili vt ſuprà colore adumbratus, adiecta inſcriptione:

ORTVS AB OCCASV.

Hoc regem regnantem, alterum regno & vita defunctum ſpectans.
Supra fornicem Victoriç ſpecie Cupidinum Principes tranſeuntes lauro coronabant.
In fornice ipſo variæ omnis coloris roſæ aſpectu & picturæ elegantia periucundæ.
Sub eodem ad latus dextrum hiſtoria petita ex ſacris litteris Geneſeos cap. 28. coniugium Iacob & Rachaëlis repræſentans cum verbis ſacri textus:

NOLI ACCIPERE CONIVGEM DE GENERE
CHANAAN, SED VADE ET ACCIPE VXOREM
DE FILIABVS LABAAN AVVNCVLI TVI.

Ad latus ſiniſtrum hiſtoria petita ex 1. Regum cap. XVII. coniugium Dauidis cum filia Micol Regis Saulis repræſentans, cum verbis ſacri textus:

VIRVM QVI PERCVSSERIT EVM, DITABIT REX
DIVITIIS MAGNIS, ET DABIT EI FILIAM SVAM.

Sub iiſdem tabulis ad latus ſcilicet dextrum duo emblemata, primum petitum ex numo veteri Conſtantij Imp. cum hoc decuſſatæ Crucis ſigno α ☧ ω. addita orbiculari inſcriptione:

SALVS PP. NN. LVCET.

Alterum petitum ex eiuſdem Conſtantij atque aliorum Impp. vſque ad tempora Iuliani apoſtatæ numis, cum orbiculari inſcriptione:

FELIX TEMPORVM REPARATIO.

Princeps paludatus ferens manu victoriam, altera labarum complectens cum dicto ſigno decuſſatæ Crucis.
Ad ſiniſtrum latus alia duo emblemata votiua, vnum Victoriæ Principum ſacrum, petitum ex Maxentij & Decentij numo, duobus angelis ſphærulam precatoriam manu tenentibus, addita ad ſummum prædicta decuſſata Cruce. In cuius ſphærulæ orbe:

VOT. V. MVLTIS X.

cum inſcriptione: VICTORIA PP. NN.
Alterum petitum ex numo Valentij Imp. Chriſt. ſertum laureum referens, in cuius medio,

VOT. XXX. MVLTIS. XXXX.

cum hac epigraphe:

LONGÆVITATI PP. NN.

Sub fornice minoris portæ ad latus dextrum tres celebriores victoriæ Philippi Regis II. quarum prima de Gallo ad fanum S. Quintini cæſo, tali elogio:

Quintini ad fanum belli tibi prima, Philippe,
Palma nouum toto contulit orbe decus.

Secunda

Secunda ea quam ad Grauelingam Egmondano duce de eodem Gallo hoste mira celeritate consecutus est, addito epigrammare:

Fatales Flandrûm quisquis Celta ibit in agros,
In sua se posthac ire sepulchra sciat.

Tertia partum regnum Lusitaniæ hoc carmine illustratur:

Accessit Tartessiaca de gente triumphus,
Auxerunt titulos & noua regna tuos.

Postremo exhibebatur Philippus Princeps Alexandri Magni habitu insignis, cui à sinistra adpictus Bucephalus, dextra machæram complectens, nodum Gordium secans, Philippum Regem parrem hoc versu compellans:

Parce potens genitor, nec, si potes, omnia vince,
Fas sit vt & nato palmam sperare Philippo.

Infra prædictas victorias quatuor alia emblemata, primum, Phœnix renascens à cinere, cum inscriptione:

Post busta superstes.

Philippum Regem II. in prole regia superstitem innuens, cui non malè conuenire videtur hoc epig. meum numerale:

OCCIdIt aC *sVperest nato do*MI*nante* PhILIppV*s*,
SIC CV*bat atq*V*e or*I*t*V*r Phœb*V*s* I*n orbe no*VV*s*.

Secundum, duo contrarij venti palmam mediam hac illac graui murmure incassum verberantes cum notissimo illo atque augustissimo Regis symbolo:

NEC SPE NEC METV.

In quod & hoc meum epigramma:

Hinc spes inde metus veluti duo verbera Cauri
Alterno quatiunt fluctu hominum omne genus.
Qui similis tibi nil sperat metuitq́, Philippe,
Omnem supra hominem proximus ille Deo est.

Tertium vetus illud insigne Burgundicum, crux decussata, silice chalybi collisa, circumquaque flammas eiaculante, adiecta epigraphe:

ANGIT QVEM TANGIT.

Quartum, Aquila expassis pennis, rostro lauream gerens, vnis vnguibus coronam regiam, alteris sceptrum duabus aris consignans, cum inscriptione:

RELIGIONE ET IVSTITIA.

Propriis Philippi II. Hispan. Regis virtutibus.

Sub fornice minoris portæ ad latus sinistrum elogia & victoriæ Impp. Maxæmyliani patris, & filij Rodolfi, atque inter cerera illud de Maxæmyliano Cæsare illustre & memorabile, quod vnius anni circuitu trium regnorum regio diademate insignirus fuerit, quod præter Albertum II. eius nominis ex augustissima Austriadûm familia antea contigit nemini. Regna verò illa tria Bohemiæ scilicet, Hungariæ, & Romanorum tribus coronis exprimebanrur ab aquila Imperij alire, rostro atque vnguibus hic illic protensis, cum inscriptione:

QVOD DECVS VLTERIVS?

Cuius emblematis & Ioannes Sambucus statim in principio libri sui meminit.

Hanc imaginem eodem in latere sequebatur insignis illa Imp. nostri Rodolfi de immanissimo Christianorum hoste victoria, quam III. Septemb. anno M. D. XCVII. Deo fauente, & militari virtute fortirer obtinuit, his verbis declarata:

HATVA VI CAPTA.

In qua

In qua quidem vrbe quatuor milia Turcarum militum præsidiariorum occubuisse ferunt.

In altero latere singularis de Strigonio victoria:

STRIGONIO VI CAPTO.

Eodem in latere & altera:

IAVERINO OCCVPATO.

Omnes illæ vrbes secundùm suum quæque situm, munitiones, fossas, atque obsidiones graphicè delineatæ, atque æneo monochromate erant depictæ.

Infra prædictas victorias tria emblemata, primùm, anguis in medio coruorum:

HOC TVRCÆ RESTARE CANVNT.

Ex vaticinio scilicet Seueri & Leonis Imperatorum, quorum vltra prædictam figuram sunt hæc verba Turcici Imperij ruinam profitentia, *In medio geminorum coruorum & volatilium absumeris.*

Alterum, cornix, confosso oculo Imperium orientis notans, titulo tali:

VINDICE FATO.

Tertium, draco ab aquila victrice depressus:

VT LAPSV GRAVIORE RVAT.

Per draconem, barbarum illum & pestiferum hostem Turcam; per aquilam, virtutem Christianorum denotans.

Quartum sub elogio Imp. Maxæmyliani ad cuius ternas coronas totidem depressa Turcarum insignia:

DEPRESSÆ CORNVA LVNÆ.

Frons arcus posterior simili ordine columnarum, colore tamen diuerso, sed pari elegantia, necnon emblematis & symbolis paribus cōdecorabatur. In fastigio ad obeliscum, Alberti Principis atque Isabellæ coniugis coniuncta pendebant insignia, sub iisdem in zophoro inauratis litteris, legebantur hæc verba:

INDIVIDVÆ PRINCIPVM SOCIETATI.
ORBIS TERRARVM TRANQVILLITATI.
BELGICÆ FELICITATI.

Ad latera superioris eleuationis hinc inde Impp. Maxæmylianus Alberti Principis nostri pater, & Rodolfus frater, hic ad dextram, ille ad sinistram habitu & diademate Imperatorio.

Inter vtrumque in medio prædictæ eleuationis eminentissima pictura quadrata, latitudine atque altitudine decem pedum, Principes nostros Albertum atque Isabellam dotalem Belgicæ orbem complectentes exprimens, ipse autem orbis insignibus XVII. prouinciarum in totidem scutis conspicuus erat: supra illos in summo tabulæ, Pneuma sacrum, iuxta genij palmam & lauream hic illic sereniore è nube ad Principum verticem protendentes.

Infra hi versus:

Adspice quàm fausto latentur cuncta Hymenæo,
Et terræ tractusq́ maris cælumq́ profundum.

Alberto Principi prædictum Belgicæ orbem manu tangenti adscriptum hoc hemistichium Virgilianum:

Tu mihi quodcunque hoc regni.

Cui ex aduerso Isabella similiter altera manu eundem orbem seu sphæram tangens, respondere videtur:

Tu pace vel armis
Hoc quodcunque pari mecum virtute tuere.

Infra prædictam sphæram hoc hemistichium Virgil.

Fatis tibi debita tellus.

Ad latus Alberti suis coloribus atque habitu conueniente egregiè depictæ tres virtutes in principe principes, Iustitia, Fortitudo, Prudentia. Ad latus Isabellæ ex opposito, Clementia, Temperantia, Religio. Sub pedibus vtriusque totidem contraria vitia, Hæresis, Luxuria, Discordia, Tyrannis, Amentia, Ignauia.

In imo tabulæ hi versus Chronographici in auspicatissimum prædictorum Principum matrimonium:

AVstrIaCa AVstrIaCo, GerMano nVbIt Ibera,
RegIa progenIes Cæsareo generI.
ALberto IsabeLLa, datVr dos BeLgIa, feLIX
HesperIæ & nobIs donet Id esse DeVs.

Infra zophorum maioris eleuationis in intercolumnio ad latus dextrum in appensa tabula legenda erant hæc carmina ad Catulli versus in epithalamio suo de Pelei & Tethidis nuptiis aliquatenus adumbrata:

O nimis optato seclorum tempore nati,
Heroes saluete, Deûm genus, ô Dea certè
Magna Isabella, Deos simul ipsa datura, potenti
Qui terram imperio, cælum virtutibus æquent.
Tuq; adeò eximiè tædis Regalibus aucte,
Alberte, Austriadum columen, sate Cæsare, & vltra
Cæsaris ipse nepos, & frater Cæsaris, ipse
Ipse suam cui Rex natam despondit Iberus,
Dotalesq; nouo transcripsit fœdere Belgas:
Coniuge vir felix, & felix coniuge nupta,
Viuite, & illustri serie accrescente nepotum,
Accipite hunc æquis moderandum legibus orbem.

Ad læuam etiam totidem versus subsequentes:

Nullus Hymen tales vnquam contexit amores,
Nulla Venus tales vnquam coniunxit amantes,
Qualis amor Claræ, Alberto concordia, qualis
Nascetur vobis expers terroris auitus
Carolus, imperio nomen fatale regendo.
Non illi frustra quisquam se conferet heros,
Siue sagum mediis seu pacem cernet in armis.
Illius egregias virtutes claraq; facta
Vltimus & Boreas cognoscet & vltimus Auster,
Publica quum cluso latè dabit otia Iano.
Nam velut alma nouis succrescit messis aristis,
Sanguine de vestro surget stirps aurea mundo.

Infra paulò in epistylio ad dextram monochromate colore depictum emblema, in quo femina vna manu copiæ cornu complectens, altera nauis gubernaculum, petitum ex numo antiquo Adriani Imperatoris, cum inscriptione:

FORTVNÆ PRINCIPIS.

Ad sinistram alterum emblema simili colore femina nimirum duos lactantes infantulos ad sinus admotos gestans, duobus aliis ad genua laciniam hîc illic prensantibus, similiter petitum ex numo Augustæ:

FOECVNDITATI PRINCIPIS.

In epistylio minoris portæ dextræ, gemina laurus decussata flammam extundens:

FLAMMESCIT VTERQVE.

In

343

In ſiniſtro, nauis in alto fluctuans, adlucẽte deſuper gemino aſtro Caſtoris & Pollucis:

SOLATVR VTERQVE.

Serenitatis marinę, atque amoris & fidei coniugalis ſymbolis, ex ſententia Claudij Paradini in libello Gallico cui titulus, Deuiſes Heroiques.

Prætereuntibus ab hoc arcu, tria theatra magiſtratus munificentiâ ſtudioſæ ſocietatis Ieſu iuuentuti attributa fuere. In primo quatuor Flandriæ membra ſericis colligata vinculis (vnionis hoc erat hieroglyphicum) hinc ſibi Hollandum ardenti armatum face, illinc inſtare Anglum nudato ferocientem gladio lamentabantur. Lacrymantibus accurrere Principes, ſolari primo verbis, inde Iſabella facem Hollando eripere, gladium Albertus Anglo extorquere. Subſecuta eſt iucunda quatuor nympharum Flandriæ acclamatio.

Medio in theatro reliquis auguſtiore ſeptendecim Prouinciæ conſidebant, quibus ad pedes ſinguli catelli (ſymbola pacis otiiq́ue) procumbebant: Has Iſabella pede dextero victam ſubigens hæreſim, rore aſpergens papauereo, ſuauiſſimis hiſce verbis ad ſomnum inuitabat:

Nymphæ Belgiacæ mea lux, mea gloria nymphæ,
Hæreſis icta iacet, ſecuros carpite ſomnos.

Albertus quoque in altera proſcenij parte diuas luſtrans, Bellonamq́ue captiuam manu ducens, dormitantibus hæc occinebat:

Nymphæ Belgiacæ mea lux, mea gloria nymphæ,
Fracta iacet Bellona, quietos carpite ſomnos.

Exinde ſuauiſſimæ Prouinciarum auditæ voces, *Nobis Iſabella iſta otia fecit. Nobis Albertus iſta otia fecit.*

In tertio theatro in puluillis veluti ſomnum capientes Principes quieſcebant; quos inter media aſſurgebat arbor tribus coronis, Ducali, Regali, & Imperiali præfulgens. Ad hanc genius adrepebat magnæ nouæq́ue ſtirpis futurus omen; extenſaque manu corollas haſce prehenſare moliebatur, molliter inclamans:

Dux ero. Regnabo. Imperabo.

In frontiſpicio theatrorum hemiſtichium hoc chronicum vncialibus depictum litteris extabat:

CeDant arMa togæ.

Fuerunt eadem theatra verſibus chronicis, odis, anagrammatis tum Græcis tum Latinis, emblematis quoque omnis generis conueſtita.

Prætereuntibus inde domum Senatoriam iuxta ædes phratriæ Baliſtariorum, quibus eſt tutelaris D. Georgius, in cõſpectu fuerunt quinque eleuatiores hermæ, in medio eorum dedolatæ effigies Alberti & Iſabellæ Principum inſigni pictura illuſtratæ, cum emblemate infrà in baſi, Solis & Lunæ:

SIMVL ET SEMPER.

Ad reliquos quatuor hermas adiunctæ pyramides quibus appenſa Flandriæ & Gandaui inſignia vetuſta & noua.

Deſcendentibus inde per apertam aream ad Belfortum turrim editiſſimam vetuſtate ſua, horologio, & pluribus iiſq́ue prægrandibus campanis præ omnibus ferè Belgicæ locis ſpectabilem, obtulit ſeſe & alius arcus ſeu porta triumphalis, opere & ſtructura Corinthia, altitudine quadraginta pedum, latitudine octodecim, tranſitus verò ad vndecim pedes patebat; in quo ſupra primam eleuationem inſignis pictura Albertum Principem more Romano paludatum, vertice laureatum, in curru aureo quatuor niueis equis inuectum referens, ante & poſt tibicines, cornicines, vincti hoſtes, ad caput victoria alata lauream Principi deferens cum elogio:

Vince mari, iam terra tua eſt.

In zophoro:

Quæſitam meritis ſume ſuperbiam.

Secundam eleuationem constituebant tria eminentia trophæa affabrè ad genium antiquitatis dedolata, nec minori arte perquàm egregiè depicta, trium insignium victoriarum quæ Principi obtigerunt, à Caleto, Arda, & Hulsto munitissimis opidis virtute bellica superatis. Singula trophæa singulis coronis, murali, obsidionali & semirostrata, singulis etiam suis titulis siue inscriptionibus hunc in modum insignita fuerunt, ac primum quidem:

Viso icto & victo celeri virtute Caleto.

Secundum:

Ardresio obsesso & clementi Marte recepto.

Tertium:

Hostibus erepto solido atque è fluctibus Hulsto.

Infra dictam picturam Alberti triumphantis legendi erant hi versus:

Adspice vt Albertus spoliis insignis opimis
Victor agat currum, tripliciq; ex hoste trophæa
Terna trahens, magni Capitolia ad alta Quirini
Tendat iter, iam iamq; atauis se Regibus ipse
Maiorem ferat, & famam DIs proximus æquet.

Infra in stylobata ad dextram pictum erat emblema, in quo ligo findens orbem terrarum ab angue mordicus caudam suam tenente circumnectitur, eumque ipsum anguem corolla laurea medium ambit, cum symbolo:

GLORIÆ IMMORTALI.

Alterum ad sinistram, satyrus intensis buccis cornu inflans, hac inscriptione:

TERRORI PANICO.

Alludens ad repentinos terrores & animi consternationes, quas antiquitas Pana pastorum deum nonnunquam causa incognita immittere credidit, iuxta illud Alciati:

Effuso cernens fugientes agmine turmas,
Quis mea nunc implet cornua? Faunus ait.

Tota testudo ipsius arcus variegata fuit aureis litteris coronatis A. I. Principum nomina indicantibus.

Laterum dextrum eiusdem testudinis monochromate effictam habuit imaginem pacis & pub. felicitatis, secundùm numos Vespasiani & Titi.

Sinistrum Mercurij & Cereris figuras referebat tanquam Negotiationis & Agriculturæ præsidum ex imitatione numi antiqui Imp. Augusti, cum carmine Lucretiano:

His modò principibus fera munera militiai
Per maria ac terras omnes sopita quiescent.

Cui ex opposito respondebat & illud votiuum:

Pax mare nauigerum, pax terras frugiferentes
Concelebrat, maria ac terras Pax alma reuisat.

In aduersa parte arcus supra primam eleuationem spectandum erat insigni pictura templum Iani, secundùm descriptionem veterum, Virgilij & aliorum, ad cuius portas vterque Princeps ad viuum expressus, tanquam illud extemplo clausurus, tali inscriptione ad pedes:

Iam iam nulla mora est.

Ad zophorum eiusdem tabulæ legenda erant & hæc carmina:

Sat Marti belloq; datum, bella horrida bella
Ah tandem Odrysias, Princeps, vertantur in oras.
Pax redeat, Pax arua colat, Pax læta frequentet
Opida, Pax dirum Iani intra templa Gradiuum
Auspiciis, Alberte, tuis, genioque secundo
Eugeniæ, æternum centena compede claudat.

Secun-

Secundam rursus eleuationem constituebant alia duo trophæa, in quorum medio Fama ex sententia Virg. egregiè elaborata, centum oculis totidemque auribus, alis etiam, & duabus tubis sursum & deorsum sonantibus instructa, addito titulo ad globum cui insistebat:

CÆLOQVE SOLOQVE.

Trophæorum alteri corona ciuica insignito inscriptum fuit:

VLYSSIPONE SERVATA.

Alteri verò variis coronis ex lauro, olea, & myrto, item caduceo & manibus implexis Concordiæ symbolo adornato, adscriptum fuit:

PACE CVM GALLO PACTA.

In medio fastigij totius arcus hinc inde super omnia trophæa eminebant vtriusque Principum insignia splendidissimè inaurata.

In stylobatis, adpicta etiam duo emblemata, quorum vnum, galea apibus insessa inscriptionem habebat:

PACI REDVCI.

Alterum Æsculapij ara & serpente insignitum:

SALVTI PVB.

In coronice porrò secundæ eleuationis, additum fuit illud numerale ad hoc seculum:

DA paCeM.

Progressis inde ad Capitulum cathedralis Ecclesiæ Diui Bauonis, spectandam sese exhibuit altera porta, ex ordine composito, altitudine cum malo & lychnariis artificiosè fabricatis ad quadraginta & sex pedes. Latitudine viginti & tres, transitu patente pedibus duodecim: in cuius coronice amplissima quatuor Fland. & Gand. vetera & noua erant insignia; ad ipsam verò coronicem quadrata in tabula talis inscriptio:

DEO HOSPITALI S.
CVIVS SINGVLARI PIETATE ET PROVIDENTIA
SERENISSIMI PRINCIPES ALBERTVS ET ISABELLA
ARCHIDVCES AVSTRIÆ, DVCES BVRG. SACRI
CONNVBII SOLEMNIBVS RITE PERACTIS, HISPAN.
ITAL. HEL. GERM. LOTH. FINIBVS MIRA
CELERITATE DECVRSIS SALVI ET INCOLVMES
TANDEM IN HASCE BELGICÆ SVÆ DITIONIS
PROVINCIAS, DENIQVE ET IN HANC FLAND.
MAXIMAM FELICITER ATQVE AVSPICATO
ARDENTISSIMIS OMNIVM VOTIS INTROGRESSI
SVNT,
HILARITAS PVB. POS.

Testudo ipsius arcus variis geniis varias corollas protendentibus adspectu non ingrata fuit. In stylobatis verò emblemata duo, quorum illud quod ad dextrā, nauis fluctuans, malo, prora & puppe excussa, quam ex opposito mitiori aurâ ad portum inuitare videbatur Fauonius aliquis, hac epigraphe:

Vocat en clementior Auster.

Sinistrum gallinam exprimebat, x. pullis incubantem, quæ expassa alarum altera septem etiam alios aberrantes ad se inuitare videtur, addito hemistichio:

Hac ala recolliget omnes.

Gallina Principum pietatem, septem palantibus pullis totidem aberrantes Prouincias denotantibus.

In laterum altero prædicti arcus adumbrata fabula Mercurij & Iouis diuertentium humana forma ad tugurium Baucidis & Philemonis, addito versiculo:

Super omnia vultus
Accessere boni.

Ex opposito Metamorphosis eorundem Baucidis & Philemonis, adiecto hoc carmine Ouidiano:

Cura Deum DI sunt, & qui coluere colentur.

Posterior pars insignibus, coloribus, & columnis vt anterior egregiè elaborata, in tabula ad coronicem talis inscriptio spectanda fuit:

GRATIIS S.

AH QVAM GRAVIS SEMPER ET INIQVA MAGNIS IN REBVS PRÆCEPS FESTINATIO, PRÆ QVA NEC SIBI, NEC POPVLO, NEDVM EXSPECTATISSIMÆ VESTRÆ CELS. MERITIS VLLAM IN PARTEM FACTVM ESSE SATIS VERE ET VERECVNDE VNO OMNES ORE DECVRIONVM FATENTVR ORDINES. VOS TAMEN, O PRINCIPES, MAGNORVM DEORVM EXEMPLO, QVORVM IN NOBIS IMAGINEM EXPRIMITIS, ET HIC ET ALIBI DEFECTVI IGNOSCITE, ADFECTVM AGNOSCITE, IMPERIVM DENIQVE VESTRVM COGNOSCITE, CVI QVAM PROMPTISSIME PARERE, QVAM LONGIORI APPARATV MORAS TRAHERE, RES VESTRAS ET ADVENTVM PROTRAHERE MVLTO SATIVS DVXIT

DEVOTISSIMA HÆC VESTRA RESPVBLICA.

In stylobata dextro emblema, occasionem fronte capillatam, occipitio caluam, alatam, & globo insistentem refetens, nautæ aurem vellicantem hac inscriptione:

VLTERIVS NE TENDE.

In sinistra alterum emblema tres nautas arrectis auribus, rupto funiculo referens, naui etiam laborante, responso tali:

MONITI MELIORA SEQVEMVR.

Ab hac porta itum est ad templum Cathed. S. Ioannis, vulgò diui Bauonis, quod è vestigio ex equis descendentes ingressi sunt, ad audiendam sacri carminis, cuius initium, Te Deum laudamus, decantationem, & ad fruendum altera Episcopi eulogiâ, vel si mauis benedictione. His peractis Reuerendiss. D. Carolus Philippus de Rodouan Berleghemius electus Middelburgensium Episcopus orationem habuit gratulatoriam, Latini sermonis elegantia non minus quàm ipsius dictis spectata grauitate & sententiarum pondere commendabilem. Ingens ibi quoque theatrum religioni Iurisiurandi Principum sacrum exstructum fuit. Post preces & diuina officia templo egressis, atque ad palatium suum, domum scilicet Episcopalem quæ S. Bauonis dicitur, sitam in via quæ à propinquo Scaldi ad posticam ædium partem fluente denominationem sortita est, recta tendentibus, spectandum se præbuit mirabili opere & magnitudine obeliscus, symmetrica proportione in altitudine nonaginta & sex pedum assurgens. Tota hæc moles artificiosissimè innitebatur quatuor sphæris in stylobata collocatis. In summo fastigio Fortunæ simulachrum, cum velo serico rubei coloris supra sphæram inauratam erectum, eratque obeliscus in quatuor lateribus ingeniosè inscriptus litteris hieroglyphicis, quarum explicationem singula stylobatæ latera breuiter & dilucidè continebant.

Anterius latus palatium spectans his notis à summo ad imum descendentibus inscriptum A. I. litteris aureis, coronatis, Albertum & Isabellam Principes denotantibus, orbe XVII. prouinciarum Belgicæ scuta siue insignia continente hinc inde à leone & cane custodito: magno codice nudo gladio transfixo: serpente, semilunâ inter duos terminos: iterum serpente: viro armato specie Martis, varij generis armis insidente, dextrâ ensem nudum, sinistra anguem complectente: aquila alis explicatis: anchora funi nautico alligata: quorum interpretatio infra in stylobata in forma ouata inter duos leones talis legenda fuit:

B. F.

SERENISSIMI PRINCIPES
FORTITVDO ET VIGILANTIA BELGIVM VESTRVM
CONSERVENT, SANVM CONSILIVM IDQVE
PROMPTVM ET PRVDENS LIMITES VESTROS
EXTENDAT, PRVDENTIA ENIM ET DISCIPLINA
MILITARIS IMPERII TENACISSIMVM SVNT
VINCVLVM.

Latus ſiniſtrum plateam Cruciam ſpectans has notas habebat. A. I. vt ſuprà. Dextras duas ſceptrum complectentes, Apes aliquot, Lyram, Duas columbas ſororiantes, Duas ciconias, Gladium nudum ſuper capſula numaria erectum, à cuius acumine æquata bilanx dependebat, cane & angue vacuitatem inter gladium & bilancem hinc inde occupante, Oculum, Faſces ſiue ſecurim Romanam, Clypeum, hac expoſitione in circulo ouato intra duos monocerotes adſcripta:

DOMINAMINI POPVLO VESTRO, CONSENSV ET
AMORE MVTVO, IN PIETATE, IVSTITIA RECTA,
ODIO ET AMORE VACVA, LIBERALITATEQVE
PONDERATA, ERITQVE DEVS VINDEX ET PROTECTOR
VESTER.

Latus tertium cliuum Calandrinum ſpectans, his notis ſpectabile fuit, A.I. vt ſuprà. Lampade ardente, Frœno equi, Nauis gubernaculo, Orbe ſeptendecim Belgicæ ſcuta complectente, Ceruo, Delphine, Imbre aureo è nube delabente in cornucopiæ, caduceo, & geminis dextris implexis, atque oleæ ramis incumbentibus. Quorum hæc inter duos vrſos, expoſitio:

VIVITE, REGITE, GVBERNATE BELGIVM VESTRVM
LONGVM ET INCOLVMITER IN SVMMA RERVM
AFFLVENTIA, PACE ET CONCORDIA.

Quartum latus, plateam vaccariam ſpectans, his modis inſcriptum fuit:
Manibus implexis, vt ſuprà, formicis in elephantos creſcentibus, phialis duabus, vna aquam, altera ignem continente, duobus elephantis in formicas deſinentibus, cum hac interpretatione inter duos gryphos poſita:

CONCORDIA RES PARVÆ CRESCVNT,
DISCORDIA RES MAXIMÆ DILABVNTVR.

Ad portam palatij:

DIS LARIBVS.
QVI VOS MAGNANIMI PRINCIPES, SI NON
AMPLISSIMA AT COMMODISSIMA HAC ÆDE OMNI
QVO POSSVNT STVDIO, AMORE ATQVE OBSEQVIO
IAMDVDVM EXCIPERE GESTIVNT,
LOCO ANGVSTI ANIMO AVGVSTI,
AVGVSTISSIMÆ VESTRÆ CELSITVDINI
PERPETVVM DEDITI.
HAC FIDVCIA MAGNI HERI PERQVAM GRATI
INTRATE, CAENATE, CVBATE.
QVIETEM ET LIBEROS, QVIETIS PROVINCIIS,
SVBDITIS LIBERIS PACIFICI DATE,
VIVITE, REGITE, IMPERATE.

TANDEM

TANDEM ad palatium peruenerunt, cænam ibi & quietem ſumturi; atque ad primam noctis facem diſpoſitis de more ad corporum cuſtodiam excubiis ibidem ſubſtiterunt. Hoc apparatu receptis Principibus, & palatium ſuum ingreſſis, vniuerſa ciuitas propoſitis à Senatu præmiis ad ignes triũphales, publicæ lætitiæ indices exſtruendos certatim accingitur, qua in re per trinoctium admirabile tum populi, tum Senatus ipſius emicuit ſtudium, omnibus paſſim viis, vicis, & regionibus ad æmulationem innocuis vndequaque ardentibus flammis, quibus & tubicinum, cornicinum, & liticinum lætiſsimus per vrbem concentus, nec non prægrandium campanarum in turribus artifices moduli non parum delectationis attulere. In illos verò ignes auſpicij & lætitiæ pub. indices calore deuotionis edita fuerunt tria mea epigrammata quæ hîc ſubiunguntur.

ATQVE hoc quidem modo & ordine finem ſuum clauſit primæ diei publica lætitia, & cùm illa etiam cura & labor qui mihi à Senatu impoſitus fuit, edendi qualiſcunque Gandauenſis noſtri Triumphi: adſcito mihi ex eiuſdem Senatus ſententia in communis operæ partem adfini meo Franciſco Harduyno, procuratibus Ioanne van Haure VVallæ D. & Ioanne Caſtillæ prioris ſubſellij decurionibus.

Sequenti verò luce quæ erat XXIX. eiuſdem menſis Iani, ſiue de via laſsi, ſiue aliis grauioribus detenti negotiis, domi ſe continuerunt Principes. Triceſimo porrò die, qui Dominicus fuit, hora ante meridiem octaua domo egreſſi conceſſerunt ad Eccleſiam Abbatialem ſancti Petri, quam in monte Blandinio, olim extra, nunc in ipſis vrbis pomæriis diſcreto limite viſere eſt. Ipſa quidem sereniſſima Infans ſola in rheda, at Archidux generoſiſsimo inuectus equo, tranſeuntes Calandri cliuulum, Hippodromum, perque Kutelportam, vt vocant, ad biuium illud quod Spriete dicitur, atque illinc recta & accliui via ad S. Petri, per apertam planitiem peruenerunt, non ſine honeſtiſsimo comitatu complurium magnatum, Procerum, & virorum nobilium, miniſtrorumque aulicorum; quibus aderant & Legati Sacri ordinis, & quatuor Flandriæ Membrorum, vt vocant, Patricij inſuper & Senatus, omnes in equis, eo ordine atque habitu quo ingredientes paulò antè in vrbem Principes exceperant. Continuantes ſic iter ſuum in locum vulgò indigitatum het Stael-hof, & portam Abbatiæ meridionalem, ad quam in paruo fano ſiue ſacello, leui & tumultuario opere in hunc vſum recens erecto, ſtabat Antiſtes Blandinienſis, cum ſuis religioſis monachis, more recepto in ſolemnibus ſupplicationibus, ornatus ſuæ dignitatis veſtibus, qui vtrique Principum ante aram in genua flexo præbuit deoſculandam ſanctam Crucem. Conſtituti deinde medij inter Abbatem & Priorem, prægredientibus monachis ritè ſupplicantibus in templum dictæ Abbatiæ deducuntur, vbi interfuere rei diuinæ per Abbatem piè & religiosè celebratæ, ac inter ſacrorum ſolemnia tres dimidios Regales aureos (nummi ſunt Hiſpanici) chartulæ inuolutos, ſinguli veteri pro more obrulerunt, inſuper & per æris eleemoſynarij diſtributorem panni Attalici ſiue aurei certam menſuram. Litatione verò peracta, Antiſtes in hæc verba ſpatham accinxit Archiduci, *Accingere gladio ſuper femur tuum potentiſſime*: qui pariter cum Heroina vxore ilico ſolemni iuramento fidem ſuam Prouincialibus obſtrinxit, Audientiario ſeu Primicerio Secretariorum iuramenti formulam conceptis verbis præeunte. Principibus interea humi in genua procumbentibus, admota manu ad codicem in quo ſacroſanctum Chriſti Euangelium, quem Antiſtes altero genu humi flexo manu tenebat: qui ſacris & ſolemnibus ſic peractis pios Principes, magnates, & palatinos aſſeclas opiparo mox epulo perquàm liberaliter recreauit. Refecti iam illo redierunt in vrbem palatium verſus, eadem ſtipante caterua Eccleſiaſticorum, nobilium, & Flandriæ legatorum vnà cum Magiſtratu & vtroque Bailliuo Gandauenſi, qui ſimul vniuerſi circa horam primam pomeridianam ipſius Principis reducendi cauſa ſeſe in area ad portam Blandinienſem diſpoſuerunt. Atque ita demum reuerſi ſunt per viam quam nouam vocitant, vſque ad eum locum, vbi clauium ſpecies humi in medio calle tanquam limites ad territoriorum ſeu Iuriſdictionum, Vrbanæ ſcilicet & Blandinienſis diſterminationem, figuratè

conſpi-

conſpiciuntur. Exinde præterequitantes macellum ciuitatis minus, domumq́ue Epiſcopalem venere ad primariam Eccleſiæ S. Ioannis portam, quam ex equis deſcendentes, reuerenter introierunt, magnamq́ue ibi ſtructam contabulationem aſcenderunt, inq́ue ſedilibus panno aureo inſtratis conſederunt, ſub vmbella ſiue doſſerali pretioſi admodum operis iuxtà & materiæ, ad eam Eccleſiæ partem extentâ, quam Græca voce maiores noſtri Doxalem vocauere, eo quòd ibi aut Euangelium, aut aliæ cantiones ſacræ in laudes Altiſſimi plerumque pſallantur, qui quidem locus contiguus eſt ſuperioris Eccleſiæ parti quæ muſico canentium cœtui adſcribitur. Sederunt autē Principes in hunc modum, vt ad dextrum ipſorum latus adſtarent magnates, proceres, & nobiles viri aulici: ſiniſtrorſum verò Eccleſiaſtici, patricij item, & quatuor Flandriæ Principum magiſtratuum legati, terni ſcilicet ex ſingulis collegiis, quo in loco Illuſtris Præſes Ioannes Richardotus tanto conſeſſu atque exſpectatione ſui dignam, in Flandriæ præcipuè commendationem prouincialium tutelam & ſalutem, diſertiſſimam ad Principes habuit orationem, ad cuius finem præſto fuit toparcha dHangereau feudi ſui hæreditario iure Graphæus cauſſarum criminalium, qui clara elataque voce Principibus præiuit verba iuriſiurandi, illi verò ſubſecuti (vt nouis Flandriæ Comitibus ſolemne eſt) iuramentum huius prouinciæ Ordinibus & ciuitati Gand. præſtiterunt, quod & mox alio quoque actu ſtabiliuere, ratumq́ue fecere: nam humi vterque genua flectentes, prior quidem ſereniſſima Princeps, deinde & Archidux dextras impoſuere ſacroſancti Euangelij codici, quem in hanc rem ſuſtinebant recluſum tres ſimul Epiſcopi, Gandauenſis ſcilicet, Brugenſis, atq; Iprenſis, ſinguli altero tantùm genu humi flexo. Quibus ita peractis, præfata Princeps lenè ſubridens, funiculū ſerici rubei è campanula ibidē in eam rem appenſum, adinſtar ſonituræ attraxit: cui vt alibi, ſic & hîc, ſuam etiam ipſe Archidux non grauatè nauauit operā, qui prenſato funiculo campanæ ſonū eliciens, in argumentum ſcilicet acquiſitæ iam poſſeſſionis Flandriæ prouinciæ. Poſt ea Audienciarius Eccleſiaſticis, Nobilibus, dictorumq; quatuor Collegiorū legatis, qui referre cenſentur totius prouinciæ Ordines, formulā iuramenti præiuit. Illi vtique, alij poſt alios, ad id præſtandū acceſſere, omnium quidē primi Eccleſiaſtici, numero octo: fuere autem hi Epiſcopi Gand. Brug. Ipr. Abbates Bodelonenſis, Truncinienſis, cū Aldenburgenſi. Archidiac. Gand. & Iprenſis, pariq; numero (præter quatuor Fland. Barones) viri inter primos nobiles, Comes ſcilicet Iſegemius, Domini de Croyzille, VVackene, VVieze, Zweueghem, Beaurepart, Hinghene, & VVedergraet, ſuo quoque ab ordine legati, & in hanc vrbē voluntate ac iuſſu Principum aduocati, qui quidem ipſi antea popoſcerant ita legandorum numerum coarctari, vt ne plures quàm octoni ex ſingulis illis ordinibus, ſacro & patritio, ad clientelaris huius officij ſponſionem conuenirent, néve plures quàm terni ex quolibet quatuor Magiſtratuum collegio, quo auctoramentum hoc clientelare compendioſius iniretur. Nihilominus præter ſupradictos adfuere etiam ad clientelam profitendam nobiles & conſpicui viri D D. Dauſſy, Maſtaing, Holſſene, Noeufville, Eecke, Maſſeme, & alij plures, qui quod pauciores patricij ad theatrum conueniſſent, admiſſi fuerunt. Poſt hæc Penſionarius Vermanderius oratione adfatus eſt Principes congratulatoria, quâ finitâ, illi ex contabulatione deſcendere, temploq́ue egreſſi hæc rheda, ille conſcenſo equo rectà pergunt ad maximum vrbis forum, Veneris de nomine dictum; viâ, vt antè in ipſorum ingreſſu, continua ſerie virguncularum inſeſſâ, nec non ſtipante ſolita procerum nobiliumq́ue corona, Scabinis verò Gandenſ. proximè Principes (qui id ita iuſſerant) equitantibus, vbi primarius Prætor aperto capite candidam ferens virgam, eorum quidem fuit in præcedendi ſerie poſtremus, ſed Principibus proximior, omnium tamen proximi aurei velleris Equites, inter quos Illuſtriſſimus Comes Solrę, magni Scutarij gerens dignitatem, nullo prorſus totius multitudinis alio proximiùs præeunte, nudatum enſem capite nudato manu ferebat, ſupremę ſcilicet Iuſtitiæ ſymbolum, & vitæ neciſq́ue legitimam in ſubditos poteſtatem denotans. Itaque iam in forum progreſſi, greſſum direxere verſus eminentiſſimum theatrum ea regione loci erectum, vbi linteatij & coriarij

ad mercatum conuenire solent. Id porrò theatrum conscendêre vtrinsque subsellij Decuriones, Pensionarij, Secretarij, Ærarij præfectus, duo insuper Quæstores, Amptmannus, ac alij quidam patricij, insignesque auctoritate & virtute viri ad solemnitatem à magistratu acciti. Hos mox subsecuti sunt magnâ Magnatum catervâ Principes serenissimi, qui in theatri medio publicè consedêre, sellis ex aureo panno compositis, sub vmbella paris materiæ loco paulò eminentiore, Serenissimâ Principe claudente Archiducis latus dextrum. Post ea indicto silentio, Pensionarius Vetmanderius oratione habita ad populum qui ad solemnem hunc actum longè lateque conferto agmine accurrerat, palam acclamauit monuitque, iuri & rationi consentaneum esse, vt postquàm iam serenissimi Principes Ordinibus prouinciæ, atque adeò ipsi etiam vrbi Gandauensi iusiurandum more maiorum præstitissent, vicissim & ipsi cum magistratu in verba Principum iurarent & sacramento adigerentur. Itaque toparcha Dangheręau Graphæi officio formulam præiuit, quam populus deinde ingenti acclamatione subsecutus, magna animorum alacritate firmam & ratam habere se non obscurè declarauit. Quibus hunc in modum peractis, accessit cominus primarius ciuitatis Baillius suam Archiduci acclinans atque offerens virgam, quam ille leui manu contactam, eidem benignè restituit. Postremò vtriusque subsellij tredecimviri, siue Scabini, Pensionarij, Actuarij, Tribunus Ærarius, cum vtroque Quæstore & Amptmanno, & alij singuli suo pro officiorum & dignitatis ratione ordine seruato, altero genu in terram flexo, more clientium, vtrumque Principem pia animorum & corporum propensione venerati sunt: primùm quidem serenissimam Infantem, deinde & Archiducem, quæ honoris officia grata sibi fuisse benigno loquacium oculorum nutu vtriusque Serenitas declarauit. Post hæc Philippus Borluutius patricius Gandauensis, fecialium suæ Celsitudinis Princeps, vulgò Roy d'armes, qua maximè potuit voce palàm è theatro contendit, VIVANT SERENISSIMI PRINCIPES, VIVANT COMITES FLAND. quod votum plenamque boni augurij vocem excipiens circumfusa multitudo magna animorum alacritate ter ingeminauit. Tum per eundem fecialem ac alios nonnullos sparsi sunt in populum complures aureorum argenteorumque numorum manipuli, regiæ in populum munificentiæ argumentum, qui ab eodem pari auiditate excepti, conquisiti, & tantùm non rapti sunt, pios Principes pia multitudinis voce liberaliter collaudante.

His omnibus à Senatu populoque Gand. pro suo in Archiduces fideli studio, amore atque obsequio reuerenter exhibitis, Serenissimus Princeps quo vicissim grati & beneuoli animi significationem aliquam in Rempublicam daret, nonnullos ex optimatibus Equestri dignitate condecorandos censuit. Inprimis quidem nobilem virum Ioannem de Beths, antiquitus Bette, genere, ætate, & moribus antiquis spectabilem senem, primarium primi Decurionum ordinis Scabinum. Deinde Philippum Triest Auweghemium, alterum partitionis hæreditariæ protoscabinum, virum ingenio & modestia singulari, magnatum adfinitate, & iam olim maiorum suorum Equestri origine egregiè celebrem. Tertium deinde ex eadem familia Antonium Triest, Merlebecæ, Lembergæ, & Luddershouiæ herum, acri atque alacri indole virum, tum etiam Consulari dignitate, genere, atque opibus clarum. Quartum denique Gisbertum Cortevvylum, virum vltra natales corporis atque animi dotibus eximium, eloquij præstantiâ, historiarum cognitione, & rerum agendarum dexteritate Reipublicæ iamdudum probatum. Hisce alio post alium publicè in theatro in genua prouolutis visus est Archidux inferre tres ictus spathæ districtæ, lamina in humerum dextrum impacta, & capite manubrij per ipsos deosculato. Atque hîc tandem solemnitatum & rituum fuit finis.

POST

347

POST ea Serenissimi Principes ea qua venerant serie & via in palatium reuerterunt, Magistratu cum palatinis eundem retinente in reditione locum, quem in itione obtinuerat.

Die Lunæ Ianuarij vltimo, accersiti sunt Principum mandato, Brugensium, Iprensium, Franconatum, & omnium denique Fland. ciuitatum ac territoriorum in vrbe legati, quo etiam in Principum verba iurarent, quod vtique illi effectum dederunt.

Die Martis Febr. Kalendis egressi sunt Principes ad ædes suas recognoscendas, vulgus Curiam Principum vocat, olim quàm hodie pulchriores, loci tamen amœnitate, & felicissima Augustiss. Imp. Caroli eius nominis quinti natiuitate perpetuum celebres. In reditu porrò ad sanctæ Pharahildis vetustissimum Fland. Comitum sacellum paulisper deflexerunt, precibusque vespertinis & salutationis Angelicæ decantationi interfuere.

In aulam reuersos, legati Tredecimvirorum Keuræ suo & vniuersæ reipub. nomine donauere splendidissimo polubro argenteo deaurato, cum aquali & nimbo floridis emblematis exornato: quæ sanè omnia insigni erant pulchritudine conspicua, & diuersorum animalium, aquatilium & reptilium eminentibus sculpturis mirabili artificio elaborata, opere nimirum anaglyphico ipsam superante materiam, gemmis vtique pretiosissimis, smaragdis, saphiris, pyropis, & id genus rarissimis vnionibus sumtuosissimè & artificiosissimè incrustatam.

Quarto ab ingressu die iuuentus Societatis serenissimis Archiducibus, aliisque proceribus & magnatibus Carolum Quintum dedit, tanto apparatu, vt nihil magnificentiùs se vidisse Gandenses dictitarent. Ornatum auxere Pontifex Romanus personatus, Cardinales suo quisque habitu Pontificio culti omnino quinque, Imperatores duo, Rex vnus cum suis paludamentis & syrmatibus, Septemuiri Imperij, aliæque personæ scenicæ numero centum & triginta.

Postridie Kal. Febr. (qui dies Purificationi beatissimæ Virginis Deiparæ dicatus) Serenissimi Principes iuere ad summæ Missæ sacrificium in sancti Ioannis peragendum, vbi & ipsi solemni in processione manu portarunt cereos albos, exemplo in populum grato, & pietate in Deum non minus accepta. Post prandium egressi sunt ad lustrandam maiorem ciuitatis arcem, vbi sic iubente Augustino Dherrera eius loci præfecto bellicosissimo, non sine ingenti tormentorum tonitru, & continuo bombardarum mugitu, ludis etiam & spectaculis militaribus perquàm iucundè excepti, dimissique sunt.

Tertio Februarij decesserunt Principes Gandauo Cortracum, die ab immiti aëris illuuie, vento præcipuè, grandine & niue tam tristi atque asperâ, quàm lux auspicialis aduentus ipsorum in hanc vrbem mirè amœna fuit & candida.

DEVS OPT. MAX.

CVIVS in manu sunt corda Regum, pacis & bellorum euentus opt. Principibus cælestis sui consilij aura, in commune Belgicæ bonum benignus adspiret, vt & illi, in rerum administratione, laudanda semper faciant, & nos eadem illa nunquam non laudare, & recta iubentibus rectè parere pergamus.

Ita erit vt lacerum hoc Belgicæ corpus opt. Principum auspiciis salubriter tandem coalescat, à bellis demum ciuilibus terrâ marique quiescat, pace denique & concordia reduce, in opima rerum affluentia, quàm diutissimè vigeat, floreat, crescat. Hoc patriæ, hoc Principibus, hoc populo & Ecclesiæ tuæ annue

O MAGNE DEVS.

IN

IN IGNES GANDAVI STRVCTOS
LÆTITIÆ ATQVE AVSPICII INDICES.

Jupiter Alcmenæ ingremium delapsus adulter,
Tres Veneri noctes continuauit amans.
Nubilus ille nigris orbem damnare tenebris
Ausus, & in formas nequiter ire nouas.
Clarior Albertus structis latè ignibus, orbi
Qui vehit illustres tres sine nocte dies.

IN EOSDEM.

Viderat insolitis Gandauum ignescere flammis
Jupiter, & rutilas ire sub astra faces.
Substitit, & Phœbum præsto vocat, & tuus orbem
Ecquid adhuc Phaëton deuius vrit? ait.
Delius arridens, parce, ô pater optime, dixit,
Nulla mea hic, nati flamma nec vlla mei.
Ipse sed in terris tot læta incendia miscet
Præsenti Austriadûm numine lætus Amor.

IN EOSDEM.

Expertes noctis tres illucescere luces
Miretur nemo, cur ita? causa patet.
Austrius en Phœbus, coniux simul Austria Phœbe,
Lucidus hic radiis, lucida & illa suis.
Aureus Albertus atque aurea tota Isabella,
Insolitum præsens iungit vterque iubar.

348

CVRTRACVM.

CVRTRACVM siue vt in Notitia prouinciarum habetur Corteriacum, iter fuit institutum mutato consilio de Brugensi profectione. Hoc duodecim diebus præsciuit Magistratus, qui in temporis breuitate cælique inclementia & frigoris rigore, quantum annis triginta nulla hieme fuerat, apparatum ad suas Celsitudines excipiendas huiusmodi instruxit. Opidum ingressi sunt tertio Nonas Februarij, ac per niues continuas aërisque intemperiem se in rheda tenuerũt. Obuiam egressi sunt ciues sexcenti elegãter ornati, splendideque armati vsque ad Haerlebecam, vbi cùm Principes aduenissent more militari sonitu armorum eos salutarunt, ipsosque ad opidum fuerunt subsecuti. Ad portam Groeningam, quæ à sexus muliebris Abbatia nomen habet ordinis D. Bernardi, nunc autem vastata (Flandrorum insigni de Gallis victoria anno 1302. parta celebris adhuc locus est) obuius Principibus summus opidi & Castellaniæ officiarius, Bailliuum magnum vocant, Franciscus Damantius eques, cuius supra meminimus, claues deferens, Guilielmus de Ryckegem Pensionarius breuibus verbis aduentum gratulatus est, cum sanguinis & vitæ omniúmque fortunarum pro ipsorum patriæque obsequio oblatione. Quatuor armatorum ciuium collegia ad portam togata cum funalibus exspectabant, vnum D. Georgio quod arcubalistis, alterum D. Sebastiano militat cum arcubus acernis, tertium D. Barnabæ sclopis instructum, dimicatores qui D. Adriano nomina dederunt, circa suas Celsitudines venerabundi incedebant. Portæ ingressus tapetibus & stemmatis Principum gentilitiis pictoque leone erat insignitus, qui spina in pede saucius medelam ab ipsis videbatur flagitare, eo versus asscripti spectabant:

Obuius ire tibi Princeps Leo Flandricus ardet,
Sed lanians fera spina pedem generosa retardat
Robora, nec patitur solitis applaudere mitem
Lusibus, ac mutilos, quamuis mens alta repugnet,
Cogitur, ô miserum, domino celebrare triumphos.
Nunc tamen approperat quantum potis, & tibi lætum
Cum clamore pedem ostentat, quo currere possit.
Extrahe, Dux, spinam: sed quid rogo? sedulus illam
Sollicitans vrges. Quare nec charior Afro
Elpis erat monstro, quam tu, Dux maxime Belgis:
Quidquid enim potis es donas, spes cetera seruat.

Interea auletæ ex arte sua modulos, strepitum campanæ, fragorem edebant tormenta admirabilem. Ordo Ecclesiasticus intra portam occurrit, habitu quo vtitur in supplicationibus, clarissimo viro Ioanne VVrichto Anglo, S. Theol. Licent. Ecclesiæ Collegiatæ D. Virginis Decano dignissimo, signum sacræ Crucis Principibus præbente, quod illi reuerenter fuerunt osculati. Passibus sexcentis vlterius procedentes duodecim pedum interuallo munitam vtrinque offenderunt viam, telarum operibus Damascenis & floridis, quæ in mappis & mantilibus magnatibus sunt in vsu, texunturque Curtraci exilissimæ, & præstantissimæ. Principum insignia cum aureis hisce notis P. I. A. C. E. affixa ibidem erant, suprà generis cuiusuis luminaria eminebant. Ad dextram progressi pegma conspexerunt altum latumque pedibus quadraginta, quatuor columnis tria exhibens tabernacula, coriis inauratis eleganter distincta. Spectandum dabat magnum Hebræorum imperatorem Moysem, asscriptis rhythmis nostratibus huiusmodi:

Incomende soo syt ghy gebenedyt/
Gebenedyt wtgaende tzaliger tyt/

Gebenedyt de vrucht van uwen lande/
Gebenedyt in v volck sonder respyt/
V vyanden vallen voor v inden stryt/
En die tot v comt in quaden verbande
Deur eenen wech/ deur seuen vliet in schande.
Op dat alle volck mach kennen eersame
D'aenroepen ouer v van s'Heeren name.

Quæ sic Latinè sonant:

Vester vt introitus, sic prosper & exitus esto,
Vestraq; sit felix regio populusq; beatis
Auspiciis, hostesq; cadant victricibus armis,
Aut turpi dent terga fuga, cognoscat vt omnis
Gens votis Dominum vestris, precibusq; vocari.

In altero tabernaculo Gabelus eiusque benedictio repræsentatur his verbis:

V sy ghebenedydinghe toegheseyt/
En ouer v Huysvrouwe reyn becleuen/
En v ouders d'aenschouwen der salicheyt/
D'aensien dyns kinderen wil v Godt geuen/
En v kints-kinderen vruchbaer int leuen/
Tot inden vierden graet deur s'Heeren beuel/
En t'gebenedyden des Godts van Israel.

Sit perfecta tibi votorum summa tuorum,
Et sociæ thalami, videant euenta parentes
Læta tui, prolem videas ab origine prima,
Et natos natorum, & quartam numine dextro
Progeniem, Deus Abramidûm tua cœpta secundet.

Prope eum candido & rubro serico amicta virgo, opidum Curtracense denotans, cum plurimis stabat virgunculis, vt benedictionis verba illi dicta viderentur. In pegmatis medio Angelus è machina Gedeonem alloquitur his verbis asscriptis:

Syt versterct en vroem/doet na mynen raet/
De Heere is met v waer ghy henen gaet.

Confirmare, tuis & sumas robur in armis,
Auxilio Domini nam cingeris vndique tuto.

Infrà Gedeon consistebat, & iuxta eum Angelus verbis appositis:

Ick hebbe v ghesonden/ dies ghy wel bedacht/
T'volck deur my verlossen sult in uwe cracht.

Ductorem populo te misi, hunc robore sumto
E cunctis me dante malis redimesq; trahesq;.

Et variæ iuxta eam personæ concordiæ vinculo colligatæ. Tertio tabernaculo Abrahami famulus spectabatur, qui ab hero suo missus vt filio Isaaco vxorem quæreret, ad ædes Labani & Bathuelis venit, Rebeccam inde ducens, rediit: hoc ex asscripta è Genesi benedictione perspicuum fiebat.

Gaet wast tot veel duysenden in alle landen/
V saet dat heerschappe ouer syn vyanden.

Fœcundum & multis videam te millibus auctum,
Et tua progenies victos dominetur in hostes.

Id omnes Principibus precabantur subditi, viuisq; personis ea exhibebant. Pegmatis ornatus emblematis loco Cadmus erat, qui famulorum à serpente necatorum mortem victoria vlciscitur: quod ad suas Celsitudines spectat, quæ nulla pericula pertimescunt vt opem nobis ferant. Accedebant stemmata Archiducum, prouinciæ opidique Curtracensis insignia, cum his versibus:

Met

Met vacht vanden Leuw Cadmus t'ſerpent verwint/
Dat ſyn volck brocht in doodts turbatie:
So hopen wy dat d'Hoocheyt die ons bemint/
Ons verloſſen ſal deur de Godts gratie.

Serpentem virtute ſua, ſpolioq; leonis
Vicit Agenorides ſternentem morte miniſtros;
Numinis auxilio ſic nos confidimus hoſtem
Franget, & infandi tollet Dux ſemina belli.

Hoc pegmate præterito aliud conſpexerunt tapetibus exornatum: cuius altitudo quadraginta duos pedes, latitudo paulò ampliùs complectebatur, tribus ſimiliter diſtinctum tabernaculis. In primo hiſtoriam Abigail exhibebant obuiæ Dauidi cum cibarijs & annona, verſibuſque eiuſmodi:

Myn Heere ontfangt de gebenedydinghe
Uwer dienſt-maerte/ want ghy voert warachtigh
Des Heeren orloghe tot ons bevrydinghe/
Als t'goet volbrocht wordt dat ouer u eendrachtigh
Gheſproken is/ ſyt dan u dienſtmaeght ghedachtigh.

Ancillæ ſint dona tuæ, Rex, grata, Dei nam
Pro cauſa tu bella geris, noſtraq; ſalute.
Cùm de te fuerint impleta oracula vatum,
Sis memor, auxilioq; tuam defende miniſtram

In altero tabernaculo ſub ſolio aureo Rex Salomon ſedebat aſtante conſilio & adoleſcente cũ apum alueari. Inuiſit eum ſapiẽtiæ cauſa Regina Sabæa, additis niſce rhythmis:

Salich is u volck en knechten die voor u ſtaen
U wyſheyt hoorende/ van wien ghy ſyt gheviraeght/
Gebenedyt ſy Godt diet alſoo heeft ghedaen/
Dat ghy tot beſitten dyns Rijcx hem hebt behaeght.

Felices famulos coram tua verba notantes,
Sermonesq; tuos ſapienti ex ore fluentes:
Atque Deo fas eſt laudum præconia magno
Dicere, cui regno placuiſti ſolus habendo.

Tertio Iuditha cum populo ſuo Deum orans genibus prouoluta, & impiis dira imprecans introducitur:

Strect u handt wt/ o Heere/ als int beginnen/
Breect die cracht/ o Godt/ deur u crachtigh opſetten/
Die t'ſchendden dyns heylighe dingen beminnen/
En die den tabernakel dyns naems beſmetten.

Qua virtute ſoles fortem, Deus, exſere dextram,
Conatus & frange malos offenſus eorum
Qui tua ſacrilega donaria mente profanant,
Et fœdare tui penetralia numinis audent.

Hæc ad Principes referuntur, quorum ſapientia populus gubernabitur clementer & pacificè. Faſtigium pegmatis depictam oſtendebat Andromedæ hiſtoriam ſcopulo alligatæ, verſuſque infrà poſitos:

Andromeda aen rotſe vaſt ghebonden/
Is verloſt deur Perſeus van t'zee monſter fel/
Wy hopen dat d'Hoogheyt ons van Godt ghesonden/
Flandriam verloſſen ſal van alſulck ghequel.

Liberat Inachius pendentem in litore Perſeus
Andromedam, nos Archiduces victricibus armis
Saluos à trepidi facient formidine belli.

Ff 2 Per bel-

Per belluam marinam Batauos intellige, aut bellum intestinum quod Principes conficient. Occurrebat deinde scena non illepida alta pedes viginti quatuor, lata duodecim, cum duabus columnis in proscenio collocatis. Conopeum quo opus tegebatur ex opere constabat Damasceno candido, in cuius summo cum pullis suis Pelecanus quos sanguine suo pascit, si credimus pictoribus. Quid in scena ageretur satis hi versus declarabant:

Godt heeft t'samen gheuoegt/o Belgium/ hun Hoocheden/
Om u van Heresie en Mars gants te beuryen/
Sendt u Godt/ soe hij doet/ontfangtse/ en met verblyen
Zytse altydt onderdaen / ghij sult leuen in vreden.

Coniunxit Deus ipse Duces, vt Martis & omni
Nos redimant laqueo errorum: date legibus aures
Quas statuent, Belgæ, faciles; sic vestra fouebunt
Secula perpetuam belli pro turbine pacem.

Diuini nominis Hebraici scriptura candidam supernè columbam emittebat auro stolatam, quæ super virgine stellis coronata Ecclesiam referente placidè descendebat; vtraque illa manu stolam prehendebat: in iisdem gradibus Angeli astabant faculas tenentes, & hoc carmen suaui voce canentes:

Belgica, sume animum tibi mittitur omine Princeps
Legitimo, qui cuncta reget rationis habenis,
Consilio, & iuris norma moderabitur æqua.
Ne trepides, pulsoq; metu lætissima lætum
Excipe, nec monitis eius parere recusa.

Infra hanc gradationem duæ personæ Principibus haud absimiles sedebant, vnum ambo sceptrum tenentes. Coram Principibus stabant, Prudens consilium, & muliebris figura Pacem referens cum lauri ramo. Iacebat ad pedes bellorum deus Mauors cum stricto ense & face. Ad sinistram mulier habitu Ecclesiastico cum libro & face Doctrinæ diuinæ personam sustinebat. Iustitiam suo more personatā quiuis norat. Hæresis biformis cum libro & facula. Belgica ad Principum pedes prouoluta de Marte conqueritur, & Hæresis insolentia: Pax eos & Iustitia loco deturbant; Angeli canunt epinicia.

In picta tabella Iupiter tonans fulminansque à Principibus auertitur, asscriptis his versibus:

BELLA ALIS VBERTAS.
ALBERTVS ISABELLA } nominum Anagramma.

A uete solis quos rutila aure · *I*
L ubentiores lampade cernimu *S*
B lando serenatis beat *A*
E ximij oris honore, quæ su *'B*
R uente nimbis tristibus aër *E*
T ot quassa lustris, heu? tremuere ni *L*
V ndas truces non pertulit ni *L*
S ustinuit fera non pericl *A,*
J ouis sed irâ tela minanti *A,*
S uaui rogatu frangitis, & nihi *L*
A træ nocebunt procellæ, su *B*
B lando adeò vsque deûm fauor *E.*
E rgo benignè supplicibus iuba *R*
L ucis coruscum fundite, sic dabi *T*
L argos opimo terra fœt *V*
A dueniente quiete fructu *S.*

Interior

Interior porta, quam lapideam vocant, peristromatis ornabatur, & stemmatis Celsitudinum, ascriptisque versibus:

Plorasti longos vrbs Cortracena per annos
Ærumnas cladesq́ tuas casusq́ tuorum:
Nunc age pone modum lacrymis, nunc pone querelas,
Nam te semidea cum coniuge maximus heros
Inuisit, deuota sacris fige oscula dextris:
Quorum ope præsenti, quorum medicamine plagis
Indubiè sanata tuis, ac sospite tandem
Corpore suscipies formæ tua dona prioris.

Inter vtramque portam frequẽtia luminaria funalium igniúmq; in omnibus viis qua Principes transibant. Erat & scena pedes longa septuaginta, in qua per diuersas virgines excultissimas regna Hispaniæ repræsentabantur, suum singulæ vexillum ac funale gestantes, appositis in medio huiusmodi versibus:

Cur grauis huc illuc oculos, Isabella, volutas,
Cur Alberte, vagus lumine cuncta notas?
Fortè tuos inter Belgas inquiris Iberos,
Quos memor in tenero pectore sculpsit amor.
En tibi quos quæris: patriis Hispania terris
Excita Belgarum te colit vrbe Ducem.
Quodq́ stupent omnes nunc est Hispania, quondam
Belgica, huic vestes tradidit illa suas.
Quàm cuperem proprium potuisset tradere corpus!
Aptius hoc tali tempore schema foret.
Este quidem Belgæ, quid obest? nil, dummodo nostri
Principis Hispani cura & amore sumus.

Aliud postea pegma pedes longum viginti septem hoc occurrit argumento: in medio D. Elisabeth, earum virginum quæ vicinum habitant cœnobium tutelaris, ad dextram D. Clara, ad læuam S. Eugenius, serico amictu decenter personati: astabat illis Comes Ioanna Constantinopolitana, & Margarita eius soror, hæc fundatione, illa meritis ingentibus benefica, cum virginum sequela, ac versibus in theatri fronte scriptis:

Quo properas Isabella? Tuæ sacrata patronæ
Prætereunte oculo templa domosq́ vide:
Quæ Ioanna Comes quondam hac in sede locauit,
Quæ Margrita sua constabiliuit ope.
Euoluant alij cariosos vndique libros,
Vt pia maiorum dicta vel acta legant.
Terra tibi & cælum, duo magna volumina, Princeps
Hoc quoque nos libro littera parua sumus.

Equitatu procedente vsque ad forum scena conspicitur peripetasmatis rubris, cæruleis & viridibus ornata, & his notis litteratum P. I. A. C. E. Nec hîc lumen deficiebat, longa erat scena ducentis pedibus, Foresteriis siue Saltuariis & Comitibus Flandriæ conspicua, qui cum suis insignibus armisque repræsentabantur, hac distinctione, vt qui connubio Principatum sunt adepti, suam penes se coniugem haberent. In summo fastigio Fama volans cum lauro in manu, & ad eius latus dextrum, Atropos quæ hæc verba videbatur proferre:

Ie triumphe sur eulx.

Hoc est:

Horum perago de morte triumphos.

Ad ſiniſtram Virtus cum hoc carmine:

Ie fais reuiure iceulx.

In vitam redeunt me concedente.

In pegmatis faſtigio ſub ſtemmatis Principum hi verſus legebantur:

Cur mors ſtulta tuis ſocias monimenta trophæis,
Quæ ſibi poſt fatum conſtituêre duces?
Non ſunt illa tui, ſed de te ſigna triumphi,
Dum cupis inuictos vincere, victa cadis.
Audiat hoc, quamuis non vult audire, Megæra,
Ferrea virtutem Mors ſuperare nequit.

E regione huius ſcenæ porticu materiata circumſeptum forum erat, decem pedum interuallo. Ad egreſſum fori in conſpectu habuerunt portam triumphalem quæ viam Tornacenſem muniebat, triginta pedibus altam, vſque ad ſeptum ex columellis factum, cum obeliſco ad pedes aſſurgente triginta & nouem, ſuper cuius faſtigio ſtabat aquila, tranſitus decem pedibus conſtabat. Dextrum intercolumnium figuram continebat magiſtratum deſignantem, verſuſque Gallicos ibidem aſſcriptos:

O noble ſang d'Auſtrice, Eſpaigne & France
Noz naturelz Princes Seigneurs & Chefs,
En bien venant vous preſentons les clefs,
Comme ſubiectz en toutte obedience.

Auſtriaca de gente, Duces, de ſanguine Ibero,
Dedimus imperium vobis clauesq́, clientes,
Iuratamq́, fidem damus æternumq́, vouemus.

Ad læuam Amor populi per mulierem notabatur, cor dextra humanum tenens, læua ciſtellam monilibus plenam, aſſcriptis verſibus:

Bien venuz de la nobleſſe, o fleur,
Vrais heretiers de Royale deſcente,
Baiſant voz mains nobles ie vous preſente
Tous mes Treſors, voir le ſang de mon coeur.

Aduentum vobis flos nobilitatis equeſtris
Gratulor, ô regum ſoboles, & defero vobis
Theſauros & opes & guttas ſanguinis omnes.

Facibus viginti quatuor hæc machina collucebat, ad pluteos auletæ modulos edebant. Poſtica arcus facies à priori non differebat niſi ornatu intercolũniorum, hinc forma muliebri ſeptemdecim deſignantur prouinciæ, verſibus appoſitis:

Faictz moy ce bien, o Dieu, treſdebonnaire,
Que mes troupeaulx par tout fort eſgarez
Doreſenauant ſoyent bien gouuernez
Du vray berger & non de mercenaire.

A proprio paſtore gregem, regnator Olympi,
Errantem concede regi, conductus abeſto.

Inde Flandriam muliebri effigie depictam videbant, verſuſque hos legebant:

Le Dieu des cieulx veuille vous arrouſer
Treshaultz ſapins, ſon Zephir vous euente,
Qu'au grand deſpit d'Atropos vn bel ente
Auoir pouuons ſans vous veoir ſeicher.

Sic Deus irriguis frondenti ô vertice pinus

Vos

Vos perfundat aquis, vestro dum germine surgat
Surculus, & dulces aspiret molliter auras.

Vtrumque latus machinæ portula claudebatur qua ibatur ad palatium, & platea obstruebatur.

Erat & aliud lepidissimum pegma quinquaginta pedes latum duobus ędium communium frontispiciis insigne, vbi hi versus sub Flandriæ insignibus lectori occurrebant:

Heeft Justitie als nu Peys vriendelijc ghecust/
Light Mars neder gheuelt/is Heresie verdreuen/
Zijn wy myn naturel edel Princen ghegeuen/
O myn kinderen danckt Godt/ leeft en werckt voorts gherust.

Dulcia Iustitiæ num Pax dedit oscula sanctæ,
Mars iacet, & pulsis erroribus exsulat atrox
Hæresis, & gemino læti ductore fruemur?
Securi cœptos, socij, tractate labores.

Dramatis in scena personæ erat Flandria, quæ splendidè amicta cornucopiæ tenebat, astabat illi mensa cum mercibus omnigenis: aliarum nationum quarumcunque mercatores circumstabant pecunias cum bulga pro mercibus offerentes. Opifices varij suam artem exercebant, præsertim quæ ad lanas & telas spectat. His Flandriæ industria & sedulitas notabatur, quæ in orbem terrarum omnibus innotuit. Ciuium vbique ædes tapetibus exornatæ & picturis exquisitis, inter quas valdè erat elegans, quæ ante domum Pastoris erat posita, asscriptum habens hoc carmen:

Siste rigare genas lacrymis, Ecclesia, ab Austro
Ecce venit medica qui ferat artis opem.
Da paCeM; *tua vota Deus bibit aure, Isabella*
Principe & Alberto Pax venio alma tibi.
Quis scit an haud fueris venturi Ecclesia tanti
Gnara boni, feriens talibus astra sonis?

Inter ceteros ignes triumphales, qui in opido erant creberrimi, summopere oblectabant qui speculis & variis ex vitro vasis componebantur, asscripto hoc versu:

Clara ortu, donis benè nata, Eugenia, polles,
Et vultu cunctis bella Isabella places.
Alberto coniuncta veni, tu numine fausto
Quæ nos presserunt comprime bella, potes.

Nec Societatis IESV collegium suæ in solemni Principum ingressu voluntatis testimonium desiderari voluit. Iasonem edidisset magno apparatu & cōgruo huic ciuitati argumento. Partes agendæ actoribus distributæ, scenicæ vestes magno sumtu comparatæ, pro parentum splendore in suppeditādo hoc choragio liberalium: Sed ob aurę inclementiam maturantibus profectionem Principibus, in breuem actiunculam mutata fuit fabula. Personati ludiones ex adolescentibus summo loco natis varia hominum genera referentes, carmine Archiducibus aduentum gratulantur. Præcipuas partes habuit Illustrissimi Principis & Comitis Arembergici filius natu maximus, eius item frater, Solrei Comitis filius D. de Molenbais, duo filij D. de Mailly, totidem Baronis d'Auxy, filius præterea baronis de Billy, tres filij D. de Melroy siue Salmir, filius D. de Masdede, aliique complures. Accessere munuscula, Alberto liber scitè descriptus carmen continens ab actoribus recitatum: Sudarium Isabellæ arte elaboratum cum carmine acu picto, ac notis aureis exarato.

INSVLAE.

Rvardvs, Maior, Consilium & VIII. viri ciuitatis Insularum cùm per litteras suarum Celsitudinum certiores facti essent, eas illuc aduenturas, vt læto in illa vrbe introitu ciues & incolas exhilararent, variis inuentionibus propositis, eam secuti sunt, quam Florētius vander Haer, I.V.L. Thesaurarius & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Insulensis ipsis exhibuerat. Qui cùm illam prouinciā cum Ioanne Mahieu ordines inter ciues ducēte in se recepisset, theatris, arcubus triumphalibus aliisq; rebus ad apparatum necessariis operam omnem contulit. Quoniam autem ea ciuitas inter reliquas totius Belgij, Principibus suis beneficio obstringitur ob pacem Gallicanam omnium votis expetitam, in sumtu faciendo maiorum parsimoniam duxit superandam vel magnificentiam adæquandam. Vbi igitur suas Celsitudines Bruxellā Gandauum discessisse resciuerūt, D. Ioannes de Robles Barō, & Præfectus ciuitatibus & Castellaniis Insulatum, Duaci & Orchiaci, viris nobilibus sub præfectura sua habitantibus omnibus conuocatis ad Principes in limitibus excipiendos præsto esse iussit. Itaque cum Prælatis Laudensi & Marcenensi D. vander Haer, cuius suprà meminimus, Prælatorum ac ordinis Ecclesiastici nomine, quatuor item summis officiariis, nobilibus, triumq; ciuitatum & Castellaniatum trecentis simul equitibus Haluinum vsque, tribus distans miliaribus, Croiaci Ducis & Arschotani ditionem prope Cominium in Flandris processerunt, amicti serico, argento prætextati. Hic circa meridiem rheda vectis Principibus Hispanicè Præfectus, Gallicè reliqui, post salutationem obsequium & officia beneuola detulerunt, ipsorumque Archiducum auxerunt comitatum. In agro consistebant prope Haluinum in aciem dispositi armisque instructissimi quater mille coloni, qui aduentantes Principes displosis ex arte militari sclopis tam peritè salutarunt, vt illud Plinij lib. 18. cap. 5. verum esse appareret, fortissimos viros milites que strenuissimos ex agricolis nasci: quod approbat Vegetius lib. 1. cap. 3. armisque aptiorem rusticam illam pubem existimat, *quod sub diuo & in laboribus enutriatur, solis patiens, vmbræ negligens, balnearum nescia, delitiarum ignara, simplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetudo de rure est.* Et ad Ciceronis librum 11. epist. 7. mentionem facientis rusticorum, vtpote virorum fortissimorum notat Manutius; legionarios milites rura coluisse: & in librum de Senectute, eos qui in legionibus militabant rusticos fuisse omnes. Sæpe autem euenire iisdem hominibus ὁπλιτεύειν καὶ γεωργεῖν docet Aristot. lib. 4. de Rep. Eosque ad bellicas & militares rationes esse vtilissimos & corporis habitu exercitatissimos, quòd facilè possint θυραυλεῖν, idem auctor refert ibidem lib. 6. Ex vrbe quatuor armata collegia, DD. Georgij, Sebastiani, Barbaræ & Michaëlis processerunt, cum suis præfectis egregiè instructis. Sex erant adhæc armatorum cohortes, quæ displosis militariter sclopis spectaculum edebant pulcherrimum & gratissimum. Magistratus equis vectus, Ruardus, Maiorque longis palliis holosericis, vndecim Senatores ex taso serico nigro, Argentarius & VIII. viri, quos vocant consilium, procurator, bini actuarij cum scriba qui ab Hansa nomen habet, togis vtebantur ex serico Neapolitano, præter primum Consiliarium Pensionarium qui togam gestabat ex serico Damasceno duplicatam holoserico. Præcedebat caduceator cum paludamento ciuitatis insignibus decorato, caduceum gestans. Dehinc quatuor viatores seu accensi Senatorum, fabrorum præfectus, primus nuncius & publicorum operum scriba ex rubro panno rogati, in quos amictus ciuitas sumtum fecerat. Hoc ordine Principibus in occursum venerunt, clauem Ruardus in polubro argenteo obtulit. Dionysius Gilleberti I. V. L. Consiliarius primus & Pensionarius breui oratiuncula Principes alloquitur: Senatum vniuersum nomine ciuitatis ibi coram adesse, vt submissâ ipsis exhibitâ reuerentiâ, se fideles subditos & obsequentes esse semperque fore profiteantur, vtpote quos pro veris & legitimis

Principi-

Principibus agnoſcunt & excipiunt. Incredibili gaudio perfuſos omnes eſſe quod aduentu ſuo, quo nequeat eſſe gratior, ipſi eos decorarint. Conuerſus deinde ad Ruardum claues ciuitatis per maiores ipſorum cuſtodiæ eius fuiſſe commiſſas, eas ipſis nunc reddere, Tutelam ciuitatis hactenus ipſis creditam, ſub eorum feliciſſimo Principatu non minori cura & ſolicitudine commendatam ſibi fore. Grata fuit Principibus gratulatio, & ob frigoris vehementiam in domum igne & bellariis inſtructam ſeſe receperunt. Tum equis conſcenſis, præcedente inter aulæ magnates magiſtratu vrbem ingrediuntur: quam omnibus viis vicíſque viris ſplendidè armatis plenam offenderunt, ſonituque tormētorum, tympanorum ac tubarum mirabilem audiuerūt primo introitu harmoniam. Stemmata ſua portæ affixa viderunt, ac paratos viros nobiles numero duodecim, quorum ſex vmbellam tenebant Damaſcenam ſuo amictui concolorem, candidam rubramque, qui color ciuitati peculiaris eſt. Vt ſub hac ſucceſſerunt, ſexaginta ciues togati adfuerūt, qui funalia geſtantes accenſa præceſſerunt. Hermæ nongentorum & quinque pedum interuallo funalibus imponendis viam muniebant. Prope portam occurrit primum pegma tribus concinnè dedicatum perſonis, Regi ſcilicet Philippo II. & Iſabellæ Gallicæ vxori, quibus aſſidebat Iſabella noſtra: ſinguli noſcebantur tam ex vultu ſimillimo (nam tota ciuitate huiuſmodi effigies diligenter conquiſiuerant) quàm ex notis appoſitis:

PHILIPPO REGI CATHOLICO.

QVOD MATRIMONIO FRANCICO PACEM GENERI HVMANO PROCVRARIT, ORBEM TERRARVM DVCENTORVM ANNORVM BELLIS, SANGVINE, INCENDIO FVMIGANTEM PACARIT, ISABELLAM FRVCTVM EIVS PACIS OPTIMAM FILIAM CONSTANTISSIMÈ DILEXERIT, AD SPEM RESTITVENDÆ PACIS, BELGARVM PRINCIPEM DESTINARIT, MAGISTRATVS INSVLENSIS IMMORTALES GRATIAS.

ISABELLA INFANS HISPANIARVM, ARCHIDVX AVSTRIÆ, COMES FLANDRIÆ.

SERENISSIMÆ ISABELLÆ DOMINÆ NOSTRÆ REGVM CATHOLICORVM ET CHRISTIANISSIMORVM TOTIVS VNIVERSI SVPREMORVM PRINCIPVM SACRÆ SOBOLI, AD RELIGIONIS CATHOLICÆ TVTELAM, AD ORBIS QVIETEM, AD PRINCIPVM CONCORDIAM, AD SVBDITORVM SALVTEM NATÆ, EDVCATÆ, AD BELGICI POSTREMO IMPERII CVLMEN AB OPTIMO PARENTE DELECTÆ.

ISABELLA FRANCICA.

QVOD TIBI FILIA (QVÆ NASCI NISI PACE ORBI RESTITVTA NON POTVISTI) EX SENTENTIA EVENIAT, QVOD TIBI FELIX, ORBI CHRISTIANO SALVTARE EXISTAT, TE GALLIÆ BELGICÆ PRINCIPEM VOVEO, REGVM CONCORDIA, QVÆ PARENTVM TVORVM MATRIMONIO COALVIT, TVIS NVPTIIS RESTITVTA IN ÆTERNVM DVRET, TV FILIA SPECIE TVA ET PVLCHRITVDINE TVA INTENDE, PROCEDE ET REGNA.

Hiſpaniæ & Galliæ inſignia colligata amoris indiſſolubili vinculo ſupra ſcripturam eminebant: Eandem viam arcus triumphalis totā obſtruebat fornicibus tribus peruius, duobus vtrinque humilioribus, medio laxiore, in duas eleuationes diſtinctus, inferior Corinthij ordinis, Compoſiti erat ſuperior: ad pedes ſexaginta ſex pertingebat altitudo,

quadraginta & octo latitudo. In ſecunda eleuatione ſuæ vtrinque Celſitudines ad viuum expreſſæ ſpectatores detinebant, quibus etiam hanc machinam dedicabat Magiſtratus:

INSVLA

FLANDRIÆ GALLICANÆ METROPOLIS, ORIGO FLANDRICI PRINCIPATVS, MVLTIS PRINCIPVM SVORVM DOMICILIIS COHONESTATA, LAVDATÆ IN EOS FIDEI ET OBSERVANTIÆ, SERENISSIMIS DOMINIS SVIS ALBERTO ET ISABELLÆ.

Inter Principem vtrumque nihil erat vacuum, nam aut implexu litterarum nominumque Alberti & Iſabellæ, cifras vulgò vocant, aut liliis ſpatium opplebatur. Mediana inſcriptio cauſam huius portæ ponendæ explicabat:

ALBERTO ET ISABELLÆ ARCHIDVCIBVS AVSTRIÆ, QVOD PACE CVM HENRICO IV. GALLIARVM REGE FIRMATA, PROVINCIAS GRAVISSIMI BELLI SERVITVTE LIBERARINT.

In altera tabella ſic erat exaratum:

QVOD MAXIMOS GERMANIÆ MOTVS, QVOD BELLVM AD RHENVM INCHOATVM, PRVDENTIA, IMPERII MODERATIONE, VIRTVTE SVSTVLERINT, OPTIMIS PRINCIPIBVS BONI SVBDITI INSVLANI.

Sub pedibus Principum hi verſus legebantur:

Quid ſibi vult nobis cur tot modò lilia ſurgunt,
Heroes clari, num veſtra læta iuuentæ
Tempora, num ſtirpis decus immortale figurant?
Vnde ortus duxiſſe datum eſt felicibus aſtris?

Alio item loco hæc carmina ponebantur:

Quid candor ſuperare niues qui poſſit, & omnem
Cygneæ ſpeciem plumæ? Num candida ſignat
Pectora? queis fœdam vitiorum aſpergere labem
Virtute inſignes exoſa nequiuit Erinnys.

Sic erat ſcriptum tertio loco:

Sed quid odor ſuauis nares qui manat in imas
Dulce ferens animo pondus? blandúmne ſeueræ
Iuſtitiæ immixtum candorem? Belgica frena
Dum regitis minimè ignaris concredita dextris.

Super Infante eiuſque ſtemmate ita legebatur:

Ætherio tranſmiſſa polo tua lilia quondam
Heſperiæ vt regno dignum, prælustre parentis
Ornauere tui caput, auguſtiſſima Princeps:
Sic patere è multis vnum decus vrbis auitæ
Conſimiles inter flores tua tempora cingat.

Ad Principis Alberti effigiem erat ſcriptum:

Sacra tui generis ſeries licet ordine longo
Armigeram Iouis oſtentet iactetq́ue volucrem,
Hæc ne ſperne tamen tu Lilia, ſæpe decori
Quæ proauis atauisq́ue tuis, Dux alme, fuere.

Columnis appendebant ſingulis tabulæ, & in iis verſus:

Ergo

Ergo agite, his enata locis qua lilia dotes
Vestris designant meritis, vanescere in auras
Ne sinite incassum: potius quin Insula vestri
Patris opes patria nullisq; assueta periclis,
Vel quamuis sæuo Mauortis sanguine frangi,
Principibus iurata suis vt sacra resoluat.

Speratos capiat fructus dudumq; fruatur
Cælicolûm & vestro iam parta in pace fauore:
At tua præsertim generis sacrata propago,
Alberte, Augusti laudes exæquet auitas;
Fac virtus tua per seros & fama nepotes
Marte tuo rerum gestarum compleat orbem.

Principibus verò tam claris, Insula, felix
Terq; quaterq; sinu quos excipis omine læto,
Plaude tibi, gratare illis, effunde triumphos
Lætitiæ testes, atque imo pectore gesti:
Compita cuncta sonent, plausus per inane ferantur,
Atque aures passim feriant pia vota, Philippus
Ille diu felix summusq; monarcha præesse
Quos voluit Flandræ genti, sacris Hymenæis
Quos iunxit pace allata, Mauorteq; pulso,
Qui pridem sæuo vastabat cuncta tumultu;
Gressibus accedant faustis, ac secla reducant
Aurea, & insigni (cælo cumulante fauores)
Prole breui genita nullis decursibus æui
Claudendum imperium Belgis per secula firment.

Sub Flandriæ insignibus:

Qui proauis comes alma tuis sua subdidit ora,
Ille tibi presto est subdere terga Leo.

Insignibus Ciuitatis sic erat subscriptum:

Quæ Flandrûm Comitum multos diadema per annos
Lilia ditarunt, & tibi serta vouent.

Versus iidem in postica areus parte iisdem in locis Gallicè sunt expressi.

Que veulent tous ces lys, dont l'argent radieux
Nous faict voir en hiuer vn printemps gracieux?
Prince c'est vostre Auril qui l'hiuer mesme efface,
Et l'eternel printemps dont fleurit vostre race.

Que veut ceste blancheur, de qui n'approche pas
La neige, ni l'oyseau qui chante son trespas.
Ha, c'est de vos vertus la purité si pure
Qui du vice n'admet voir la moindre soüillure.

Mais que veut ce parfum dont la soüefue odeur
Agraue vn peu l'esprit parmy tant de douceur,

C'est la douce rigeur d'vne saincte Justice
Qui les bons garantit en punissant le vice.

Comme les lys du ciel a la France donnez
Jadis de vostre mere ont le front entournez;
Ainsy Princesse ainsy souffrez que la couronne
Du lys de vos Liloys le chef vous enuironne.

Encores que voz ayeulx, filz aisnez de la guerre
Se brauent de l'oyseau qui porte le tonnerre,
Grand Duc, ne desdaignez ces beaux lys, aultre fois,
Jlz n'ont seruy de honte aux plus grands de vos Roys.

Princes donc, ne souffrez que l'esperé presage
De ces lys de vos coeurs le parfaict tesmoignage
En fumee se perde, ainçois que voz vassaux
En recuiellent les fruictz apres tant de trauaux.
Que vostre Lille en paix a iamais bien heureuse
Ne cognoisse plus Mars ny sa soeur impiteuse.
Lille qui par garder son bon debuoir consigne
Es mains de voz ayeulx a cent foix dedaigne,
Comme vn roc immobile au milieu de l'oraige
Du felon Thracien la plus sanglante rage.

Mais toy Prince inuaincu race de tant de Roys,
Qui la terre & la mer ont submis à leurs loys,
Grands de biens, grands de rang, & plus grands de vaillance,
Poursuis leur beau sentier par le feu & la lance,
Fay que ton los guerrier par le monde espandu
Soyt de la deulle auant iusques a gauche estendu.

Et toy Lille a ce coup de ioye impatiente,
Soulle toy du doux fruict de ta si longe attente
Dresse mille trophez & mil arcqs triumphans
Bien veignant dignement des Princes les plusgrands.

Prince que ce grand Philippe a ton bien si propice
Philippe des cieulx a mis le joing & la delice
Ta couue te donant sa fille & le pays,
Que puisse tu iouir soubz leur regne a iamais
Transmis de pere en filz d'vne immortelle race
D'vn heur qui l'aige d'or en heur mesme surpasse.

Ce braue lien qui sa teste
A soubz voz peres adoucy:
Voyez Princesse, il vous appreste,
Et la teste & le doz aussy.

Ce lys qui de Comtes Flamens,
Orna long temps le diademe;

Souffrez

Souffrez qu'entre voz ornemens,
Grand Ducq, il vous serue de mesme.

Aliam scenam theatralem in via D. Nicasij conspexerunt, picturis ornatam, & insignibus Hierosolymæ, Flandriæ & Insularum. Hic Comes Theodoricus Alsatius inter vxorem suam Sibyllam, Fulconis regis Hierosolymæ filiam, & D. Bernardum consistebat. Tabulę Comitem fideli opera Insulensium adiutum graphicè exhibebant, quatuorque transmarinas eius expeditiones; Sibyllæ sic erat asscriptum:

SIBYLLA REGIS HIEROSOLYMITANI FILIA.

Filia Fulconis Solymorum regis, & vxor
Flandrorum Comitis Theodori extrema mariti
Vela sequens, spreui reditum fastumq; reliqui,
Donatamq; Deo clausere monastica septa,
Talibus Heroes factis sibi nomina condunt:
Hac vos Austriadæ pietas accendat auita.

THEODORICVS ALSATIVS FLANDRIÆ COMES.

Insula me Comitem Flandrorum prima recepit
Legitimum, iurisq; mei dedit esse potentem,
Cum pacata meas accepit Flandria leges,
Consiliis, Bernarde, tuis; Solymæa petiui
Regna quater, consorte mea comitante Sibylla:
Sic Deus æterna Solymes det sede beatos.

D. BERNARDVS.

Per mea dicta Comes Solymæ Dux fortis in oras
Alsatius fidei & soceri succensus amore
Auxilium tulit, & vita votoque solutus
Vixit pergratus populis, cœloq; locatus,
Vt reliqui quibus alma fides & numina curæ,
Pro studio remanent vos cælica præmia tali.

In alia item scena ad Draconis viam Philippus Alsatius antiqua panoplia armatus cernebatur, qui Nobilioni Macedoniæ Regi sub pedibus strato arma extorquebat, quæ sibi assumsit, leonem scilicet nigrum in area aurea, relictis veteribus. Iuxta eum Mathildis vxor eius Lusitaniæ Regis filia, cum versibus ibi scriptis:

PHILIPPVS ALSATIVS FLANDRIÆ ET
VEROMANDIÆ COMES.

Per pelagi vastaq; exhausta pericula terræ
In Solymæa gradum conuerti mœnia, crudum
Nobilion me fulmineis expertus in armis:
Nigrantem palmæ in pretium ac insigne Leonem
Arripui, fremitu terrentur cuncta leonis;
Vis inuicta eadem vobis belloq; togaq;.

PHILIPPE D'ELSACE COMTE DE FLANDRES.

La pieté, la foy, l'honneur de ma patrie

Aux lieux saincts m'ont transmis, ou i'ottay glorieux
L'escu au lion noir du Turcq audacieux:
Lion (dont les plus forts redoubtent la furie)
Orne à tousiours hardy de mes braues neueux
Les armes, à l'enuy des Princes genereux.

REGINA LVSITANIÆ FLANDRIÆ COMES.

Lætitia exsulto, te Clara Isabella, Philippus
Progenuit, thalamos ego sum sortita Philippi,
Se nobis tellus Hispanica iactat alumnis.
Tu regis imperio Belgas, me Flandria quondam
Accepit dominam, longauáque secula vixi,
Hæc eadem maneant pulchra te prole beatam.

Dame ie m'esiouis de nostre conference,
Tu as Philippe à pere vn monarche cheri
Aultant que redoubté: i'ay Philippe à mary,
Et d'Espaigne ambedeux tenons nostre naissance.
Iadis Flandre ay regi prouince genereuse,
A toy la Belge entiere encline le genoux:
Vys, comme ay faict, long temps chez Albert ton espoux,
Et soys de troix bessons troix fois mere ioyeuse.

Ante D.Claræ monasterium scena erat seu potius cœnobium in tria distinctum tabernacula, tribus diuis conspicua, Elisabetha nimirum Clara & Eugenia additis his versibus:

Tres sumus atque vnum colimus, sic nomine trino
Sub nostro, sola est quæ quæritur Isabella,
Hanc nobis sociam, Belgas cùm rex erit vrbes
Optamus, paribus meritis par gloria cedat.

S. ELISABETHA.

Hungariæ regina sacrum quæ sustulit alto
Iam cælo caput, hanc magnam tu protege nostram
Elisabeth, parili quæ sanguine, nomine, regno,
Iuncta tibi, similem gestat sub pectore mentem.

S. CLARA.

Clara tuum nomen, claro hoc festoq; triumpho
Clara Isabella rogat, tu fac clarescere vota.
Sicut ab Assisij est depulsus mœnibus hostis,
Imperio nostræ sic cedant omnia Claræ.

S. EVGENIA.

Eugenia hæc ista est magni ter magna Philippi
Filia, nutricem dubitet quis sumere tantam
Hanc sibi? cum puro sis sanguine, nomine, vita
Eugenia, Eugenios multos dent tempora partus.

Ad ædes

Ad ædes Patrum Societatis pegma constitutum inuentione varium, argumento delectabile, in hunc sensum erat: tres virtutes Theologicæ spectabantur, Fides, Spes, Charitas editiore loco, quatuor Philosophicæ paulò inferiore, Prudentia, Temperantia, Iustitia, Fortitudo. Ad pedes virtutum obtriti iacebant hostes Fidei, versusque Psalmi 44. suis locis aptati:

INTENDE, PROSPERE PROCEDE, ET REGNA.
PROPTER VERITATEM ET MANSVETVDINEM ET
IVSTITIAM, ET DEDVCET TE MIRABILITER DEXTRA TVA.
SAGITTÆ TVÆ ACVTÆ, POPVLI SVB TE CADENT, IN
CORDA INIMICORVM TVORVM.

Sic autem erant scripta vt Fidei tribueres, INTENDE, Spei, PROSPERE PROCEDE, Charitati, ET REGNA, Prudentiæ, PROPTER VERITATEM, Temperantiæ, ET MANSVETVDINEM, Iustitiæ, ET IVSTITIAM, Fortitudini, ET DEDVCET TE MIRABILITER DEXTRA TVA. Sub hac virtute hostes strati iacebant, asscriptumque illis erat, SAGITTÆ TVÆ ACVTÆ, POPVLI SVB TE CADENT, IN CORDA INIMICORVM TVORVM. Ad pegmatis angulos duo stabant obelisci, hic Infanti, quam hedera ambibat, cũ variis formis hieroglyphicis ad Principis virtutes significandas relatis: In medio scriptum erat:

HAC STANTE VIREBO.

Infrà super basi sic legebatur:

SERENISSIMÆ HISPANIARVM INFANTI ISABELLÆ
BELGICARVM PROVINCIARVM PRINCIPI CLEMENTISSIMÆ.

Addebantur hi versus:

Stanti hederæ ceu pyramidi mordacius hærent,
Dum sua stet virtus nunquam, Isabella, cades.
Belgarum vt patriis fulcis virtutibus orbem,
Et solidum columen stas, Isabella, tibi.

Ille Alberto dedicabatur lauro circundatus cum armis cuiusuis generis, & huiusmodi notis:

Vel tota hinc fulmina temnam.

Sic verò inferiùs:

SERENISSIMO ARCHIDVCI ALBERTO BELGARVM
PROVINCIARVM PRINCIPI CLEMENTISSIMO.

Inuidiæ & fortis lauro auctus fulmina temnes,
Postquam, Alberte, hostis fixeris arma solo.

In pegmatis fastigio emblematis loco annulus, & in eo erat adamas, in quem Sol & Luna radiabant, hinc palma, illinc olea, vtrinque verba:

ET SIMVL ET SEMPER.

Cum nomine IESV suprà eminente, asscriptoque disticho:

Fors fuit vt tenebræ velarent, Belgica, campos
Sæpe tuos, cùm Mars omnia corripuit:
Iam tenebras semper, iam noxia nubila vinces,
Sol erit Albertus, Luna Isabella tibi.

Ad huius pegmatis ornamentum accedebant sex caduceatores cum suis paludamentis eleganter dispositi: primus cum stemmate suarum Celsitudinum, alter Austriæ, tertius Hispaniæ, quartus Burgundiæ, quintus Flandriæ, sextus Insularum, lauro omnes coronati, singuli suum triumphum decantabant:

Viuite felices ambo Alberte, Elisabetha,
Io triumphe io triumphe Belgium.
Austriadũm serua genus, ô Deus ætheris alti,
Io triumphe Austria.

Hispana

Hispana fidei vigeat laus vecta per orbem,
Io triumphe Hispania.
Ne trepides tantis Ducibus Burgundia felix,
Triumphe io Burgundia.
Flandria sume animos tam grato afflatu fauore,
Io triumphe Flandria.
Hoc spiramine tam suauis aura
Flores pandito, lilium Insula.
Io triumphe lilium.

In contiguis ædibus extensus erat funis, super quo icuncula ambulabat puellari schemate, quæ in Principes transeuntes flores spargebat. Pegma in ponte qui à tyranno Finardo nominatur, positum fuit hoc sensu: Lidericus ab anachoreta qui patet putabatur discessurus, ab eo de patris homicida edocetur, à natiuitate & educatione sua admirabili, & matre Emergate à Finardo detenta. A Rege Dagoberto duellum impetrat, Finardum Rege præsente obtruncat, matrem liberat, latrones ex castro Buccensi fugantur, & ipsorum receptacula in templa conuertuntur: In theatri frontispicio hęc carmina sunt affixa:

Hic crudescentis rabiem prædasq; tyranni
Compressi, ferrum aduerso sub pectore condens.
Hic patria profugum spoliauit lumine patrem,
Et matrem tristi damnauit sorte cathena:
Indolui, & pœnam scelerato ex sanguine sumsi,
Et deserta dedi iustis habitanda colonis,
Latronumq; domos, diuorum in limina verti:
Vos eadem seri perstringat cura nepotes.

Procedentibus vlterius fornix triũphalis obuius fuit, qui duas vtrinque tabulas ostendebat, & in summo fastigio Phœbum & Dianam se mutuò intuentes:

ARCHIDVCIBVS AVSTRIÆ ALBERTO ET ISABELLÆ
OPT. PP. DD.

Vt Soli & Lunæ stirps vna Hyperione cretis,
Stirps vna Austriaco semine Principibus.
Sol cælum & radio collustrat principe Luna:
Sic regna Austriacis Belgica Principibus.
Sol vna & terram fœcundat luce Diana,
Vna est coniugio gloria Principibus.
Ambit vt æterna Sol mundum, & luce Diana,
Gliscat & æternis gloria Principibus.

Ad fori ingressum theatrum spectabatur pedes longum centum sexaginta in vndecim receptacula ex ordine Dorico distinctum, vltimos decem Cæsares repræsentans, Rudolfum nimirum, Albertum eius filiũ, Fridericum, Albertum, Fridericum, Maximilianum, Carolum quintum, Ferdinandum, Maximilianum, & Rudolfum Augustum. Vndecima sedes erat vacua & loco sessotis implexu litterarum nomen Principis Alberti, quam cifram vulgo vocant, ibi legebatur: aquila in medio frontispicio attollebatur super obelisco, asscriptis his carminibus:

Pulchrum videre est mane micans iubar
Phœbi, & Diana nocte nitens caput,
Ludos & hymnos seculares
Virgineo recitare plausu.

Sic

Sic Iubilei tempore, Principum
Vultus serenos cernere nos Deus
Ad instar astrorum salutis
Conspicuos dedit esse mundo.
Tanto coruscos sanguine (pulchrius
Qui masculina stirpe decem tulit
Orbis monarchas occidentis
Pace pios gladio feroces)
Pulchrum sed isto cum diademate,
Sceptro, togis, ac ense, aquilis, globo
Ornatus, ô Alberte, sedem
Quam video vacuam, replebis.
Tunc pacis arteis carmine prosequar
Fortemq; dextram quam timet occidens,
Eous & Septentriones,
Atque plagæ pluuialis Austri.

Aliæ item tabulæ hos versus continebant seu rhythmos Gallicos:

Heureux & beau regard de voir ces Princes grans
Reuiure soubz le ciel en gloire triumphans,
Ainsy qu'au firmament, d'vne vertu diuine
L'on voit le clair Phœbus & Diane argentine.

Quàm sunt auspiciis spectacula læta secundis,
Magnanimos quòd nostra Duces celebrare triumphos
Lumina conspiciant! claro ceu fertur Olympo
Cynthius, & blando sequitur soror aurea vultu.

Mais ce regard sera en parfaicte excellence
Lors que vous Prince Albert par sublime puissance
Ce grand siege vacant, reserué des haultz cieulx
Remplirez à nostre heur, par voz faictz genereux.

Inclyta sed culmen tum scandet gloria summum,
Cùm meritis, Alberte, tuis euectus in altum
Sessor eris solij: seruant quod fata supremi
Factis æqua tuis, nostræq; benigna saluti.

Progredientibus occurrit Balduinus in scena sedens Byzantinus Imperator, quod Græca eius denotabat inscriptio:

ΒΑΛΔΟΥΙΝΟΣ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ. ΤΩ ΘΕΩ
ΠΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ
ΡΟΜΑΙΩΝ Ο ΦΛΑΝΔΡΙΕΥΣ.

Versus ibidem huiusmodi legebantur:

Hos occidentis stemmate masculo
Vidisse reges num satis? En cui
Sceptrum dedit Byzantiorum
Vrbs duplici Imperio superba.

Arcus triumphalis procedentibus fuit obuius altus pedes sexaginta quinque, latus triginta & quinque, tribus substructus eleuationibus, quarum infima erat Dorica: inter-

columnium dextrum Carolum IX. exhibebat Galliæ Regem, finistrum Isabellam Austriam eius coniugem. In secunda eleuatione quæ Ionici est ordinis, intercolumnia hoc Regis Ferdinandi, illud erat Isabellæ coniugis loculamentum. Tertia eleuatio quæ tholum habebat in commodo valdè loco Isabellam exhibebat Principem serenissimam. Postica pars molis argumento differebat nonnihil à priori: nam Philippum III. Hispaniæ Regem & Margaritam Austriacam nobis dabat, sanctum Ludouicum & Blancam Castellæ Regis filiam matrem eius ostendebat:

Super Ferdinandum ita scriptum erat:

QVOD VOBIS SVPREMI NVMINIS PROVIDENTIA A CHRISTI VICARIO DIVINA FVTVRORVM PRÆSAGITIONE NOBILISSIMVM NOMEN EST ATTRIBVTVM VT CATHOLICI REGES PRIMI DICEREMINI.

Vxori hæc inscriptio quadrabat:

QVOD REGNO GRANATÆ RELIGIONI CHRISTIANÆ RESTITVTO, ARMIS IN AFRICÆ MAHVMETANOS FELICITER TRANSLATIS, NOVO ORBE, NOVO MARI CATHOLICI NOMINIS AVSPICIO, CÆLO TERRAQ. APERTO, HANC VOBIS POSTERISQVE VESTRIS ÆTERNAM LAVDEM COMPARASTIS.

In media tabula, quæ erat maiuscula, scriptum vidisses:

SERENISSIMÆ AVGVSTÆ PRINCIPI DOMINÆ NOSTRÆ
ELISABETHÆ CLARÆ EVGENIÆ
CATHOLIC } Æ
CHRISTIANISSIM }
REGVM CATHOLICORVM ET CHRISTIANISSIMORVM
FILIÆ, NEPTI, PRONEPTI, ET
QVOD VLTRA EST,
INFANTI HISPANIARVM, ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
DVCI BVRGVNDIÆ,
COMITI FLANDRIÆ.

Super effigie Infantis ita scriptum erat:

VNA EST DILECTA MEA.

Philippo III. asscriptum legebatur:

ILLE ÆTERNO VOS FOEDERE CONTINEAT, QVI VERAM PACEM IN SOLA CRVCE CATHOLICA FIRMAVIT.

Margaritæ:

MAGNI SPES ALTERA REGNI.

S. Ludouico:

NVLLIS ÆQVANDA TRIVMPHIS GLORIA.

Blancæ:

ET HINC SALVA ET SANCTA GLORIA.

Mediæ tabulæ sic erat inscriptum:

NOSTRE
TRESHAVTE, SERENISSIME PRINCESSE ET DAME
ISABELLA, CLARA, EVGENIA,
DES ROYS CATHOLICQVES ET TRESCHRESTIENS
TRESHEVREVX ET DESIRÉ SVRGEON:
INFANTE DES ESPAIGNES, ARCHIDVCESSE D'AVSTRICE,
DVCESSE DE BOVRGOIGNE,
COMTESSE DE FLANDRES.

Ad caput viæ quam humilem vocant prope delphinum Comes Flandriæ Margarita Balduini Augusti filia in scena exhibebatur, & quas Insulis religiosè instituit fundationes, his versibus asscriptis:

MARGRITE COMTESSE DE FLANDRES.

Dieu qui voyt ce grand tout de sa bonté asseurée
Princes tant genereulx, bienheure vostre entrée.
Et suiuant les saincts pas de mon pere Empereur
Soys, ô mon grand Albert, de tes haineurs vainqueur.
Et toy, cher Isabel, trop prudente Minerue,
Ainsy que tes ayeulx ces prouinces gouuerne,
Afin que l'eternel par sa toute bonté
Face croistre a iamais vostre prosperité.

MARGARITA COMES FLANDRIÆ.

Clementi lustrans oculo Deus omnia, vestrum
Prosperet aduentum, nostri & vestigia patris
Sancta sequens, Alberte, tuos sis victor in hostes.
Tuq; Isabella, tuas ditiones more guberna
Maiorum; sic prosperitas vos alma beabit.

Circum oras scenæ hi versus erant positi:

De Flandres fut Marguerite Contesse
De lieux pieux pieuse fondatresse,
A Bauduin de Bisance Empereur
Fille elle fut, laquelle au grand honneur
De ceste ville eslargit liberale
Grand priuilege & grace especiale.

Flandrorum fuit Comes Margarita,
Locorum piorum pia fundatrix.
Balduini Constantinopolitani Augusti filia,
quæ multa priuilegia in huius vrbis honorem
largita est.

In scena ad forum seu planitiem D. Martini Guido Comes repræsentatur, qui instituit iusiurandum quod ciuitati Principes dicunt, circumsedebant duodecim Senatores, siue Scabini eo habitu quo in Hallis vtuntur:

GVY COMTE DE FLANDRES MARQVIS DE NAMVR,
SIRE DE DAMPIERE ET DE S. DESIR.

Bien que ce grand guerrier de Bourbon l'ancien
Ayt souffert les efforts du rude Thracien,
Possible toutesfois il deliura sa terre
Du peril euident d'vne sanglante guerre,
Ennemy des combatz, amy de ses vassaux
Que francz il enrichit de droictz priuez nouueaux,
Et premier s'est comprins de garder ceste ville.
Vous voyez les proiectz du serment faict à Lille.

GVIDVS COMES FLANDRIÆ, MARCHIO NAMVRCI,
D. DAMPETRÆ ET S. DESIDERII.

Pertulit Ismarij bellator sæua tyranni
Arma licet, tamen à trepidi formidine belli
Liberat ipse suos, pugnas exosus amansq́,
Subiectos, quos immunes & iuribus auctos
Fecit, & hanc illis fidit custodibus vrbem,
Iurandaq́, sibi præscripsit vincula legis.

Similis erat scena qua Balduinus Insulanus spectabatur cum Adela vxore Roberti Francorum Regis filia. Collegij hic fuit Canonicorum ad D. Petri fundator:

BALDVINVS FLANDRENSIVM COMES, MARCHIO,
PHILIPPI FRANCORVM REGIS EIVSQVE REGNI
PROCVRATOR ET BAIVLVS.

QVIS LAVDET PRO DIGNITATE, QVIS DILIGAT PRO MERITO? HANC VRBEM PRIMVS MVRO FOSSAQVE COMMVNIVIT, HIC SIBI LIBERISQVE DOMICILIVM COLLOCAVIT, ECCLESIAM DEO IN MEMORIAM PRINCIPIS APOSTOLORVM DEDICAVIT, MORTVOQVE SIBI IN EA QVIETEM ELEGIT, DE SVIS VXORISQVE ELEEMOSYNIS MONASTERIA AMPLISSIMA VLTRA SCALDIM IN CASTRO DE EENHAM ET MESSINIS CONSTRVXIT: REGNVM GALLIÆ TVTOR HENRICI, POST PHILIPPI, REGVM FRANCIÆ SVMMA PRVDENTIA ATQVE FIDE SVPREMO IMPERIO PROCVRAVIT: EA LEGE AD REGNI GVBERNATIONEM VOCATVS, VT PVPILLO PHILIPPO SINE LIBERIS DEFVNCTO REX FRANCIÆ EXISTERET. GVILIELMO DVCI NORMANNIÆ GENERO REGNVM ANGLIÆ ACQVISIVIT, FLANDRIÆ COMITIBVS IDEM REGNVM TRIBVTO ANNVO TRECENTARVM MARCARVM OBSTRINXIT, VLTRA SCALDIM IVSTIS ARMIS CONTRA HENRICVM IV. IMP. DITIONEM DILATAVIT, HANNONIAM FILIO PROCVRAVIT.

MAGNO SVO MERITO
PIVS, FELIX, INSVLANVS.

Vlteriùs progressi ad Comitissæ nosocomium conspiciebant pegma, & in eo exhibitam Ioannam Balduini Byzantini filiam, nosocomij & Abbatiæ Marquettæ fundatricem. Astabant mariti Ferdinandus Lusitanus, & Thomas Sabaudus, scriptumq́ue legebatur:

Ille ego Ferrandus cui Lusitana superbum
Nobilitas nomen dedit, arua paterna relinquens
Dotales rexi augusta cum coniuge Flandros.

IOANNA BALDVINI CONSTANTINOP. FILIA.

Magnos vt titulos genitor mihi fecerit olim,
Thracia quòd tenuit sceptra superba manu:
Auxerit vt titulos geminus mihi laude maritus,
Quem Lusitana & terra Sabauda dedit:
Ne mihi ne prima hinc mihi fingite nomina Belgæ,
Nobilius pietas dat mihi ferre decus.

Hæc

Hac rutilo, cedens quòd egenis atria feci,
Hospitium populi quod fuerat domina.

THOMAS SABAVDVS.

Sum Thomas ducens genus alta à stirpe Sabaudi,
Se mea progenies & auo patriq; Philippo
Prima tenens iunxit comitem, dum bella vocabant:
Est germana tibi tædas ingressa iugales
Principis Allobrogum, pertentant gaudia pectus,
Austriadum genus aspiciam quod sanguine nostro
Commistum, terrasq; pari ditione tenere.
Albertus faciat pulchra te prole parentem,
Felices videat series vos longa nepotum.

Vbi ad D. Petri ventum est vniuerso Canonicorum exspectante collegio ex equis Principes descenderunt, eodemque in templo sacrosanctæ Crucis veras reliquias præbente Decano religiosè osculantur; hinc chorum ingreßi, Decani Guillelmi Giffordi S. Theologiæ Doctoris orationem audiuerunt: Decani & collegij beneuolentiam, quam ex oratione eius colligebat, gratam sibi esse Latinè Dux respondit. In via Anglicana portam transierunt picturis ornatißimam cum Austriæ insignibus & gentilitiis Principum stemmatibus; scriptum ibi erat:

INGREDERE QVIA FORTIS ES ET BONA NVNCIANS.

A parte auersa:

POSSIDEAT SEMEN TVVM PORTAS INIMICORVM TVORVM.

In eadem via spectandum se præbebat Ludouicus Malanus Flandriæ Comes cum vxore Margarita Brabantiæ hærede: versus asscripti historiam explicabant:

LVDOVICVS COMES FLANDRIÆ, DVX BRABANTIÆ, COMES NIVERNEN. ET REGISTETENSIS.

Flandria nec Gallos dominos, nec Gallia Flandros
Ferre pares poterat, sic duris omnia bellis
Diuexata diu, proauis miseratus egenos
Insulidas cesßit Francis pacemq; redemit.

Ast ego sic sortem conspexi voluere fata
Instabilem, vt socerum magnis me Gallia votis
Optaret, dotisq; daret pro munere Lillam,
Sex denis annis quam proditione tenebat.

Et tu, Lilla, mihi tanto pro munere grates
Reddideras magnas viuo, magnasq; sepulto.
Sic vos Principibus fidos pax alma beatos
Efficiat, nec vos turbet fortuna, nepotes
Austriadas inuicta manent virtusq; decusq;.

Muliebris imaguncula D. Claræ haud absimilis aliquot inde paßibus in tabula ambulabat ex fenestra ædium posita, quæ Principibus illuc progreßis honorem exhibebat. Murus cellæ vinariæ vicinus, à D. Paulo dictę, non carebat suo peripetasmate nec ornatu picturarum; septemdecim ditionum Belgicarum insignia cum tabula in medio maiuscula erant posita, Ducum stemmatis decorata, & his versibus:

Archiduces gemini, genus ambo à sanguine diuûm,

Ambo florentes ætatibus, ambo sereni,
Clementes ambo, cultores numinis ambo,
Nec minus optati patriæ, quàm patriam amantes.
Ite pij patriis sub honoribus, ite per annos
Nestoreos: & qui clypeo duo signa sub vno
Felici nexu geritis, concordibus armis,
Felici nexu concordes iungite Belgas,
Quos nunc in geminas scindit discordia partes.

Aliud erat pegma in quo spectabatur Ioannes Dux Burgundiæ cum vxore, historiam hi versus huiusmodi continebant:

IOANNES BVRGVNDIÆ DVX, FLANDRIARVM COMES:

MARGARITA BAVARA, COMITATVS HANNONIÆ HÆRES.

Post varios casus, post mille pericula vitæ,
Quæ Parisiaca victor in vrbe tuli:
Exceptura mihi gratam dedit Insula sedem,
Insula præsidiis officiosa meis.
In qua si resides habitare diutius annos,
At non dura sequi bella fuisset amor:
Viua diu non victa citò mea vita fuisset,
Aut si victa citò, non citò rapta foret.
Sed quis præcaueat rigidæ fera spicula mortis?
Certa sub incerto tempore quemque necat.
Vos modò paciferi longum durate nepotes,
Et quæ non vixi tempora viuite vos.

Prope crucem D. Catharinæ in scena sedebat Carolus dux Burgundiæ, cum Isabella Bourbonia coniuge, ascriptis hisce versibus:

Intrepidis animis rigidi Mauortis ad arma
Natus eram, Gallos straui primoribus annis.
Inde rebellantes Eburones Marte coëgi
Subdere colla duci, nudaui mœnibus vrbem,
Penè & capta meas vrbs sensit Nutia vires.
Militia poteram summos superare triumphos
Inuida ine nisi sors, acie dum versor in ipsa,
Mersisset celeri fato crudelibus vmbris.
Alterte atque Isabella, istas felicius oras
Vobis continget tranquilla pace tueri.

Ante Cameram rationum cernebantur in theatro Philippus Audax, & Margarita Flandrica eius vxor, cum hac epigraphe, qua significabatur illum rationes accepti & expensi Ducatus Burgundiæ omniumque ditionum illuc transtulisse:

Vnita per nos Insula Flandriæ est,
Et facta magni curia concili,
Sedesq; quæstorum sub aqua
Discutiens trutina libellos.

Arcus inde occurrit triumphalis prope templum D. Stephani, Archiduci dedicatus, quadraginta octo pedibus latus, triginta tribus altus, absque obelisco & aquila imposita.

sita. In tres erat portas distinctus, in quarum media columna est erecta, cum lilio in fastigio & Crucis signo æneo his notis adscriptis:

De Ie*sse* Chr*I*st*V*s *f*L*os* VI*rens*
*Sp*I*nas* V*t* I*nter* LILIVM,
CV*s*t*od*II*t* *s*IC I*ntegras*
V*o*bI*s* *f*I*de*LI*s* I*n*sVL*as*.

Super columnæ peripheria S. Stephani lapidatio saxo est incisa, ac ibidem scriptum:

Viue atavi longos, Princeps, feliciter annos.

Et in aduersa parte:

Pange Jouis lauri ramum quem porrigit ales.

Statuis ornabatur eadem pars aduersa, boni pastoris officio Christus fungens pro ouibus suis cum lupo pugnabat, scriptura hoc docebat:

Ma coleur argentine monstre ma charité,
En la vermeille pleine est ma fidelité.

Candidus immensum color vt designat amorem,
Sic ruber ardentem relligione fidem.

Super prima eleuatione ad columellarum pluteos, pastorum sexus vtriusque turba cum ouibus & canibus cantiones rusticas iucundè concinebant. Principis effigies ad basim obelisci cui aquila insidebat, paulo infrà Imperator Maximilianus & Maria Burgunda eius vxor ponebantur, vtrique versus additi:

Me pater Archiducem genuit, Germania Regem
Elegit, virtus sceptra decusq́ dedit.
Hinc quas sexcentos Comites auxere per annos,
Obtulit has coniunx nomine dotis opes.
Quas inter dilecta mihi fuit Insula, partes
Rebus in ambiguis fida secuta meas.
*Han*C *h*IL*ar*I*s* V*i*d*i* C*aro*LV*sq́ & V*terq*V*e* P*h*ILI*pp*V*s*
*A*s*p*IC*I*ent, & V*os* CV*rr*I*te* MI*te gen*V*s.*

Floribus Arthesiis cùm regia iungere Galli
Lilia cepissent viq́ doloq́ sua:
Virtutis flos his aliis mutanda relinquens
Symbola, Cæsareæ fidus adhæsit aui.
Hinc remorata fuit fraus & victoria regis
Signa, sed auspiciis Æmiliane tuis.

Posterior frons iisdem in locis Philippum Regem & vxorem ostendebat, quod versus explicabant:

Senliaci solidè stabilita pace Philippus
Optatum posui finem ciuilibus armis
Belgarum, pacem colui per tempora vitæ
Cunctæ meæ, charus populis, charusq́ per orbem
Regibus, & quouis laudum cumulatus honore.
Et quia pacificus, pacis Deus auctor, amator,
Et princeps dedit imperium sine fine tenendum,
Europæ, Libyes, Asiæ, Americæq́ per omnes
Anfractus, pelagiq́ sinus, multisq́ beauit

Proli-

Prolibus, ex tantis dotata heroide regnis,
Vos eadem fortuna manet dilecta propago.

Viginti Hesperiæ regnis opulenta Philippo
Archiduci coniuncta fui, dilecta marito,
Et mihi dilectus, genitrix fœcunda duorum
Induperatorum, quorum de sanguine iunctos
Multiplici nexu video, mea cura, nepotes.
Bisq; duas etiam virtutibus heroinas
Illustres variis, genuit quas tæda iugalis:
Cuique per Europen sociauit regibus, vnde
Tantorum felix regum communis origo
Dicar, & id cultus meruit pietatis in omnes;
Sic simili videant vos secula sorte beatos.

In liliis quatuordecim totidem virtutes erant descriptæ, videlicet, Iustitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Constantia, Charitas, Misericordia, Abundantia, Fœcunditas, Concordia, Clementia, Victoria, Triumphus, Æternitas. Forum ornatum quadratis quatuor tabulis totidem erat orbis partibus, in medio stabat Augusta effigies Caroli v. scilicet, vt fidem faciebant scripta:

IMPERATOR CÆSAR CAROLVS V. FRANCICVS,
GERMANICVS, ITALICVS, AFRICVS, P. P.
AVGVSTVS.

Me terra Eoo tremuit porrecta sub orbe,
Me tellus dominum Phœbo supposta cadenti
Agnouit, torrensq; mei fera fulmina Martis
Africa persensit, me diues America latè
Regnantem aspexit, permensus inhospita saxa
Herculeas vltrà penetraui classe columnas.
Sed cum terra meum non exsaturaret amorem,
Vlterius tandem cælo vestigia fixi,
Vos nati accedat nostræ virtutis imago.

Deinde Insulas Cæsar sic alloquitur:

*Te*LLV*re so*LVI *ga*LLIC*a*
*Pa*CI*q*V*e & ar*MI*s Karo*LV*s*
V*t* IV*g*I*ter nepot*I*b*V*s*
Esset VI*denda* LI*bera.*

Nec fuit desideratus Philippus II. qui in scena sedebat cum populis Indiæ vtriusque personatis, hoc versus indicabant:

Quas oriens, quas occiduas sol lampade terras
Perlustrat, nostra vidit ditione teneri,
Indica quæ Macedum nunquam patuere sarissis
Regna, vel Ausoniis nunquam spoliata trophæis,
Me primum qui vos genui nouere monarcham,
Te mea progenies felicia fata sequantur.

In tabula permagna hæc carmina numeralia lectorem curiosum diutius morabantur:

*Consp*I-

♊ *ConſpICIor geMInIs fVLgentIbVs adItVs, à te*
O qVInte Cæſar CaroLe.
♋ *An non VICtoreM CanCer ſpeCtaVIt ad oram*
Cedente Rege ALgerIa.
♌ *SVCCVbVIt pVgnaX GraVeLIngIs terMInVs eCCe*
Id torrIdVs VIdIt Leo.
♍ *FranCICVs eXVtVs CaſtrIs ReX SoMona VICtVs;*
IſabeLLa nata In VIrgIne eſt.
♎ *PInon InaCCeſſo à MaVrIs, In CoLLe reCepI*
Trophæa LIbra InsIgnIa.
♏ *TVrCICa de CIpro redIens qVæ terrVIt orbeM*
Depreſſa CLaſsIs, sCorpIo.
♐ *AnglIa papaLes Leges ChIrone reCepIt*
CoaCta non à MarIâ.
♑ *ACCIpIVnt proCeres, sVbIgata LIsboa In eLVa*
RegeM LVbenter sVb Capro.
♒ *CernIte Iane bIfrons Conſors IſabeLLa PhILIppo eſt*
Mater IſabeLLæ PrInCIpIs.
♓ *OMnIa faVſta patrI PIſCes, BeLgIſqVe tVLere*
EdICta paCIs pVbLICa.
♈ *SCande ArIes CæLos, IaM naſCItVr VnICVs hæres*
HIſpanIæ aC orbIs noVI.
♉ *PaX CæLo deLapſa redVX; & FranCICa ConIVX*
Deſponſa, nVM TaVre Id VIdes?

Equinum forum Philippi boni Burgundiæ Ducis referebat effigiem, cum quatuor præcipuis velleris aurei officiariis, eo habitu perſonatis quo induuntur cùm equites in illum ordinem cooptantur, explicabatur hoc ſchema his verſibus:

Perdomitis tauris vigiliq́, dracone ſopito,
Emenſis pelagiq́, periclis:
Theſſalica Æſonides lectiq́, heroës in Argo
Et Tirynthia fata ſecuti;
Phryxeum rutilo retulerunt vellus in auro,
Id pretium non vile laborum.
AC deCVs heroVM ſtatVens ego danda PhILIppVs
NobILIbVs CondIgna trophæa:
Qui virtutis iter bello tenuere togaq́,
Velleris hæc inſignia in vrbe
Diſtribui aurati, quæ coniuge vecta ab Iberis
Bruga prius ſpectarat ocellis.
At ſociam thalami noſtris ditionibus amplis
Dotatam referens Iſabellam,
In noſtram vobis hanc quam conſtruximus aulam
Occiduis, Alberte, ab Iberis
Præmia virtutum tu certè verus Iaſon
Aurea vellera vera tuliſti.

Portæ palatij hæc affixa erant carmina

SVRGE AGE IN REQVIEM TVAM, TV ET VXOR
DILECTIONIS TVÆ SS. ARCHIDD.

O nimium dilecta Deo cæleſtis origo
Auſtriadûm, nobis nuper quos pacis honeſta

Veruina auctores vidit; ter maximus ille
Tollere ciuiles intestinósque tumultus
Posse dabit, sobolemq́, dabit sobolisq́, nepotes,
Qui patria Belgas proaui virtute tenebunt,
Atque colent reges, populi, comitesq́, ducesq́,
Et metuent hostes, inimicaq́, turba profanam
Linget humum, sic est laurus gestanda triumphans.

PERACTO hoc itinere palatium introgressi sunt sero iam vespere: Magistratus armatorum collegiis custodiam Principum commendauit, ac deinde recessit, noctem spectaculis ignium & ludorum insomnem ferè transigens. Die Dominico siue octauo Idus Februarias eodem quo die præcedenti amictu suas Celsitudines ad D. Petri templum via triumphali incedens deduxit. Post sacrum celebratum Decanus & Thesaurarius accesserunt panem mantili habentes inuolutum, duo alij canonici lagunculas cum vino. Tum Principes his verbis compellat Decanus:

SERENISSIMI PRINCIPES, cùm vestræ Celsitudines præsentiâ suâ nos sibi obsequentissimos, & officium diuinum plurimum honorauerint, humiliter rogamus vt liceat nobis vestras Serenitates participes facere earum distributionum, quas solebant maiores nostri maioribus vestris in sua inauguratione offerre: quibus vt humana vita præcipuè sustentatur, & sicut in pane & vino ex multis granis & racemis vnum corpus videmus coalescere; ita diuina opitulante gratia optimi Principes cum obedientissimis subditis in perpetua pace & sancta vnione viuentes, ad illud sempiternum conuiuium perueniant, quod Christus per panem & vinum in vltima sua cœna significatum voluit.

Gratissimum sibi munus esse Archidux declarauit. Infans serenissima à Decano panem accepit, vinum ab alio, vt & Archidux à Thesaurario alióque Canonico. Adeuntes deinde altare Principes, Decanus sic affatur: Placétne vestris Celsitudinibus præstare iuramentum solitum præstari huic Ecclesiæ à maioribus vestris? cui cùm responsum esset ab Archiduce, placet: Decanus formulam iurisiurandi legit, quæ talis est:

NOS ALBERTVS ET ISABELLA Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Comites Flandriæ promittimus & iuramus, quòd iura, libertates, immunitates Ecclesiæ S. Petri Insulensis & priuilegia eiusdem fideliter obseruabimus.

Illud iusiurandum tactis sacrosanctis Euangeliis, præstiterunt. Templum postea egressi ad forum iuerunt, scenamque temporariam ordinis Corinthij, octoginta pedes longam, altam sexaginta, profundam viginti quinque cum septem obeliscis, & sericis vexillis supra eminentibus, aulæis venustè ornatum ascenderunt. Astiterunt magnates viríque primarij, Magistratui ad læuam locus fuit assignatus. Vbi silentium turba præstitit, Præses Richardottus verba cum magna grauitate fecit: de mutationibus regnorum exorsus singulis suas vicissitudines attribuit. De Assyriorum, Persarum monarchia, Græcorum, Romanorum, aliorumque populorum breuibus exposuit. De ludis festisque vrbium fundatoribus & consetuatoribus celebratis disseruit. Palilia eum diem esse credidit antiquitas, quo Romulus vrbem æternam cœpit condere. Laudauit populum Principes tam beneuolè & deuotè excipientes. Eos patriam, quietem & delicias reliquisse, venisse in has prouincias, quas in hoc statu rerum turbatas deprehendunt, sed auxilio diuino breui perpacandas. Vrbem Insulensem Principum fauore, Balduini præcipuè Pij cognomento, & Philippi Boni in eam amplitudinem splendoremque excreuisse, vt his belli motibus minus quàm reliquæ agitata fuerit; hoc acceptum ferendum Deo. Suas porrò Celsitudines restituto huic vrbi cum Gallia commercio, vt nulli Belgicarum cedat effectutas. Denique eos admonet ad colendum hunc diem.

VVALLE-

WALLERANVS Hangouardus D. de Laurie Ruardus præiuit iusiurandi formulam in huiusmodi sentẽtiam: SERENISSIMI PRINCIPES: Ciuitatis Insulensis ius & libertates, vsus, consuetudines iuratis? & in ciuium corpora bonaque iure & lege vos acturos iuratis per sancta Euangelia & verba sacrosancta quæ hîc scripta sunt, vos ita obseruaturos benè & fideliter? Tum suæ Celsitudines tactis Euangeliis, iusiurandum præstiterunt. Magistratus exhibitâ Principibus reuerentiâ in fidei signum, manuque sublata, hæc verba dixit per Ruardum: SERENISSIMI PRINCIPES, Defendemus corpora vestra ditionémq; Flandriæ idque iuramus benè fideliterque sensibus viribusque nos obseruaturos.

Populus deinde voce acclamauit ac missilem pecuniam cum gaudio arripuit. Equites creati ipse Ruardus, VValleranus de Boys D. de Beaufremez Senator, Ioannes de Vichte D. de Niuenhoue ordinis etiam Senatorij, & Michaël Gommer D. de Schoonuelde primus iuratorum.

Quatuor Bailliui ditionis Insularum, Duaci & Orchiaci ad salutationem Principum admissi, qui vbi ad præstandum ex veteri consuetudine qua potuerunt animorum submissione suis in agro ditionibus iusiurandum ipsos inuitassent, Principes quodcumque Rex Philippus fecerat data opportunitate se facturos promiserunt.

Accesserunt denique Præses & præfecti rationum Cameræ ad Principes salutandos.

Magistratus ne sterilis esset valedictio ex auro solidos sex crateres obtulerunt arte & pretio eximios. In equestrem ordinem asciti Balduinus de Croix D. d'Oyenbourg, & Claudius de Lannoy D. du Moulin.

Hi versus numerales inaugurationem Insulensem complectuntur:

EXCIpIt ArChIdVCes haC InsVLa Lata trIVMphIs
QVInta dIe LaVdanda FebrVarII.

TORNACVM.

INSVLIS discesserunt VI. Idus Februarias eodemque die ad Neruios peruenerunt. Occurrit in itinere magnifico amictu ceteroque apparatu Senatorius equitatus. Rhabdophori duo gestantes ciuitatis Tornacensis insignia præcedebant, sequentibus vtriusque subsellij Senatoribus, deinde iuratis cum rerum ciuilium actuario, magnoque procuratore, rerum criminalium graphiario secundóque procuratore in aula instruenda occupatis. Tres deinde consiliarij, tum quatuor præfecti, quibus præibant duo corynephori imperij insignia præferentes. Viginti vtrinque pedibus ibant accensi siue hastati viatores. Pontem quendã transgressis Principibus, ac iam in agro Neruiorum cõstitutis, Comes Solreus Tornaci ac Tornacẽsij Gubernator Senatum descẽsu ex equis facto ad rhedam suat ũ Celsitudinum adduxit. Ioannes de Clerc primus consiliarius, cuius opera hanc Tornacensium narrationẽ Gallica lingua scriptã nacti sumus, Principes & legitimos dominos Senatus nomine salutauit, aduentúmque gratulatus fidem perpetuam paratumque quouis tempore obsequium detulit, & ex patria consuetudine sex vini Gallici cados propinauit. Procedentes vlterius sexcentos armis alacres è iuuentute Neruia Solrei Comitis iussu ex opidis ac municipiis collectos, & in aciem dispositos, magna cum voluptate sunt intuiti. Nec minus gratum fuit spectaculum mille sexcentorum armatorum ciuium sub nouem cohortibus ex arte militari in phalange consistentium. Prope suburbium quatuor ciuium reip. sacramento obstrictorum collegia, quæ S S. Antonio, Georgio, Sebastiano, & Michaëli diuis tutelaribus nomina dederunt, trecentos viros armis elegantissimis, ceteróque ornatu militari instructissimos in acie exhibebant. Ignorare desineres, M. Tulli, si hoc æuo viueres, vbi isti sunt Neruij, & quàm longè absint vt ad Q. fratrem scribis lib. 3. epist. 8. in hibernis Neruiorum à Belgis oppugnatum, sed pedestres eorum cum Cæsare copias magnamque virtutem, ita enim scribit lib. 2. de bel. Gallico, vbi eos ferocissimos Gallorum etiam vocat, haud temerè mirareris. Quamuis autem naturam moresque illos feros, quos masculos & Spartanos rectiùs appellabimus, quòd rerum ad luxuriem pertinentium nil inferri paterentur (nam his rebus relanguescere animos eorúmque virtutem remitti existimabant) nunc ad commodiorem victus rationem omnemque humanitatem conformatos reperires: idem tamen robur adhuc Neruios spirare, & eandem in bello præstãriam, fortitudinem ac laborum tolerantiam reipsa deprehenderes. Quia verò nec de huius nec de reliqua gentis Belgicæ vel Inferioris Germanię populorum, quibus Serenissimi Principes nostri imperant, origine, progressu, rebus domi forisque, terra marique gestis, nec de mutationibus Principatus disserere in hac triumphali scriptione instituimus, eandem prosequamur: sed rerum Belgicarum commentarios generales vel historiam aut annales illis describendos & edendos relinquimus, quorum vel ingenia Principum Mæcenatum liberalitas excitabit, vel otium litterarium commodè sustentabit. Displosis itaque tormentis manualibus, ipsisque aciebus in agmen è peritia militari conuersis, suæ Celsitudines in domum suburbanam à Senatu instructam vbi se reficerent, & à frigoris rigore igni refouerent, circiter horæ spatium se continuerunt, armatósque Neruios compositis ordinibus egregiè incedentes magno cum oblectamento spectarunt. Ab vrbis ingressu vsque ad palatium iidem armati ex vtroque platearum latere consistebant, quà Principibus transeundum erat: qui conscensis equis, præcedente nobilium ex aliis prouinciis equitatu, deinde Senatu cum proceribus vrbem sunt inuecti, Comite Solreo, qui ex muneris sui consuetudine ante ipsos equo vectus strictum gladium humeris gestabat, claues ad portæ ingressum offerente. Ante repagula portæ Coquerellæ arcus erat positus hederaceus floridusque, lauro & stemmatis viridibus ornatus picturísq; conspicuus, cum duodecim pedum apertione inter duas pilas, cum suis stylobatis ex frugum florúmque picto complexu.

Supe-

Superiori coronici tabula erat imposita, quæ pictam Neruiam effigie Bellonæ, hastam cum vexillo & Principum insignibus dextra exhibebat, sinistra tabellam, in qua legebatur:

BONA NERVIA.
VOTA FVNDE OPTIMA, FVNDE OPTIMORVM OPTIMA
EN TVI PRINCIPES
ALBERTVS ET ISABELLA AVSTRIACI
TVA SVBEVNT MOENIA:
AVSPICATO VIVANT, ET VIVANT INCOLVMES,
DEO SEMPER ACCEPTI, GLORIA ET TRIVMPHIS
SEMPER NOBILES, NERVIIS SEMPER BENIGNI:
HOC VOTVM EGO NERVIA NVNCVPO.

Ad eandem portam ciuium eximia item armatorum centuria in excubiis stabat. Super secundo vrbis repagulo duo ingentes vtrinque leones inaurati ciuitatis insignia in labaro tenebant. Porta in ingressu tubicinum clangore ac harmonicis tibicinum modulis personabat. Vix intra vrbis mœnia introierant Principes, cùm sex ordinis Senatorij iurati sub vmbella ex serico raso ianthino cum fimbriis aureis ipsos excipiunt. Inde ad forum boarium progressi totum peristromatis & tapetibus ornatum illud offenderunt: In medio eiusdem scenam temporariam triginta pedibus longam, sublimem septem, variis picturis & symbolis ornatam ab humo ad proscenium. Ibidem turris erat versatilis cum septem fornicibus ad totidem ordines Neruiorum aptatis. Primus fornix nomen Neruiæ inscriptum habebat, atque in secunda eleuatione ex æneo monochromate Angelum vrbis tutelarem spectandum exhibebat.

Altera porta Cleri erat sedes vt verba ostendebant, cum statua Pietatis Christianæ superposita.

Tertia erat Nobilitatis aula cum Magnanimitate super eam picta.

Quartum tribunal Iustitiæ à depicta suprà statua cuius innotuerat.

Nec Musarum ibi defuit domicilium, cui in quinta regione inscribebantur verba, LVDVS APOLLINIS, cum typo Diligentiæ.

Sexta Mercurij erat apotheca, mercatorum cum Industriæ effigie sedes.

Horreum Cereris agricolis proprium cum Abundantiæ simulacro vltimum receptaculum occupabat. Inscriptum fuit zophoro litteris maiusculis:

Viuite, surgite, crescite, vincite, plaudite terris,
O Alberte tuis, O Isabella tuis.

In turris acroterio leo Belgicus stabat auro inductus magnitudinis pedum quinque, cum vexillo & vrbis insignibus. Ea porrò machina formà conopei siue tabernaculi sensim assurgebat, vt conuerti quaquauersus posset, & è singulis fornicibus singulæ ordinum personæ emitti, Principibus in conspectu venientibus. Erant enim intus è studiosa patrum Societatis iuuentute, qui personas eas sustinebant. Cùm suæ Celsitudines ad theatrum accessissent, in scenam prima prodiit Neruia magnifico amictu equestre vexillum manu tenens, versibusque huiusmodi Principes salutauit:

Archiduces magni, magnum genus Austriadarum,
Parua, oro, restate mora, dum Neruia turris
Effundat fœcundo vtero sua germina: Prodi
Clere sacer, faustum fortunatumq́; precare.

Ad hanc vocem conuersa nonnihil turri Cleri persona in scenam venit, cum depicto in serico candido, vt erant omnia reliqua, anchoræ symbolo, duabus manibus comprehenso, asscriptis hisce verbis, & per iuuenem prolatis:

 Anchora

Anchora religio figenda tenaciter, hanc vos
Austriadæ.

Tum sic nobilitatem Neruia euocat:

Prodi Nobilitas & nobile concipe votum.

Quæ à statione sua emissa hac salutatione Principes allocuta est:

Vobis nobilium sanguis purissime, vobis.
Dona hæc Neruiacæ nobilitatis erunt.

Pro eius emblemate arbor fuit picta variorum stemmatum suarum Celsitudinum loco fructuum ferax, horúmque verborum:

O felix arbor quæ tam felicia poma!

Euocatur deinde his verbis Iustitia:

Vos his Iustitia & vos his clementia donis
Archiduces cumulant.

Illa emblematis loco gestabat gladios decussatos & hastile Clementiæ, atque hæc verba:

Viuat decussis æquitatis & clementiæ.

Audiit postea Neruiæ verbis vocatus Apollo:

Musarum præses Apollo
Huc ades.

Qui cum symbolo fontis altè scaturientis prodiens,

Fauete, inquit, *Musis nobile Principum*
Par Austriorum.

In scenam processit cum caduceo suo inter duas bulgas Mercurius, qui Principes salutans, ait:

Alberte & Isabella magni Principes
Fauete mercimonio.

Suo deinceps ordine Ceres euocata cum castello inaurato dixit:

Alberte, io, Isabella Principes,
En rustican i fœnoris pignus fero.

Vnanimi denique voce omnes supradictis versiculis consalutant:

Viuite, surgite, &c.

Vt progressi fuerunt ad forum quod stramineum vocant, altera visui occurrit scena in pedes viginti & duos porrecta. Duodecim ibi Sibyllæ quas ex Varrone decem numerat Lactantius, splendido ornatu & asscripto singulis de Christi Redemtoris Natiuitate & Passione vaticinio, spectatorum oculos pascebant. Nomina sunt Persica, Libyca, Delphica, Cumæa, Erythræa, Samia, Cumana, quæ & Amalthæa & Demophile, vel Herophile vocatur, Hellespontiaca quæ & Marpessia, Phrygia, Tiburtina, quam Albunam vocat Tibullus, vbi Albanam perperam quidam legunt, & Albunea etiam dicitur. Ægyptiæ siue Babyloniæ quam Sabem vocabant Hebræi, meminit Pausanias in Phocicis: Europeam adiiciunt alij. Qui plura de iis & de earum libris ac carminibus Sibyllinis scire desiderat, is Baronium legat Annal. tomo primo.

Transeunda progredientibus fuit triumphalis porta eleganti opere viginti sex pedum viam præcludens, quadraginta quatuor pedum altitudine cum tympano & insignibus, decem pedes cum dimidio transitus occupabat. Columnæ Dorici ordinis cum suis stylobatis,

batis, capitulis, ceterísque partibus symmetriam ex arte architectonica, ex pictoria colores habebant. Secundæ eleuationis tabula hæc verba continebat:

OPT. MAX. PRINCIPES
ALBERTE ET ISABELLA AVSTRIACI
HVNC VOBIS ARCVM
ANIMI IN VOS SVI SYMBOLVM DEVOVIT
S. P. Q. T.
SVSPICITE ET ANNVITE.

Super tympano acuminato Principum insignia ligno incisa à duobus geniis aligeris tenebantur. Ad vtramque coronicis oram suæ Celsitudines ad viuum pictæ suis basibus insistebant. Posterius frontispicium simili cum priori architectura & ornatu constabat, Principum figuris in duos obeliscos mutatis, tabulæ pictura in geminos Phœnices lignorum strui ardenti insistentes solémque intuentes, prope vrbs Neruiorum adumbrata noscebatur, & hæc verba apposita:

Post secula tandem
Phœnices duo.

Tota illa ab arcu via ad forum vsque velamine peripetasmatum vniformi & stemmatibus hederaceis vtrinque ornabatur. Ab ingressu fori à puteo septem virtutum statuis recenter inauratis insigni, pycnostylos porticus distantibus decem pedum interuallo è tabula columnis, vsque ad alteram in egressu portam deducebat, perpetua coronice suprà connexa, de qua coronæ ex hedera longæ dependebant, capitibus leonum cum lemniscis iunctæ: superior coronix intercapedinis æqua proportione Principum insignia variis picturis intermixta sustinebat cum funalibus accensis. Emblemata quædam huiusmodi erant: Elephas sublata proboscide ad lunam flores spargens salutationis erat typus. Inter tres accipitres volantes ac rostris inter se concurrentes, syllabis distinctis inter alas & caudas verba scripta erant, ÆTERNVM VICTORES, quod Darij symbolum fuisse recitat Pierius hoc nomine νικητικώτατος, id est, victoriosissimus, inter alas notato. Duo brachia columnam amplexa cum notis, SECVRITAS BELGII. Columba palmæ ramum rostro ferens: asscriptúmque, AVSPICIVM REGIVM. Basilisci oculus vterque sagitta confossus: NON NOCEBIT VLTRA. Caput ceruinum cum ramosis cornibus viuacitatis symbolum. Anchoræ duæ decussatæ Belgij securitatem denotabant.

Ex altera verò parte ante officinam vel tabernam pannariam theatrum structum erat pedes longum quinquaginta septem, latum viginti, ad dicendum postero die iusiurandum. Quatuor virides columnæ septendecim pedes altæ, epistylium, zophorum & coronicem sustinebant cum lacunari ex panno cæruleo densissimis stellis conserto. Perelegans in medio fastigium assurgebat, in præaltum obeliscum desinens cum suis ornamentis. Dramatis personæ variarum artium & opificiorum inuentores erant; earum maximè rerum quarum apud Neruios industria est in pretio, & celebris ad exteras nationes exportatio, communísque omnibus vsus & vtilitas. Totius scenæ apparatus & ornatus collegiorum opificinæ sumtibus erat factus. Adstabant gradatim decani septuaginta, seu præfecti collegiorum, cum suo à consiliis & ab actis scriba, decenter togati, cum accensis in manu funalibus. Scena cum theatro suprà & infrà, vt & postero die, velis & peripetasmatis è pāno cæruleo stellis aureis distincto vndique obducebatur. Nec minus in ornandis in foro ædibus studium ciues impenderant elegantibus peristromatis, pictisq; singulari artificio tapetibus. Arcus ad egressum fori constructus eiusdem cum priori latitudinis & proceritatis, duobus fulcimentis parastaticis nitebatur ex Ionica dispositione, & iaspidis colore. Præcipua super fornicem tabula huius erat argumenti: Principes curru triumphali vecti iunctis elephantis, viri armati corpus, Furorem quiuis dixerit, magnumque armorum aceruum ante se agebant: hoc omine & fiducia eorum virtuti breui hoc bellum exitiosissimum confectum iri. Super tympani medio ab aligeris vtrinque geniis Principum astantium super basibus insignia tenebantur. Frons aduersa opere tantùm differebat, ordinis Tuscanici, & pictis in tabula Archiducum effigiebus. Eam portam trans-

transgressus Magistratus ex equis descendit, vt & suæ Celsitudines ad vestibulum templi beatæ Virgini sacri, exspectante ibi Reuerendissimo Episcopo D. de Betencourt cum collegij sui clero, & lignum Crucis salutiferæ in quam Redemptor orbis peccata nostra sustulit, cuius magnum frustum habent, & summa cum religione seruant, osculandum porrigente, breuique oratiuncula aduentum gratulante. Solemnibus in templo ritè peractis, conscensisque rursus equis, ad finem plateæ, cui à capite aureo nomen, pegma erat positum, quod ingressum in alios vicos muniebat. In scena exhibebatur diuorum vita, Eugenij, Claræ, & Elizabeth, & sanctissimæ eorum actiones. Obuius fuit deinde fornix triumphalis aspectu haud inelegans, cuius tota eleuatio in sublimem obeliscum desinebat: in apicis globo insigne Imperij aquila Principum stemmata vnguibus tenebat. Platea quæ à gliribus nuncupatur velo erat contecta conuexę instar testudinis, ad arcendam, vt opinor, aëris inclementiam, seu ad venerationem exemplo antiquitatis, quod ex Verrio Flacco refert Macrobius: *Cùm populus*, inquit, *Romanus pestilentia laboraret, essetq́ responsum id accidere quòd dij despicerentur, anxiam vrbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum: euenisseq́ vt Circensium die puer de cœnaculo pompam supernè despiceret, & patri referret quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset, qui cùm rem gestam Senatui nunciasset, placuisse velari loca ea qua pompa veheretur, atque ita peste sedata, puerum qui antiquitatem sortis absoluerat, togæ prætextæ vsum munus impetrasse.* hæc ille. Eum certè morem ad veri Dei cultum Romanos traduxisse, pio exemplo opinari licet, cùm Corporis Dominici festo die totam eam viam quâ salutaris cum summo Pontifice pompa ducitur, velatam contectamque sese conspexisse omnes meminerunt, qui eodem die beatorum Apostolorum limina visitarunt. Accessit ad cultus populi in Principes officiosissimi augmentum, quòd eadem platea cereis accensis in peluibus tonsoriis sex pedum interuallo disiitis, claro gratóque splendore fulgebat. Haud absimili modo viam calceolariam ardentes lucernæ in vitreis laternis ante singulas vtrimque priuatorum ædes super continua quadam coronice positæ illustrabāt. Ad locum qui Monticulus nuncupatur scena erat posita, vbi Virtus in sublimi solio sedens, victas pedibus calcabat Rebellionem & Hæreses, adrepente ad læuam Inuidia, magnificam diuæ vestem laceratura. Honos à dextra tubam manu tenens, corollam Virtuti præmij loco porrigebat. Hinc in palatium quod in ædibus amplissimis ornatissimi viri Archidiaconi d'Ognies commodè erat instructum, Principes peruenerunt.

POSTERO die templum denuò accesserunt, occurrente ad propylæum venerabili Decano cum collegio vniuerso. Et ibidem ante D. Virginis imaginem sanctissimę Crucis veræ reliquiæ super altari splendidè apparato collocabantur, vbi suæ Celsitudines solemni iureiurando promiserunt, se dictæ Ecclesiæ & collegio omnia sua iura, priuilegia, libertates conseruaturos, quemadmodum collegium se suas Celsitudines pro legitimis Principibus dominisque recipere, perpetuóque habiturum iurauit. Peracto deinde in summo choro omni magnificentia sacro ab Episcopo celebrato, ad theatrū in foro prope officinam pannariam positum concesserunt, eóque ascenso ac Principibus in aureo solio considentibus, proceribus ad dextram astantibus, ad læuam consiliariis curiæ cum Senatu Tornacensi, indictóque silentio, Præses Richardottus orationem habuit. Sumtóque proëmio à comparatione poëtica insulæ Deli, quæ primò instabilis in mari fluctuare credita, non priùs facta est immobilis, quam vbi Latona Apollinem & Dianam in ea peperisset. Eodem quoque modo sedes illa Neruiorum à Romanis rerum dominis duce Iulio Cæsare armis petita, quamuis libertatem strenuè Neruij defenderent, cruenta, si qua aliâs, victoria expugnata est. Attamen excusso Romanorum iugo in pristinam se Neruios libertatem vindicasse, eamque diu retinuisse, donec potentissimis Galliæ Regibus paruerunt. Verùm temporis rerumque vicissitudine ad Comitum Flandriæ imperium peruenisse cum ingenti nihilominus fortunarum dispendio, maximè sub Ferdinando Lusitaniæ Regis filio. Vrbem à Gallis iterum receptam Henrico Britanniæ Regi deditam fuisse. Huiusmodi procellis & mutationibus, variis cladibus affectam, & alternanti-

nantibus belli caſibus fluctuantem, non ante ſoliditatem ſuam accipere potuiſſe, quàm Latonæ beneficio, pro qua Auguſtiſſimam Auſtriacam domum accipimus, tranquillitatem ſuam qua octoginta annis fruitur, referre acceptam debuit. Ex qua diuûm familia cùm pulcherrimi gemelli præſtantiſſimíque Albertus & Iſabella editi ad Neruiorum imperium accedunt, nullas poſthac viciſſitudines pertimeſcendas eſſe. Eos igitur bellicoſiſſimæ gentis Neruiæ Principatum, & antiquiſſimam Epiſcopatus ſedem, omnémque cuiuſuis ordinis populum, fidem & obſequium ſibi nunc deferentem ſuis viribus & potentia in ſtatu ſuo conſeruaturos eſſe. Sic ampliſſimus Præſes. Dictum fuit deinde ſolemne iuſiurandum, prius à Principibus, deinde à Senatu populóque Tornacenſi, eodem planè ritu quo in aliis ciuitatibus deſcripſimus. Equitum numero allecti manu Archiducis Ludouicus Allegambe D. de Bazengien, magnus vrbis Præpoſitus, Simon Greni D. du Fay, Maior Senatorum, & Iacobus Haccart D. de Maltens, Maior S. Brixij, factaq; à populo acclamatione ſparſiſque numis miſſilibus, ad palatium Principes ſe recipiunt. Poſt meridiem in maximo licet hiemis frigore Infans ſereniſſima cum nobili gynæceo per vrbem vecta omnium ciuium oculos Principis ſuæ conſpectu magnopere oblectauit. Vehiculi quoddam genus eſt ſine rotis, traham vocant, quod per lubricas glaciei niuiſmque orbitas ſuppactâ ferri laminâ equis concitatis velociſſimè prolabitur. His qui Germaniam & Septentrionis regiones peragrarunt, nota eſt hæc vehiculatio: Non enim ibi mercium tranſuectiones modò, ſed quaſuis etiam profectiones & maxima itinera pari celeritate qua noſtri veredarij hiemalibus hiſce vehiculis conficiunt. Animalia Lappones è ceruino genere, rangiferos Olaus Magnus vocat in hiſtoria earum gentium lib. 17. equorum loco iungunt. Noſtris moribus inter ludos & delitias amatorias recepta eſt hęc aurigatio. Nocturni ignes gratulationis publicæ teſtes tota vrbe biduo colluxerunt, ſequenti die Duacum petiuerunt.

DVACVM.

VT PRINCIPES quarto Idus Februarias meridie Orchiacum, quod cum Insulis ac Duaco trium opidorum efficit ditionem, vesperi Duacum peruenerunt. Præfectus Duacensis & nobilitate insignes viri numero & splendore conspicui equis vecti generosis obuiam sunt profecti. Principis Officiarius quem Bailliuum vocant, Senatores, Consiliarius, Graphiarij, vi. Viri & Consilium palliis longiusculis sericis amicti duplicatis holoserico, quos rhabdophori equites præcedunt, & corynephori pedites, violaceis togis vestiti progrediuntur. Duæ arcubalistariorum turmæ equitabant, vario amictuum genere cultæ, vno omnes colore ianthino, galeris leucopheis cum candidis ad ornatum plumarum fasciculis, ac sclopo in manu. Cohortes dehinc binæ sclopetariorum insignes thoracibus albis, caligis cæruleis rubrisq; tibialibus, cum suis sclopis & musquettis, gladiorum manubriis & pugionum inauratis: signa militaria equis portabantur. Sagittariorum cohors caligis erat amicta cæruleis, viridibus galericulis, arma manibus, pharetram dorso obliquam gestabat. Nihil venustius fuit dimicatoribus, nam hi numero trecenti ex flore iuuentutis candido omnes amictu sub D. Michaele incedebant, Archangeli etiam imagine in vexillo picta. Accedebant quatuor instructissimæ cohortes ex ciuibus electis, vt simul aciem mille armatorum egregiam efficerent, sub ducibus suis luculenter militantem. Medio ab vrbe lapide primus fuit occursus, vbi Principes per Philippum Brodeum nobilem scutatum (sic eos appellamus qui insignia nobilitatis gestant, verùm ordinis equestris publicè dignitatem needum assecuti sunt) I. V. L. Senatus nomine salutauit: Incredibili gaudio lætum hunc introitum Senatum populumque Duacensem afficere, hoc vel linguam disertissimam verbis exprimere vel ingenium comprehendere quamuis acutissimum nequaquam posse. Se quidem percupere vt omnibus fenestræ aut ostiola quædam in pectore essent, vt non modò gaudium, sed sincerus amor, fides & obsequium deuotissimorum subditorum posset conspici, quod vsque ad cordis penetralia tam altè radices egit, vt nulla neque temporis nec fortunæ vicissitudo, nec ipsa mors denique vllam mutationem esset allatura. Ad quod diuino & humano iure obligantur, vt legitimos suos Principes supremosque Dominos ament, venerentur, & post Deum, cuius referunt imaginem, omni cultu prosequantur. Excitantur etiam & vi quadam trahuntur clementiæ, mansuetudinis, aliarumque virtutum quas in vobis conspiciunt, accedentibus meritis summisque beneficiis, quæ ab inclytis & heroicis maioribus vestris Flandriæ Comitibus cumulatè acceperunt: ad quam gratiam promerendam se sentiunt obligatos, vt omnem ingratitudinis notam à se amoueant, qua quidem in re sibi ipsi nequeunt satisfacere. Hoc ingenuè fatentur quòd inter beneficia quibus à Deo omnipotente affici potuerunt, quæ sunt plurima, hoc exstitit singulare, quòd ab illis heroibus maioribus vestris ex Burgundica domo & Austriaca descendentibus, vero seminario, parente & nutrice Imperatorum & Regum, qui fato quodam electi videntur ad regendam vniuersi monarchiam, recti gubernatique fuerint. Suas autem Celsitudines quæ huius magnitudinis & felicitatis successores sunt, non posse non amorem & beneuolentiam ad hasce prouincias, antiquum suum patrimonium iure secum ferre. Certò inde sibi homines præsagiunt vos pristinum splendorem optimumque statum quo sub eorum maioribus prouinciæ floruerunt, nobis iterum relaturos. Anni sunt vltra quadraginta quibus grata Principum præsentia omnino caruimus, & astrorum lucidorum eclipsi laborauimus. Sed quanto cum dolore, quo gemitu & suspiriis! Nunc cælo iterum nobis propitio & vultibus ipsorum serenissimis affulgentibus, vt solis exortu nebulæ fugantur, sic & vestra præsentia procul abiget & depellet noctem & molestiam bellorum ciuilium pacis claritate, tam exoptatæ quàm necessariæ, quod vnicum malis nostris & miseriis est remedium. Hanc porrò felicem

licem sanctamque coniunctionem & nuptiarum fœdus diuinitus, dicebat, videri ordinatum, vt laceræ factionibus domesticis mundi partes iterum connectantur. Deo igitur immensas gratias agunt pro ingenti beneficio, quòd cùm tantis tempestatibus procellisque iactati sunt, hæc astra gemella malaciæ signa vicinæque tranquillitatis apparere illis fecerit. Nec minus vobis gratiam habent qui nulla ratione habita valetudinis, tam incommoda & inclementi aura ad nos visitandos non abstinueritis. Hunc itaque diem pro fausto & felici, si quem vnquam habuerunt, signandum putauerunt. Denique vt aduentum ipsis gratulatus est, oblato Senatus populique Duaceni nomine obsequio, commodũ orationi finem fecit, Principum patientia in tanto frigore abuti reformidans. His peractis in subiectionis testimonium oblatæ claues ciuitatis, quas recipere recusarũt, dato manu signo se illas ipsorum fidei committere. Respondit ad hæc Infans serenissima hilari vultu, grauique modestia, grata sibi esse quæ dicta sunt significans. Simile fuit Archiducis responsum: quo facto equos vnusquisque cõscendit, magistratu ante Principes incedente. Vbi prope vrbem aduentare visi sunt, ingens fragor tormentorum displosorum, sonitus campanarum & tympanorum, ac fistularum strepitus excitatur. In suburbio diuæ Virginis è rheda Principes descenderunt, conscensisque equis, sub vmbella serica coloribus suis distincta & fimbriis aureis à primi subsellij magistratu recepti fuerunt. Ingressi sunt vrbem hora sexta cum Principum legatorum ac nobilium comitatu, crebris luminaribus noctis tenebras vincentibus. Ætate meritisque venerabiles viri multi viâ vtrinque incedebant funalia gestantes. Omnibus qua transeundum erat viis sex pedum interuallo pegmata erant posita, puerorum vtriusque sexus receptacula, angelico & pastorali schemate funalia tenentes, numero circiter mille. Ignes alibi clariores, in turri præcipuè vbi tanta laternarum & facularum erat copia, vt pharum lucidissimam opida vicina putarent se conspicere. In æde D. Virgini sacra magnificus D. Rector, Doctores, Professores, Licentiati, & litteris operam dantes habitu & epomide cuique decenti funalia portantes cum suis sceptrigeris & apparitoribus aduentum opperiuntur, factaque reuerentia Doctor vanden Pied primus Iuris professor breui oratiuncula auspicatum coniugium & felicem aduentum gratulatus est, obsequium & fidem vt legitimis Principibus detulit, postremò Academiam Philippi II. filiam commendauit. Audiuerunt patienter, & benignè responderunt. Ad portam D. Virginis, qua ingressi sunt Principes, pegma erat positum tribus commodum personis, Fidei nimirum, quæ Palladis more ornata & armata sinistra columnæ innitebatur, vexillum militare dextra tenebat. Cæruleo altera amictu stellis pleno pro Religione se gerebat, rubram gestans crucem. Inter has virgines vtriusque humero tertia inclinabat cum candida veste: hæc Duaci personam sustinebat, quæ penes se habebat antiqua insignia Flandris olim communia, versusque ascriptos:

Intemerata fide fuit hæc & relligione,
Intemerata erit hæc relligione, fide.

Ad fori ingressum aliud erat pegma cum hac inscriptione:

Iam nouus integro seclorum nascitur ordo,
Casta faue Lucina.

Hæc ad sinistram lector obseruabat:

Viuite felices & multa prole beati.

Muliebri forma Vbertas hîc sedebat viridi amictu cum cornu Amaltheæ, quæ tribus infantibus simul blandiebatur, vtrinque hi versus rhythmis vernaculis exarati dependebant.

Dieu vous gard' petits Dieux du grand Dieu la samblance,
Princes l'amour du ciel, delices des humains,

Tresor de l'Iberie, & la fleur des Germains,
Claire aurore du iour de meilleure esperance,
Issant belle du sang d'Espaigne & de la France.
Toy frere filz nepueu des augustes Romains
Qui aux deux bouts du monde aduiennent de leurs mains,
Ou le iour va mourir, ou il prend sa naissance.
Vrais fleaux de l'Otoman, qui vont tousiours brisans
Les cornichons pointuz de ses lunes croissans,
Or croissez donc tousiours, croissez tousiours grands astres.
Et que conioincts ensemble esclariez vn soleil
De vostre heureux aspect qui chasse de son œil
Et la nuict & l'ennuy de nos fataux desastres.
Heros predestinez à l'empire du monde
Grandeur contr'opposee au tyran Bysantin,
Bee tant que vouldra c'est enuieux mastin
Abbaiant du plus creux de l'abisme profonde.
De son ambition apres la pleine ronde
Pour deuorer ensemble & l'empire Latin,
Et l'estat d'occident auecq le leuantin,
Seule peut l'empescher vostre race feconde.
Aiglerons genereux esclos de ce guerrier,
Qui du grand Jupiter est le grand escuier,
Rescouez son butin, represaillez sa proie:
Deplumez le voleur de vos pennes paré,
Bridez le vol brigand de la sauuage offroie,
Et que vostre dessein soit du ciel bienheuré.

Quos sic Latinos fecimus:

Saluete, ô Diuûm genus, & cælestis imago,
Grata Deo soboles, humani gloria cœtus,
Delitiæ, flos Germanæ, flos gentis Iberæ,
Clara diem radiis pandens aurora coruscis.
Et tu nate, nepos, faterq́; Auguste, cubile
Nomine sublimi tangis qui solis vtrumque,
Qua parte Ismariæ franguntur cornua lunæ.
Crescite in immensam pulcherrima sidera lucem,
Ut clarum rutila superetis lampade solem,
Et radiis quibus exortis vmbrosa facessunt
Nubila, fatalis nox & mala nostra recedunt.

Imperio, Heroës, summo vos destinat orbis,
Et contra Odrysij vos suscitat arma tyranni:
Ille suas fauces & fœdam gutture pandat
Ingluuiem, regnisq́; inhiet quæ deuoret, ortu
Solis ad occasum: vestrum genus illius obstat
Consiliis armisq́;: aquilæ fœcunda propago
A Iouis armigeri quæ sumsit origine stirpem.
Audeat hæc rapido prædam extorquere latroni,
Furtiuasq́; iterum de corpore sumere pennas
Auxiliis vestris, quæ numine cuncta secundo

Eueniant,

Eueniant, veſtrumq́; iuuet Deus ipſe laborem.

Frons forum reſpiciens diuæ ſimulacro ſiue Auguſtæ inſigniebatur, Sereniſſimæ haud abſimili, cum verbis:

DILECTVS MEVS MIHI, ET EGO DILECTO.

Ab altera parte maieſtatem & gloriam Rex præſeferens Archiducem referebat, aſſcriptis his notis:

ILLAM AMAVI ET QVÆSIVI A IVVENTVTE MEA,
ET CVM ILLA, VENERVNT MIHI OMNES DIVITIÆ,
OMNIS HONOR ET GLORIA.

Nonnullis in locis duo ſtruthiones in vnum diadema collum inſerentes, & ſoleam equinam roſtris tenentes, in formam lunæ Turcarum bicornis, Auſtriorum virtute confringendam denotantes. In medio foro theatrum erat poſitum, vbi Celſitudines dixerunt iuſiurandum, introitus autem die Comites Flandriæ in eo exhibebantur hac ſerie:

I. BALDVINVS FERREVS cum antiquis Flandrorum inſignibus.
II. BALDVINVS CALVVS.
III. ARNVLFVS MAGNVS.
IIII. BALDVINVS IVNIOR.
V. ARNVLFVS IVNIOR.
VI. BALDVINVS BARBATVS.
VII. BALDVINVS INSVLANVS, qui ſuis inſignibus lilium inſerebat.
VIII. BALDVINVS MONTENSIS.
IX. ARNVLFVS TERTIVS.
X. ROBERTVS FRISO.
XI. ROBERTVS HIEROSOLYMITANVS.
XII. BALDVINVS SECVRICVLA.
XIII. CAROLVS BONVS.
XIIII. GVILIELMVS NORMANNVS.
XV. THEODORICVS ALSATIVS.
XVI. PHILIPPVS ALSATIVS, qui Flandriæ inſignia in leonem nigrum commutauit.
XVII. MARGARITA ALSATIA.
XVIII. BALDVINVS CONSTANTINOPOLITANVS habitu Imperatorio.
XIX. IOANNA BYSANTIA.
XX. MARGARITA CONSTANTINOPOLITANA.
XXI. GVIDVS DAMPIERVS.
XXII. ROBERTVS BETHVNIVS.
XXIII. LVDOVICVS CRESSIACVS.
XXIIII. LVDOVICVS MALANVS.
XXV. MARGARITA MALANA CVM PHILIPPO VALESIO AVDACE BVRGVNDO.
XXVI. IOANNES BVRGVNDVS.
XXVII. PHILIPPVS BONVS.
XXVIII. CAROLVS BELLICOSVS.
XXIX. MARIA BVRGVNDA CVM MAXIMILIANO PRIMO AVSTRIACO CÆSARE AVGVSTO.
XXX. PHILIPPVS PVLCHER AVSTRIACVS CVM IOANNA CASTELLÆ.
XXXI. CAROLVS QVINTVS MAXIMVS AVGVSTVS IMPERATOR.
XXXII. PHILIPPVS SECVNDVS AVSTRIACVS REGVM POTENTISSIMVS.

Columellis theatrum præcludebatur in septuaginta pedes protensum, scalæ vtrinque sex pedes altæ, cum suis leonum aliisque ornamentis: in medio nomina suarum Celsitudinum vario litterarum implexu denotata, cum Flandriæ comitum insignibus, & his versibus:

Grands Princes ceste troupe à son rang vous appelle,
Vous desire tant d'heur, gloire & de grandeur,
Qu'elle a eu de pouuoir de lustre & de bonheur,
Et declaire ses hoirs Albert & Isabelle.

Vostre Flandrine dict, Que soyez bien venuz,
Vous donne ces beaux noms d'Archiduc de grand Comte,
Noms qui par leur grandeur a maints grands Roys font honte,
Noms en tout l'vniuers par victoires cognuz.

Hic vos, Archiduces, cœtus vocat, & petit, vt vos
Et par prosperitas & gloria tanta sequatur
Quanta ipsum; dignos sceptro declarat Elisam
Albertumq; suo: gratatur Flandria vobis
Aduentum, vos Archiduces compellat, & illo
Nomine quo Regum magnos æquat is honores,
Quódque per immensum vincendo claruit orbem.

In summo fastigio Iupiter aquila vectus sedebat pro monarcha Hispaniæ Philippo: ad dextram solis schemate Philippus III. aspiciens sororem Infantem lunæ habitu formatam, asscripti versus rem faciunt clariorem:

Jupiter de ces cieulx l'Empire departit,
Entre le blond Phœbus & Diane la belle,
Et le frere à sa seur de son gré consentit,
Ainsy fit le grand Philippe à Philippe & Isabelle.

Elle eut le ciel d'embas (ô la belle partie!)
Et ne sçauroit on dire, ou bien si c'est à Mars,
Ou à Cyllenien qu'elle soit assortie,
Tant son espoux est grand en armes & es arts.

O la grand pitié & plus que Castorée!
Le frere seulement ne luy a emprunté
Sa precaire lumiere, ains cedé sa clarté,
Veuillant qu'elle eut aussy sa parçon separée.

Et ne cesse pourtant d'œillader fauorable
Celle qui de ses rais brille si clairement,
Que l'albe vers du iour à son accouchement
Enfantant aux humains la clarté desirable.

Cælorum geminos partitur Iupiter axes,
Hanc Phœbo dedit auricomo, fuit ille Dianæ
Portio, nec frater Germanæ inuidit honorem.
Hac natis orbem diuisit sorte Philippus,
Illa vices cæli est nacta inferioris, at vtri
Ipsam Mercurio fas sit vel iungere Marti

Incer-

Incertum est; floret virtute Albertus vtraque,
Dotibus ingenij variis insignis & armis.
Nec frater petit vt radiis obnoxia surgat
Fraternis, proprio sumet de sidere lucem.
At vagus hanc oculis tamen aspicit ille serenis,
Et claram radiare videt, ceu lumine primo
Surgit, & obscuras Tithonia dissipat vmbras.

Statuæ Herculis & Atlantis asscriptum habebant:

Il faut de tels Atlas, tels Alcides Semons,
Pour de cest vniuers gouuerner les timons.

Alcidis & semideis Atlantibus istis
Par fuit, haud aliis, flectendum credere mundum.

Ad fori angulum porta triumphalis ciuitatem Duacensem virginis forma referebat diuis Amato Archiepiscopo & Mauro sociata, cum notis in zophoro:

DIVIS TVTELARIBVS VRBIS.

Indigetes patriiq́, Lares queis credita nostri
Cura, fauete boni, & dominis seruate fideles.

Pars aduersa depictum habebat Turcam Muselmannum ad pedes stratum Principis Austriæ & Hispaniæ insignia gestantis, cui asscriptum:

OTOMANNO-MASTIX.

Mundo ventorum iactato tempestate cum Austriæ insignibus asscriptum erat:

ANCHORA FLVCTVANTI MVNDO.

Eluuiúmne Europa times è Thrace redundans
Bosporo, erit terris Austria tutus obex.
Hactenus ambiguis trepidauit nutibus orbis,
Verùm nutanti hæc anchora firma fuit.

Pronaon loci quam Hallam vocant, ornatum erat Archiducibus & Duaco nymphæ habitu, cor Principibus offerente, notis appositis:

PRINCIPIBVS SVIS SERENISSIMIS S. P. Q. D.
HOMINIVM.

Hi versus ad sinistram legebantur:

Le peuple ne sçauroit faire plus belle offrande
Aux Princes souuerains que de son propre cœur,
Qui possede le cœur, possede chose grande,
Car de tout de son peuple il est ia faict seigneur.

Non magis eximium nec Principe dignius vllum
Esse queat munus populo cor dante benignum:
Imperium qui cordis habet, rem possidet ille
Ingentem, rectórque potest dominusq́, vocari.

Explicabatur actus ille historia regis Spartani Agesilai, accusati ab Ephoris quòd Lacedæmoniorum corda rapuisset, his versibus asscriptis:

Redde animos populis animorum raptor, amica
Corcula redde tuis, quæ tua semper erunt.
Corde vel ipse tuo populis mulctabere, sed tu
In commune refers quod fuit ante tuum.

Tabella

Tabella ibidem appensa hos versus continebat:

Quis Princeps, Cæsar, quis Rex non ambiat illam
Imperij regnive notam, quòd pectora vulgi
Possideat, mentesq́ regat non corpora tantùm?

Scena viam claudebat qua Reges Ferdinandus & Isabella, qui primi Catholici nomen meruerunt ob exactos ex Hispania Mauros, repræsentabantur, additis his versibus:

Ferdinandus habet nomen virtute paratum
Catholici, latebris Libyæ quod compulit Afros,
Partem in victrici coniux habet inclyta lauro.

Iidem Indiam primi inuenerunt: Hæc aureis litteris asscripta ibi erant:

FVSIS FVGATISQVE HISPANIA MAVRIS,
AMPLIFICATO IN NOVO ORBE CHRISTI
REGNO MERITVM CATHOLICORVM REGVM
COGNOMEN.

Ab altera parte scenæ pictus erat nauarchus cum pyxide nautica, mulierem secum ducens colore fuscam, plumatili amictam veste, arcu & pharetra, & his notis Hispanicè asscriptis:

Por Castilla y por Leon,
Nueuo mondo halla Colon.

Auspiciis regum proprio sed Marte Columbus
Primus ad ignotos penetrauit fortiter orbes.

Versus ibidem exstabant huiusmodi:

Alexandre le grand ne conquist qu'vn seul monde,
Fernand & Isabelle & leurs hardis vaissaulx
Par Colomb ont conquis l'Amerique seconde,
Maints peuples incogneus, & des mondes noueaux.

Iactat Alexander mundum quem subiugat vnum,
Hesperiæ Reges magni ductore Colombo
Inueniunt plures & subdunt puppibus orbes.

In tabula maiuscula hi rhythmi continentur:

Ainsi puissiez tous deux Albert & Isabelle
D chasser l'heresie & forcer le rebelle,
Soubz le iuste pouuoir de voz armes captif
Qui plus de vingt moissons s'est rendu fugitif,
Plus Caribe sauuaige inhumain & barbare
Que ne sont point ceux la que la grand mer separe
(Ainsy le Seigneur Dieu nous aime desormais)
Et lors vn plus hault nom, plus grand ie vous promets.
Vous serez appellez Princes trescatholiques
Chasseurs de l'heresie & plus que Britanniques,
Passans en ce royaulme arriere reculé,
Et de la plus auant iusques dedans Thulé.
Et plus auant encore au monde hyperborée,
Vous voirez en tout lieu vostre enseigne arborée,
Car le reste du monde aux vostres appertient,
Ou bien quelque Tyran contre droict le retient.

Vostre

Vostre noble lion coustumier de conquerre
Loing loing oultre la mer mainte estrangiere terre,
Attendoit ce beau iour pour chasser de ses parcs
La louuette du nort auecques ses lupars.
Lupars qui passagers vostre lion gourmandent,
Et dans vostre pays iniustement commandent.
Et ce fier lionceau qui n'estoit cy deuant
De vostre grand lion que l'escuier suiuant,
Qui sorty de sa grotte ose d'vn pied superbe
Fouller & fourrager de voz gras patis l'herbe.

Sic vos Archiduces, Alberte Isabellaq́; iustis
Hæreticos armis & vincere Marte rebelles
Inuicto Deus annuerit, qui fronte recusant
Perfricta imperium, triginta & messibus absunt:
Infestamq́; truces æquant feritate Charybdim,
Barbara quam tellus & inhospita circuit vndis
Insula: Catholicos dicemus & hæresis atra
Victores, populiq́; alio sub sole remoti,
Thracia dum vobis, dum seruiat vltima Thule:
Indomitosq́; Scythas vltrà Tanaimq́; niualem
Aspiciant vestri sublimia signa trophæi.
Nam cedit reliquus vestris affinibus orbis,
Quem non infandi vis occupat vlla tyranni.
Nobilis iste leo qui per freta cærula terras
Imperio terrere solet, sperasset vt illum
Cerneret ipse diem, propriis cùm pelleret aruis
E Borea regione lupam, quæ rura leonis
Vastat, & in vestris grassatur deuia terris.
Nec minus agrestis tumidusq́; leunculus ille,
Assecla qui vestri tantùm solet esse leonis,
Speluis prodire suis raptoq́; potiri
Audet, & è dominis prædas auertere campis.

Ad alterius viæ angulum nympha laureata in scena sedebat, librum manu tenens pro typo Vniuersitatis siue Academiæ: in eadem scena de lauro pendebat verbum inscriptum SAPIENTIA, ad trunci radicem, RADIFICAVI IN POPVLO HONORIFICATO. Rex eam Philippus ceu pater & fundator Archiducibus commendabat, quod verba indicabant:

MVSÆVM D. PHILIPPVS PARENS LIBERIS
BONORVM ET SACRORVM HÆREDIBVS
COMMENDAT.

In zophoro scenæ ita legebatur:

Ce Philippe pieux, ce Philippe deuxiesme
Ayant pour heretiers Isabelle & Albert,
Leur donna vne sœur l'aymant comme soy mesme,
Qui contient vn tresor à tout le monde ouuert.

Scripserat hæredes Isabellam ex parte Philippus

 Alber-

Albertumq; Duces, sed iunxit vtrique sororem
Quam summo colit affectu; quaenam illa? bonorum
Ingentem cumulum pandens Academia cunctis.

Inferius hos rhythmos lector obseruabat:

Vous serez (pair sans pair) nostre croupe iumelle,
Voz Altesses seront Parnasse & Helicon,
Le grand Albert sera nostre grand Apollon,
La premiere des sœurs sera son Isabelle.

Nostre inuocation le nom de luy & d'elle,
Leur gloire, leur grandeur, nostre double surgeon,
Et celuy d'Aganippe, & cil du cauallon,
Ou nous retrouuerons vne source immortelle.

Les palmes, les trophez de leurs tiges guerriers,
Espars de toutes parts ce seront nos lauriers,
Leur faueur ce sera la fureur & la flamme
Qui eprend & aprend les grands esprits epris,
Qui haulcera noz cœurs noz cris, & noz escritz,
Pour chanter Monseigneur & l'honneur de Madame.

Ad nos Aonij migrarunt omine montes
Insolito, Dux est nobis Albertus Apollo,
Ipsa nouenarum prima est Isabella sororum.
Carminibus nostris in vota vocamus vtrumque;
Illorum decus & laudes Aganippidos vnda
Sunt instar, pariterq; fluunt de fonte perenni.
Erectum domito nobis ex hoste trophaeum
Laurus erit, quae fatidico praecordia motu
Afficiet, cantusq; sacros in mente ciebit,
Vt geminis meritos Ducibus celebremus honores.

Ab altera parte mons biceps Parnassus cum fonte caballino & nouem sororibus, quas ducebat Apollo citharam pulsans venustè cernebantur.

Alia erat scena D. Christophori viam praecludens, Rudolfi Austriaci exhibens historiam, eiusq; pietatem erga venerabile Sacramentum, cum muliere anachoreta eius magnitudinem vaticinante: super caput Rudolfi Aquila volabat, diadema Caesareum vnguibus tenens, legebatur vtrobique:

PIETATIS PROEMIVM: &, PIETAS HOMINI TVTISSIMA VIRTVS.

Summo fastigio haec carmina sunt affixa:

Qui faict honneur à Dieu, il en reçoit salaire:
Rodolfe en est tesmoing tige de nœuf Cesars,
Qui venant à son Dieu humble seruice faire,
Feit voler son renom de Pieux toutes pars.

Quisquis honore Deum colit, illum praemia cultus
Certa manent, adsit Caesar proteste Rudolfus.
Ipse ministerio Dominum veneratus, habere
Caesareum meruit diadema, piusq; vocari.

Rem

Rem gestam iuuentus collegij Patrum societatis IESV tali dramate edidit, luculento apparatu: Rudolfus ille præ reuerentia Sacramenti equo desiliens, sacerdotem vix labore leuauit, quod in scena narratum. Inde ex Comite Habspurgi creatus Imperator, caput euasit familiæ Austriacæ: filium Albertum matrimonio iunxit Elizabethæ Comitis Tirolensis filiæ. Ducem fecit eum pater, post imperij administratorem: Cæsareum is postea apicem adipiscitur. Rudolfum Imperij insignibus ornatum triginta sex præeunt ephebi honorarij, nobilium, Comitum, ac Ducum Germaniæ stemmata præferentes; faces gestant alij (sub noctem enim in scenam prodierant) alij orbis globum, sceptrum, gladium. Sequuntur septemviri Electores, Ecclesiastici veste serica nigra, seculares coccinea cum epomide pectora & ceruices ambiente, pellibus suffulta, quas armelinas vocant, ex mustelarum genere. Eodem ornamento pilei duplicabantur vesti concolores. Bellum gerit Cæsar cum Ottocaro Bohemiæ rege, quod inito fœdere, ac hoste ad pedes Cæsaris prouoluto, & ab vtroque exercitu deriso tandem conquieuit. Cuius ignominiæ recordatio post aliquot annos noui belli concitauit incendia, Ottocarus victus cadit, Germania, Austria, Bohemia suas questę ruinas, Spem & Pacem obuias sibi habent. Pax iis regnis se non excessuram spondet, si Mainhardi filiam Albertus ducat vxorem. Stant pacta nuptiarum, & pax firmatur. Scenâ penè vltimâ Austria iam pacata Belgicam accedit & solatur, Principúmque Alberti & Isabellæ ope & connubio aurea secula promittit. Hoc votis à Deo supplices deprecantur. Actores fuerunt adolescentes lectissimi ex flore Belgicæ iuuentutis. Sed Principes vlteriùs pergentes comitemur.

In ponte Scarpus fluuius iuncis coronatus pisci inequitabat, atque ex vrna aquam effundebat, adnatantibus Nereidibus, asscriptum singulis suum erat nomen:

SCARPVS PATER: NYMPHÆ SCARPIADES.

Hæ dulcibus modulis decantabant hunc psalmi versum:

ELEVAVERVNT FLVMINA DOMINE, ELEVAVERVNT
FLVMINA VOCEM SVAM, ELEVAVERVNT FLVMINA
FLVCTVS SVOS A VOCIBVS AQVARVM MVLTARVM.

Nec deerat nauigium rudentibus, velis & aplustribus instructum, cum insignibus Duacensibus, asscriptíque versus:

Viuez Princes heureux, & soubs vostre asseurance
L'Escarpe puisse auoir son ordinaire cours,
Et que de vos nepueux puissiez voir la naissance
Croistre ainsy que ces flots renouuellent tousiours.

Viuite felices, & vestro munere Scarpus
Continuet solitasq́ vias veteresq́ meatus;
Vestraq́ progenies velut vnda superuenit vnda
Duret, & in longos regnet feliciter annos.

Ante ædes S. Vedasti Principum palatium, duo templa ponebantur elegantia & sublimia Virtutis & Nobilitatis, quæ vno tantùm constabant vestibulo. Templo Virtutis præfigitur Hercules, & inscriptio:

VIRTVTE CLARVM.

Nobilitati sacra ædes deam habebat cum diadematis & monilibus depictam, & hæc verba: EVGENIÆ SACRVM.

Inter vtrumque templum stabat hic versuum quaternio:

Princes voicy l'huissier du temple de vertu
Qui ouure son portail, & la noble deesse

Albertumq́, Duces, sed iunxit vtrique sororem
Quam summo colit affectu; quanam illa? bonorum
Ingentem cumulum pandens Academia cunctis.

Inferius hos rhythmos lector obseruabat:

Vous serez (pair sans pair) nostre croupe iumelle,
Voz Altesses seront Parnasse & Helicon,
Le grand Albert sera nostre grand Apollon,
La premiere des sœurs sera son Isabelle.

Nostre inuocation le nom de luy & d'elle,
Leur gloire, leur grandeur, nostre double surgeon,
Et celuy d'Aganippe, & cil du cauallon,
Ou nous retrouuerons vne source immortelle.

Les palmes, les trophez de leurs tiges guerriers,
Espars de toutes parts ce seront nos lauriers,
Leur faueur ce sera la fureur & la flamme
Qui eprend & aprend les grands esprits epris,
Qui haulcera noz cœurs, noz cris, & noz escritz,
Pour chanter Monseigneur & l'honneur de Madame.

Ad nos Aonij migrarunt omine montes
Insolito, Dux est nobis Albertus Apollo,
Ipsa nouenarum prima est Isabella sororum.
Carminibus nostris in vota vocamus vtrumque;
Illorum decus & laudes Aganippidos vnda
Sunt instar, pariterq́, fluunt de fonte perenni.
Erectum domito nobis ex hoste trophæum
Laurus erit, qua fatidico præcordia motu
Afficiet, cantusq́, sacros in mente ciebit,
Vt geminis meritos Ducibus celebremus honores.

Ab altera parte mons biceps Parnassus cum fonte caballino & nouem sororibus, quas ducebat Apollo citharam pulsans venustè cernebantur.

Alia erat scena D. Christophori viam præcludens, Rudolfi Austriaci exhibens historiam, eiusq; pietatem erga venerabile Sacramentum, cum muliere anachoreta eius magnitudinem vaticinante: super caput Rudolfi Aquila volabat, diadema Cæsareum vnguibus tenens, legebatur vtrobique:

PIETATIS PROEMIVM: &, PIETAS HOMINI TVTISSIMA VIRTVS.

Summo fastigio hæc carmina sunt affixa:

Qui faict honneur à Dieu, il en reçoit salaire:
Rodolfe en est tesmoing tige de neuf Cesars,
Qui venant à son Dieu humble seruice faire,
Feit voler son renom de Pieux toutes pars.

Quisquis honore Deum colit, illum præmia cultus
Certa manent, adsit Cæsar pro teste Rudolfus.
Ipse ministerio Dominum veneratus, habere
Cæsareum meruit diadema, piusq́, vocari.

Rem

Rem gestam Iuuentus collegij Patrum societatis IESV tali dramate edidit, luculento apparatu: Rudolfus ille præ reuerentia Sacramenti equo desiliens, sacerdotem vix labore leuauit, quod in scena narratum. Inde ex Comite Habspurgi creatus Imperator, caput euasit familiæ Austriacæ: filium Albertum matrimonio iunxit Elizabethæ Comitis Tirolensis filiæ. Ducem fecit eum pater, post imperij administratorem: Cæsareum is postea apicem adipiscitur. Rudolfum Imperij insignibus ornatum triginta sex præeunt ephebi honorarij, nobilium, Comitum, ac Ducum Germaniæ stemmata præferentes; faces gestant alij (sub noctem enim in scenam prodierant) alij orbis globum, sceptrum, gladium. Sequuntur septemviri Electores, Ecclesiastici veste serica nigra, seculares coccinea cum epomide pectora & ceruices ambiente, pellibus suffulta, quas armelinas vocant, ex mustelarum genere. Eodem ornamento pilei duplicabantur vesti concolores. Bellum gerit Cæsar cum Ottocaro Bohemiæ rege, quod inito fœdere, ac hoste ad pedes Cæsaris prouoluto, & ab vtroque exercitu deriso tandem conquieuit. Cuius ignominiæ recordatio post aliquot annos noui belli concitauit incendia, Ottocarus victus cadit, Germania, Austria, Bohemia suas questę ruinas, Spem & Pacem obuias sibi habent. Pax iis regnis se non excessuram spondet, si Mainhardi filiam Albertus ducat vxorem. Stant pacta nuptiarum, & pax firmatur. Scenâ penè vltimâ Austria iam pacata Belgicam accedit & solatur, Principúmque Alberti & Isabellæ ope & connubio aurea secula promittit. Hoc votis à Deo supplices deprecantur. Actores fuerunt adolescentes lectissimi ex flore Belgicæ iuuentutis. Sed Principes vlteriùs pergentes comitemur.

In ponte Scarpus fluuius iuncis coronatus pisci inequitabat, atque ex vrna aquam effundebat, adnatantibus Nereidibus, asscriptum singulis suum erat nomen:

SCARPVS PATER: NYMPHÆ SCARPIADES.

Hæ dulcibus modulis decantabant hunc psalmi versum:

ELEVAVERVNT FLVMINA DOMINE, ELEVAVERVNT
FLVMINA VOCEM SVAM, ELEVAVERVNT FLVMINA
FLVCTVS SVOS A VOCIBVS AQVARVM MVLTARVM.

Nec deerat nauigium rudentibus, velis & aplustribus instructum, cum insignibus Duacensibus, asscriptíque versus:

Viuez Princes heureux, & soubs vostre asseurance
L'Escarpe puisse auoir son ordinaire cours,
Et que de vos nepueux puissiez voir la naissance
Croistre ainsy que ces flots renouuellent tousiours.

Viuite felices, & vestro munere Scarpus
Continuet solitasq́ vias veteresq́ meatus;
Vestraq́ progenies velut vnda superuenit vnda
Duret, & in longos regnet feliciter annos.

Ante ædes S. Vedasti Principum palatium, duo templa ponebantur elegantia & sublimia Virtutis & Nobilitatis, quæ vno tantùm constabant vestibulo. Templo Virtutis præfigitur Hercules, & inscriptio:

VIRTVTE CLARVM.

Nobilitati sacra ædes deam habebat cum diadematis & monilibus depictam, & hæc verba: EVGENIÆ SACRVM.

Inter vtrumque templum stabat hic versuum quaternio:

Princes voicy l'huissier du temple de vertu
Qui ouure son portail, & la noble deesse

Ll 2 *Qui*

Qui monstre que (le vice à voz piedz abbatu)
Voz noms sont appenduz au temple de noblesse.

Cernitis æditum templi virtutis amicis
Ostia pandentem Ducibus, Dea monstrat ibidem
Archiducum celebri pendentia nomina templo,
Inter & illustres latè radiantia cœtus.

Infra ad templi basim hi versus exarati:

Grands Princes la vertu qui est vostre fourriere
A marqué le logis de vostre honneur paré,
Au milieu du sainct temple à Noblesse sacré
Ou faict la vertu seule ouuerture premiere.

Le bonheur suyt chambrier vostre Royal arroy
Et si (Pair non pareil) n'aspirez à l'Empire,
L'Empire souspirant y espere & aspire,
Et rien moins ne promect que de Cæsar ou Roy.

Hospitium virtus vobis designat Honoris
Æde, Duces, media, quam possidet inclyta sedem
Nobilitas, eadem pandit sacra limina Virtus.
Prosperitas famulo ceu fida pedissequa passu
Ponè subit, si non ambis virtutis honores,
Imperium te, magne Ducum, te prensat & ambit
Cæsareum, aut regale tibi diadema reseruat.

Per forum deinde ad D. Petri ædem, vbi canticum laudis gratiarumque actionis decantatur, pergunt. In templi ingressu Præpositus Ecclesiæ D. Estius orationem habuit gratulatoriam officiis obsequiisque plenam. Hinc ad palatium pertexerunt, vnde postridie digressi non fuere. Actiunculam, quam dedit studiosa sub Patribus Societatis iuuentus, præclara Principum Austriotum facta referentem, præsentiâ suâ cohonestarunt, publicè posteà actam. Pridie Id. Februarias ad S. Amati templum fuit itum, ac sacro celebrato, habitaque à Decano oratione, reliquias sacras reuerenter visitarunt. Inde ad forum & theatrum sunt progressi: vbi sedentes sub aurea vmbella Archiduces accessit Præses Richardottus, sumtóque argumento à conspecta inscriptione; FIDE ET RELIGIONE INTEMERATA, ad perseuerandum Duacenses admonuit. Tum lecta à Consiliario Brodeo sacramenti formula, quæ talis est:

NOS ALBERTVS ET ISABELLA, CLARA, EVGENIA, Dei gratia Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ & Brabantiæ: nos scilicet Archidux tanquam maritus & tutor Infantis Serenissimæ, & nos Infans tanquam Domina & Princeps proprietaria prædictarum Regionum: promittimus & iuramus per hæc sancta Euangelia; quòd obseruabimus & tenebimus priuilegia, libertates, vsus, bonasque & laudabiles consuetudines ciuitatis Duacensis, sicut maiores nostri Comites Flandriæ olim fecerunt: ita nos Deus &c.

Principes manibus ad sacrosancta Euangelia appositis, sic iurarunt. Idem à Senatu populóque Duacensi fuit præstitum, prælecto per eundem Consiliarium iureiurando.

In fidei testimonium Magistratus suo ordine ad Principes accessit & officiosè eosdem salutauit. Acclamatum deinde à populi multitudine, missiles numi populo sparsi, tres Senatores inter equites lecti. A meridie orationi panegyricæ interfuerunt, & Theologicæ disputationi, theses distributæ, chirothecæ datæ, quas etiam Celsitudines acceptas habue-

habuerunt. Sub vesperum admissus iterum magistratus, vt munus duorum ex auro solidorum craterum offerret, in quorum vno tribus Imperatoribus posterioribus in medio est asscriptum:

ALBERTO ARCHIDVCI IMPP. AA. NEPOTI,
FILIO, FRATRI S. P. Q. D. FIDEM VOVEBAT
ET OBSEQVIVM.

Opertorio insculpta hæc verba legebantur:

ARCHIDVCIBVS AVSTRIACIS COMITIBVS FLANDRIÆ
PRINCIPIBVS SVIS CLEMENTISSIMIS S. P. Q. D.
AVRVM CORONARIVM.

In altero tres diui cognomine Infantis cælati continentur, & hæc verba:

ISABELLÆ, CLARÆ, EVGENIÆ, HISPAN.
INFANTI, COMITI FLANDRIÆ S. P. Q. D.
FIDEM VOVEBAT ET OBSEQVIVM.

Addebat Brodeus hunc esse Duacensis deuotionis arrhabonem, gratum eum esse orat, nec censeri Principum magnitudine, sed instar ipsius Dei animum spectari. Excusabat deinde Duacensium tenuitatem, fide & obsequio nemini cedentium.

ATREBATVM.

Idibus Februarij cùm suæ Celsitudines Duaco discessissent vt Atrebati solemnem introitum celebrarent, post meridiem in Prioratu diui Michaëlis primùm descenderunt. Obuiam est itum per Reuerendissimum Episcopum Atrebatensem & Comitem Barlaymontium, prouinciæ præfectum cum virorum genere, aliísque ornamentis illustrium & clarorum sequela. Ordinum Artesiorum nomine Prelati & Canonici, nobiles, vrbiúmq; delegati numero viginti, cum vrbi præfecto D. de Marles, eiúsq; vicario D. de VVendin, & eiusdem præfecturæ officiariis, Maior, Senatores, Consiliarius, procurator, actuarius, & argentarius togis ex raso & serico damasceno nigro amicti, equis instratis: quatuor item fabrorum præfecti eorumque scriba togis sericis, sex viatores rhabdophori rubris nigrísque multitiis amicti accesserunt. Vrbis præterea sacramento astricti arcubalistarij, sagitrarij, sclopetarij, & dimicatores obuiam iuerunt. Quinque ciuium cohortes, quæ viros mille delectos complectuntur, cum D. de Sealez chiliarcha, Alardo de Formentraus ordinum duce, Antonio de Crepieux cui dextræ alæ custodia demandatur, Petro Lombardo cui sinistræ, in aciem processerunt, armorúmque displosorum sonitu vehementi Principes salutarunt: Magistratus ad eum locum peruenit vbi sacellum erat erectum formâ quadrangulâ, columnis quatuor Corinthiis fultum, ascensus quatuor gradibus constabat; opus in morem conopei tegebatur: Sedes binæ ibi erant collocatæ ex rubro holoserico, instratúmque similiter scamnum. Aduentantibus Principibus Ordines & Senatus equis descendentes, per Comitem Barlaymontium fuerunt exhibiti, ipsi consederunt vt Infans serenissima dextrum latus stringeret. Tum accedens Consiliarius his verbis Principes allocutus est:

Maior & Senatus ciuitatis vestræ Atrebatensis vniuersitatem eiusdem referentes, subditi vestri deuotissimi hîc se ad pedes vestros prosternunt, honorem & obsequium submissione animi qua possunt deferentes; ac felices beatósque sese existimantes quòd vestro se subiici imperio contigerit, quos vt protegatis enixè vos orant. Cumque inter perlustrandum metropoles vestras vrbes, hanc Atrebatensem vobis placuit inuisere, pectora subditorum accipite, possidete, qui sanguinis profusione animi deuotionem pro obsequio vestro testatam facere cupiunt. Multis igitur annis regnate feliciter, & propitio vobis Deo. Sed vt Atrebatum Artesiæ metropolim monarchæ & Principes Austriaci ab æuo priuilegiis & exemtionibus quibusdam decorarunt in fidei præstitæ testimonium, vos eadem vt maiorum vestrorum successores seruaturos confidunt. Quæ si ab origine inuestigare lubet cur hic populus in tantam coaluerit multitudinem, causam eam fuisse præcipuam comperiemus. In eo consistit Principum magnitudo, vrbibúsque & opidis hominum frequentia ornatis, & celebribus ad communem omnium conseruationem summopere conducit. Itaque indulserunt & auxerunt priuilegia, & iureiurando eadem confirmarunt maiores vestri & parentes. Hoc optimi ciues deuotíque subditi vos hodie facturos in hac soléni inauguratione sperant, paternique exempli imitatores fore, atque vt hoc faciatis etiam atque etiam rogant.

Non temere mentionem de exemtionibus ab æuo concessis fecit Consiliarius, etenim cùm historias diligenter euoluimus, Iulium Cæsarem suscepta in Belgas expeditione, Comium Atrebatibus regem constituisse gentis eius Principem, cuius & virtutem & consilium præbebat, in eius commentariis belli Gallici deprehendimus. Huius Comij opera, sicut ipse Cæsar lib. 7. testatur, fideli & vtili superioribus annis ita vsus fuerat, vt pro illis meritis ciuitatem eius immunem esse iusserit, iura legésque reddiderit, ipsisque Atrebatibus Morinos attribuerit. Nunc has immunitates maiorum suorum meritis

conceſſas, ſua quoque fide & obſequio retentas ſeruari ſibi poſtulant. Hoc gens bellicoſiſſima à Romanis legionibus in ſocietatem ob armorum peritiā aſcita, à ſuis Principibus ceteroqui clementiſſimis indultum ſibi iri, vt flagitat, ſic confidit.

Principes deinde prælectum à Conſiliario iuſiurandum præſtiterunt. Maior claues obtulit, ipſe ac magiſtratus ſimiliter Principibus iuſiurandum dixit. Quo facto equos Principes conſcenderunt ac reliquus comitatus, & porta D. Nicolai vrbem ingreſſi ſunt. In cuius faſtigio duo leones inaurati inſignia ſuarum Celſitudinum tenebant, auletæ & cornicines ibidem conſiſtebant iucundè modulantes. Sex Senatores togis damaſcenis ſub vmbella ex eadem materia, ſed coloris cærulei, fimbriis argenteis, ipſos excipiunt. Ordo Eccleſiaſticus huc vſque proceſſit cum ciuibus viginti quatuor honeſtiſſimis funalia geſtantibus. Occurrit primùm elegans pegma triginta pedes latum, altum quadraginta, cum triplici frontiſpicio: vbi dramatis perſonæ ſeptem ciuitates Arteſię præcipuas cum inſignibus referebant, ſingulari ornatu & amictu conſpicuæ. Conſiſtebant hoc ordine, Bapalma, Atia, Audomarum, Atrebatum, Bethunia, Lenſia. Heſdinum. Aderat Atrebato virguncula cor manu prætendens, hic actus verſu frontiſpicio affixo, ita explicatur:

Ecce cor Arteſia quiduis præſtare paratum,
Seu toga, ſeu Mauors rurſus ad arma vocet.

Lateri dextro hæc affixa erant carmina ad maiorem ſcenæ elucidationem:

Fertilis Arteſia præſto ſunt opida ſeptem:
Scilicet Atrebatum prænobile Marte togaq́,
Hinc Audomarum portuq́, mariq́, ſuperbum,
Tum Cereris pleno locuples Bethunia cornu.
Aria tuta ſitu Morinis Liſaq́, celebris,
Lenſia finitimis laudata feracibus aruis,
Et Bapalma ferox iam formidabilis hoſti
Hic ſtat, & Heſdinum non expugnabile bello.

Appoſiti & lateri ſiniſtro hi verſus:

Vos ô Archiduces, hæc opida Martia ſeptem
Arteſia prono pariter venerantur honore,
Non minus aduerſis quàm rebus fida ſecundis:
Obſequium ſimul omne vouent, ſtudiumq́, fidemq́,
Atque ſuas vires & opes in vtrumque paratas.
Nam pax quando viget, reliquis ſunt horrea Belgis,
Aſt vbi bella fremunt, & finibus ingruit hoſtis,
Pro clypeo Flandræ ſunt & pro montibus oræ.

Ad ingreſſum parui fori arcus erat triumphalis duabus nixus columnis Corinthiis, pedes latus viginti quinque cum ſuo frontiſpicio, altus triginta & octo. Suarum Celſitudinum effigies hîc ſtabant habitu ducali, ille cum gladio, hæc cum ſceptro, & ſtemmata gentilitia. Inſcriptio erat Gallica huius ſignificati:

O Princes ſouuerains Albert & Iſabelle,
Afin que ce fort arc voué par les marchans
Remarque plus long temps voſtre gloire immortelle,
Faictes durer la paix de ce iour en mille ans.

Commoda per totum quærunt qui mercibus orbem,
Hanc vobis, Alberte, ſacrant, Iſabellaq́, molem,

Quæ

Quæ vestros vt perpetuo veneretur honores,
Efficite æternos pax vt perduret in annos.

Postica arcus facies quæ eiusdẽ erat structurę inscriptum habebat huiusmodi versum:

Vostre ville d'Arras, tresnobles Archiducs,
Espere que bien tost l'antique marchandise
Qui la rendoit celebre aux Chrestiens & aux Turcqs
Sera par vos grandeurs en son estat remise.

Atrebates vestris iterum commercia sperant
Auspiciis reparare, Duces, florere per orbem
Terrarum quibus assueti: sic munere vestro
Extollent celebres inter sua nomina gentes.

Ad viæ descensum in platea sanctæ Crucis pegma occurrebat permagnum & elegans, quadraginta pedes latum, cum triplici tabernaculo, ad pedes quinquaginta & duos assurgens, quotum medium viginti pedibus est latum, altum octodecim: personæ sunt Christus & Ecclesia cum hæresi ligata & pedibus protrita, cui assectæ astabant, triumphabat de illa suo habitu Belgica, hoc versus asscripti lectori indicabant:

Illa ego quæ tantis fueram excruciata procellis,
Austria me tandem puram sanctamq; tuetur.

In summo fastigio virtutes duæ pictæ typum sustinentes pietatis Alberti & Isabellæ. Aliis tabernaculis ibidem lateralibus inscriptum ita erat:

MEMORIÆ ÆTERNÆ INVICTISSIMORVM PRINCIPVM
DE MERA RELIGIONE TRIVMPHANTIVM.

Vitisator Noë & promissionis terra in minoribus scenis ad huius theatri auctores pertinebat, ad Principes inscriptio:

VINEA AVSTRIÆ FRVCTIFERA, FRVCTVS AVSTRIÆ
SALVBERRIMVS.

Scena viam, quæ ad D. Vedastum ducit commodè muniebat, ibíque exhibebatur Cæsar Rudolfus, Rex Hispaniarum, & Archidux Albertus, qui à duobus videbatur inuitari ad capiendum diadema mensæ impositũ, hoc fiebat manifestius carmine præfixo:

Imperium tenuit tercentum circiter annis
Austria, Cæsar habet decimus iam sceptra Rudolfus,
Qui diadema tibi, Princeps Alberte, dicauit:
Quod defendet Iber, qui tecum diuidet orbem.
Scilicet Hesperias dominabitur ille per oras,
At tu Teutonicas Cæsar moderabere terras.

In altera tabula ad eundem ferè sensum tendebant hi versus:

Hoc decus exoptat Princeps Isabella marito:
Hoc, Alberte, tibi genitrix ter magna precatur,
Proles, & coniux & Cæsaris inclyta mater.
Te quoque pro domino proceres sibi Teutones optant,
Et tibi Roma libens aquilæ concedet honores,
Quos modò frater habet, quos gessit auusq; parensq;.

Hoc cacumen gloriæ summum Artesij præsagiunt, his scilicet versibus:

Atrebates, Alberte, tibi non irrita dicunt

Omina:

Omina: ſupremo dignum te culmine cenſent,
Belgica Germanis vt iuncta phalangibus arma,
Te duce deuictum ſpolient diademate Turcam.
Quis ſcit an hanc laudem tibi fata futura reſeruent,
Rurſus vt Imperium iungat Iouis ales vtrumque?

Vicina huic ſcenæ tranſitum dabat porta, vt totum opus in ſexaginta protenderetur pedes. Affixa faſtigio ſcenæ erat aquila, portæ victoria. Conſtruxerant & aurifabri pegma ad plateam à triformi dictam facie, triginta duobus pedibus latum, ſublime quinque & quadraginta: hiſtoriam referebat ardentis & inextinguibilis cerei, qui apud Atrebates & quoſuis ſpectatores habetur pro miraculo. In ſummo faſtigio D. Eligius, illorum tutelaris qui opera ſua ad ignem elaborant. Ad rem elucidandam hæc carmina pertinebant:

Cereus eſt Atrebas, quo non illuſtrior alter
Ardet, & abſumi non tamen igne poteſt.
Haud ſecus Auſtriacæ clariſſima gloria gentis
Atteritur, nullis obruiturq́ue malis.

Egregia erat Arteſiæ Comitum centum & quinque pedum porticus ſeu pegma venuſtiſſimum; hîc Principes ſeptemdecim repræſentabantur à Roberto primo S. Ludouici Gallorũ regis fratre, vſque ad sereniſſimos noſtros Archiduces, hac ſerie & proſopopeia:

ROBERT PREMIER COMTE D'ARTHOIS,
FRERE DV ROY S. LOYS.

Premiers fleurons de lys dont mes armes i'honore,
C'eſt pour voſtre querelle, & pour la foy encore,
Qu'en l'auril de mes ans la France ay meſpriſé,
Qu'ay paſſé en Egypte, & d'horrible carnage
I'ay faict rougir du Nil l'enſanglanté riuage,
Y rendant par ma mort mon nom eterniſé.

ROBERTVS PRIMVS S. LVDOVICI GALLORVM
REGIS FRATER.

Lilia prima meis fulgent quæ ſymbola ſignis
Cauſa fidesq́ue fuit, primæ cur flore iuuentæ
E patria Pharias irem bellator in oras,
Et ſeptemgemino denſarem funera Nilo,
Nomen & æternis mutarem morte trophæis.

ROBERT DICT ILLVSTRE II. COMTE
D'ARTHOIS.

Qui plus braue que moy vainqueur ſe pourroit rendre
En Nauarre, Aquitaine, en Calabre & en Flandre,
Et de lauriers egaux ſa teſte couronner?
Le ciel deſſoubz le fer illuſtre m'a faict naiſtre,
Soubz le fer ma ieuneſſe inuincible paroiſtre,
Et ſoubz le fer encor ma vie terminer.

ROBERTVS ILLVSTRIS COMES ARTESIÆ.

Nemo armis queat illuſtres æquare triumphos,
Nec ſua victrici præcingere tempora lauro,

Sicut Aquitana, Calabra, & de gente Nauarra
Et Flandro pugnace tuli, ferroq́ iuuentus
Trita fuit, mors est eadem ceu ferrea vita.

MEHAVLT FEMME D'OTHON COMTE DE BOVRGOIGNE. III. COMTESSE D'ARTHOIS.

Temeraire nepueu pensois tu qu'vne vefue
Si constante eut fleschy à l'aspect de ton glaiue,
Que pour taindre en son sang tu auois aceré?
Non, non, car aux desseins de ta bruslante enuie
Dans leur premier berceau i'ay faict perdre la vie,
Et d'vne heureuse paix ceste Gaule asseuré.

MATHILDIS OTHONIS BVRGVNDIÆ COMITIS VXOR, COMES ARTESIÆ.

Vane nepos, viduam gladij formidine terres
Constantem, ferrumq́ paras in viscera strictum?
Non ita, nam primis ardorem protinus annis
Restinxi, vt paruas habeant incendia vires,
Et fixi certam nostra in regione quietem.

IEHENNE DE BOVRGOIGNE FEMME DE PHILIPPE LE LONG ROY DE FRANCE, IV. COMTESSE D'ARTHOIS.

Je venois establir a la deesse Astrée
Vn seiour eternel dedens ceste contrée,
Pour la combler de l'heur d'vn fortuné repos:
Mais Clothon aussy tost l'iniuste filandiere
Me voyant en chemin, fit à sa seur meurtriere
Jmplacable trancher sa trame & mon propos.

IOANNA BVRGVNDA, PHILIPPI LONGI GALLORVM REGIS VXOR, COMES ARTESIÆ.

Æternam Astrææ meditabar ponere sedem
His secura locis, eadem qua degere posset.
Accinctamq́ videns inuidit ferrea Clotho,
Et sua lanificam præcidere stamina fecit
Germanam, finemq́ meis imponere cœptis.

IEHENNE DE FRANCE FEMME D'OTHON DVC DE BOVRGOIGNE. V. COMTESSE D'ARTHOIS.

Soubz moy Robert d'Arthois rauiue sa querelle,
L'Anglois le suit de prez que la trace cruelle
Rend contre mon estat chauldement allumé:
Je romps les coups de l'vn & la poursuite folle,
Mais ie vois non sans pleurs (regret qui me desole)
Du cousteau estranger mon pays entamé.

IOANNA FRANCICA OTHONIS BVRGVNDIÆ DVCIS CONIVX, COMES ARTESIÆ.

Suscitat iratus sub me quæ iura Robertus
Vrget in Artesios, animo flagrante Britannus
Hunc sequitur, bello ditionem incendit vterque.
Viribus alterius constanti mente resisto,
Cum lacrymis tamen externus me verberat ensis.

PHILIPPE DE BOVRGOIGNE FILZ DE PHILIPPE ET DE IEHENNE COMTESSE DE BOVLOIGNE, VI. COMTE D'ARTHOIS.

Si comme mes ayeulx ie n'ay graué ma gloire
En l'airain le plus dur du temple de memoire,
Et consacré mon nom à l'immortalité;
Il en fault accuser la fatale influence,
Soubz laquelle le ciel m'a faict prendre naissance,
Ayant d'vn cours si bref ma vie limité.

PHILIPPVS BVRGVNDVS FILIVS PHILIPPI ET IOANNÆ COMITIS GALLIÆ, BONONIÆ, SIVE GESSORIACI, COMES ARTESIÆ.

Quòd minus obtigerit maiorum more perennis
Gloria, quòd memori non sim victurus in æuo,
Non mihi sed fato culpa est tribuenda sinistro,
Munere cælestes cuius producor in auras,
Sed tener in primis carpor ceu flosculus annis.

MARGVERITE DE FRANCE FILLE DE PHILIPPE LE LONG. VII. COMTESSE D'ARTHOIS.

I'ay veu vefue Phebus trente & six fois diuerse
Tournoyer, biaisant l'escharpe qui trauerse
Les cloux diamantez du doré firmament,
Cependant i'ay chery le droict & la iustice,
I'ay restably les loix, & remis la police,
Seruant d'amour aux bons, aux meschans de tourment.

MARGARITA GALLICA PHILIPPI LONGI FILIA, COMES ARTESIÆ.

Triginta viduas & sex sine coniuge dulci
Æstates vidi reduces, at semper amaui
Iustitiam, leges colui, sanctiq; Senatus
Restitui decreta, bonis pietatis asylum,
At tormenta manent ob noxia crimina sontes.

LOYS DE FLANDRES DICT DE MALE.
VIII. COMTE D'ARTHOIS.

Je reioings à l'Arthois la Flandre separée,
Qu'vn diuorce de loix a tenu esgarée,
Deux siecles tous entiers soubz des Princes diuers.
Son peuple reuolté faict teste à mes gendarmes,
Je range le Brabant par l'effort de mes armes,
Puis forcé d'vn meutrier ie quicte l'vniuers.

LVDOVICVS MALANVS COMES FLANDRIÆ
ET ARTESIÆ.

Atrebates Flandriq. meis iunguntur eodem
Auspiciis titulo per secula bina dirempti,
Diuersis & principibus parere coacti:
Imperiumq. meum cognouit & arma Britannus,
Dum mea transadigit funestus viscera mucro.

MARGVERITE DE MALE FEMME DE PHILIPPE
LE HARDY DVC DE BOVRGOIGNE.
IX. COMTESSE D'ARTHOIS.

Le sacre-sainct lien d'vn Hymen agreable
Me couple auec vn Duc hardy & redoubtable,
Ioindant Bourgoigne ensemble à la Flandre & l'Arthois,
Arthois qui soubz mon regne & d'vn si sage Prince,
N'a veu d'vn fer guerrier funester sa prouince,
Ains paisible iouyr de ses paisibles loix.

MARGARITA MALANA PHILIPPI AVDACIS
BVRGVNDIÆ DVCIS VXOR,
COMES ARTESIÆ.

Blandus Hymen thalamo sociam me Principis esse
Fecit, habet factis nomen qui fortibus æquum.
Artesios Flandris, Burgundos iunxit iisdem:
Sed non Atrebates nostro vis Martia regno
Excitat, at sacris in legibus otia ducunt.

IEAN DVC DE BOVRGOIGNE DICT INTREPIDE.
X. COMTE D'ARTHOIS.

Endosser la cuirasse au sortir de l'enfance,
Combatre Baiazet, faire teste à la France,
Qui promettoit Arras vn trophé se dresser,
Seize mille guerriers renger contre cincquante,
Les vaincre, & enrougir la Meuze tout sanglante,
Aultre qu'vn Intrepide oseroit le penser?

IOANNES INTREPIDVS DVX BVRGVNDIÆ,
COMES ARTESIÆ.

A pueris gestare sagum gladiumq. virilem,

Ductori

Ductori Ismario, fortiq; resistere Gallo
(Imparibus qui pugnantes superare fatigat
Viribus Atrebates, sed vincitur ipse) quis ausit
Intrepidum prater, vel sanguine tingere Mosam?

PHILIPPE DVC DE BOVRGOIGNE DICT LE BON. XI. COMTE D'ARTHOIS.

Ce m'est beaucoup de gloire & non pas vitupere,
Si i'ay, cherchant l'autheur du meurtre de mon pere,
La France ensanglanté de mon glaiue vangeur,
Si i'ay nouueau Iason rendu deshonnorée
Encore la Colchos de sa toison dorée,
Et l'offert aux plus grands pour la marque d'honneur.

PHILIPPVS BONVS DVX BVRGVNDIÆ, COMES ARTESIÆ.

Ad decus accedit, non ad conuitia, cadis
Auctorem iustus patria si persequor vltor,
Gallia si fuso rubeat madefacta cruore.
Et nouus Æsonides Phryxeo vellere Colchos
Priuaui, vt meritis conferrem pramia summis.

CHARLES DVC DE BOVRGOIGNE DICT LE GVERRIER. XII. COMTE D'ARTHOIS.

Desseins ambitieux dont i'ay l'ame remplie,
Si les ialoux efforts de fortune ennemie
N'eussent point empesché voz progres valeureux:
Vous eußiez, triumphans sans doubte peu emprendre
D'egaler mes lauriers aux palmes d'Alexandre,
Et affranchir mon nom du tombeau malheureux.

CAROLVS BELLICOSVS DVX BVRGVNDIÆ, COMES ARTESIÆ.

Æmula cœptorum si non fortuna meorum
Progressum, medio sistens conamina cursu
Maxima, turbasset, poterant aquare triumphos
Pelleus domito quos egit ductor in orbe,
Feralíque meum nomen subducere busto.

MARIE DE BOVRGOIGNE FEMME DE L'EMPEREVR MAXIMILIEN ARCHIDVC D'AVSTRICE, XIII. COMTESSE D'ARTHOIS.

Je m'allie à vn Prince ainçois à vn Auguste,
Dont la guerriere main inuincible & robuste
At vaillamment acquis cent trophés glorieux,
La Bourgoigne & l'Arthois rengez soubz la puissance,
Du gendarme Francois en rendront asseurance,
Et Guinegate encore, ou fut victorieux.

MARIA BVRGVNDA MAXIMILIANI AVSTRIACI AVGVSTI VXOR, COMES ARTESIÆ.

Augusto socior, cuius bello inclyta virtus
Emicat in victo centenis hoste trophæis.
Atrebates & iuncta dabit Burgundia testem
Roboris inuicti, cedit victricibus armis
Gallus, & egregias vires Guinegata fatetur.

PHILIPPE D'AVSTRICE ROY DES ESPAIGNES, XIV. COMTE D'ARTHOIS.

Qui a veu la beauté d'vne naissante rose
Aux rayons du soleil gaillardement eclose
Se pancher tout à coup soubz vn fouldre elancé?
Il m'a veu au milieu du printemps de mon age,
Lors qu'vn beau feu d'honneur attizoit mon courage
Rendre l'aboy dernier par la Parque auancé.

PHILIPPVS PVLCHER AVSTRIACVS REX HISPANIARVM, COMES ARTESIÆ.

Ut rosa qua primo solis se pandit in ortu
Aspectu blandita suo, si fulmen ab alto
Æthere vibratur languentia colla remittit:
Sic ego magnanimos decores flammatus in ignes
Vere mei rapior roseus ceu flosculus aui.

CHARLES D'AVSTRICE V. EMPEREVR ROY DES ESPAIGNES, XV. COMTE D'ARTHOIS.

Inuincible guerrier filz aisné de Bellone
Apres auoir emply ce qu'Europe enuironne,
De l'immortel honneur de mes faictz glorieux,
J'ay maulgré le couroux d'Amphitrite irritee
D'Hercule oultrepassé la colonne plantee,
Pour me rendre en Africque encor victorieux.

CAROLVS QVINTVS AVSTRIACVS IMPERATOR AVGVSTVS REX HISPANIARVM, COMES ARTESIÆ.

Inuictus bellator eram, mihi mater Enyo,
Europam vt factis impleuit gloria magnis,
Inuita Herculeas penetrauit Doride metas,
Vincendum vt Libycis quidquid superesset in oris,
Id me cum reliquo cognosceret orbe subactum.

PHILIPPE D'AVSTRICE ROY DES ESPAIGNES, XVI. COMTE D'ARTHOIS.

Pendant que iusqu'au lict de la perleuse aurore
Qui le riuage Indois du premier iour honore,
Ie voys plantant vainqueur mes bouffans estandars:

Vn feu

Vn feu seditieux toute ma Belge enflamme,
Belge que doibt regir le doux frein d'vne dame,
Et non le fer sanglant des nourissons de Mars.

PHILIPPVS AVSTRIACVS HISPANIARVM INDIARVMQVE REX, COMES ARTESIÆ.

Signa coloratos dum nostra locamus ad Indos,
Traiectoq; nouos producimus æquore fasces
Auroræ ad thalamum, feruent incendia Belgis
Seditiosa meis, quos flectere femina molli
Debuit imperio, rigidi non Martis alumnus.

ELISABETH, CLARA, EVGENIA, INFANTE DES ESPAIGNES, ARCHIDVCESSE D'AVSTRICE, DVCESSE DE BOVRGOIGNE, ET PRINCESSE DES PAYS BAS, XVII. COMTESSE D'ARTHOIS.

C'est pour toy que ie viens Hollande bien aymee
Les palmes en la main dissiper la fumee
Que tu vas exhalant de ton cœur factieux,
Ie n'ay point vn esprit desireux de vengeance,
L'amour rit sur mes yeux, sur mon front la clemence,
Si tu es sage, accepte vn offre gracieux.

ISABELLA, CLARA, EVGENIA, HISPANIARVM INFANS, ARCHIDVX AVSTRIÆ, DVX BVRGVNDIÆ, ET BELGII PRINCEPS, COMES ARTESIÆ.

Ad vestros venio, Bataui, tranquilla penates,
Discutiam cerebri palma vt victrice furorem.
Non ego vindictam cupio, sed dulcis amorem
Luminibus Venus afflauit, clementia frontem
Occupat: oblatum prudentes sumite pactum.

ALBERT ARCHIDVC D'AVSTRICE, DVC DE BOVRGOIGNE, PRINCE DES PAYS BAS, XVII. COMTE D'ARTHOIS.

Ie tiens le glaiue en main, ains le tonnereux foudre
Qui ecrazant tes murs les reduisant en pouldre
Ton cœur trop obstiné a puny si souuent,
Il tend à ton malheur du tout ineuitable.
Si pendant que ie suis encore pitoyable,
Mes equitables loix tu ne vas recepuant.

ALBERTVS ARCHIDVX AVSTRIÆ, DVX BVRGVNDIÆ, BELGII PRINCEPS, COMES ARTESIÆ.

Stringo manu gladium, vestros sed fulmina muros
Æquant nostra solo, pœnasq; ob crimina sumunt.
Hæc eadem cladem vobis certumq; minantur
Exitium, si non pietas dum brachia pandit,
Accipitis nostras æquo moderamine leges.

Hi omnes antiquo & ſuo more inſtructi inſignia ſua penes ſe habebant.

Ad S. Quirici viam porta triumphalis inſignis erigitur viginti octo pedes lata, alta quadraginta. In ſecunda eleuatione ingens erat tabula quæ cælo Iuſtitiam per Archiduces reducem exhibebat, vbi ſcriptum erat:

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

In ſummo faſtigio medio loco ſtabat Iuſtitia, hinc præmium, inde pœna accumbebat. Ad primam eleuationem conſiſtebant Lex & Pax. Operis dedicatio hoc modo legebatur:

D. D.
ARCHIDVCIBVS ALBERTO ET ISABELLÆ
AVSPICATO INAVGVRATIS, ATREBATVM
COMITIBVS EXOPTATISSIMIS
S. P. Q. A.
EX VOTO ET DEBITO LVBENS P. P.

Dextro intercolumnio depictus erat Deucalion cum hac ſupra caput inſcriptione:

Quod felix fauſtumq́, ſiet vobis patriaq́,
Belgarum Archiduces gloria & orbis amor.
Vos populus, vos nobilitas, vos Ordo ſalutat
Sacratus, patria voce manuq́, patres.
Aduentu exſultat veſtro, ſupplexq́, precatur,
Vt Deus incolumes ſeruet vtroſque diu.

Sub pedibus eius habebatur exaratum:

SOLA SVPERSTES.

Læuo intercolumnio pictus Ariſtides cum hoc ſcripto:

Exoptata auri nam ſperat ſecula, vobis
Principibusq́, piis, præſidibusq́, diis.
Fallimur? haud vano ſaliunt præcordia motu,
Sacra Dice celſo labitur ecce polo.
Plutus, Amalthaa, & lex & pax diuaq́, felix
It comes, atque triplex Eumenis inde fugit.

Sub pedibus ſcriptum erat:

FELICITAS ALTERA.

Poſterior facies ab anteriori vix differebat, ideoq; hanc deſcribere ſuperuacuum eſt.

Vlterius progreſſis ſcena in conſpectu fuit amœniſſima, triginta pedum latitudinis, quadraginta altitudinis, vbi Pacem oſculatur Iuſtitia: comites habent, Floram, Benignitatem, Concordiam, Libertatem, Tranquillitatem, Cererem, & Plutum: ad pedes iacebant Fames, Diſcordia, Bellum, Inopia, Furiæ ſuo omnes more perſonatæ. Quinque pueri ſymphoniaci his nominibus, Arteſia, Lætitia, Congratulatio, Exſultatio, & Muſica, hos verſus echoinos decantabant:

	Echo.
En Iſabella venit, iam cedent aſpera,	*ſpera.*
Quis nouus hic hominum eſt vndique clamor?	*amor.*
Iura dabit pietas, quid erit gens perfida?	*fida,*
Innocuos ſic fraus pulſa leuabit,	*abit.*
Lex animis viuet non are aut marmore,	*more,*
Aſtraa in terris iam gradieris,	*eris.*

Lata

Læta quies populis an non moriere? orierc,
Omnibus hic viuet dulce leuamen, amen.
Exhilarata nouis Artesia nympha triumphis,
Eugeniæ aduentu Principis obticuit.

Huius carminis auctor est, & quorundam aliorum Maximilianus Vignacurtius, nobilis Atrebas, qui & si minus laudem hinc venetur, nec velut laureolam in mustaceo quærat, non tamen fuit silentio transeundus, præsertim notus & familiaris.

In fastigio pax & iustitia se mutuo complectentes, infra Vulcanus in fabrili officina arma Martia in rustica informabat:

CONFLATIS GLADIIS IN VOMERES, ET LANCEIS IN FALCES.

Paulò inferius hæ notæ legebantur:

TVTO AGER SERITVR AC METITVR.

Ad scenæ angulos hi versus sunt affixi:

Læta quies, Alberte, tuis est parta trophæis:
Libertas, antiqua fides, concordia, rectum
Incrementa dabunt iunctis dotalibus oris,
Aurea sic Belgas duce te moderabitur ætas.

Alterius lateris inscriptio est huiusmodi:

Muneris est, Isabella, tui, quòd diuite censu
Copia pace vigens decorabit frugibus agros:
Iam pax arma premit, mutantur falcibus enses,
Tu populum iussis commissum protege rectis.

Lateralia vtrinque emblemata hinc ex galea alueare suum effecerant apes, eratque asscriptum:

EX BELLO PAX.

Pacis typo in læuo pictæ latere asscriptum legebatur:

PAX VNA INNVMERIS TRIVMPHIS POTIOR.

Operis dedicatio inferius conspicitur:

PACIFICIS AC OPTIMIS AVSTRIÆ ARCHIDVCIBVS
ALBERTO ET ISABELLÆ,
COMITIBVS ARTESIÆ, PACE SANCITA, PVBLICÆ
TRANQVILLITATIS PROVINCIÆ RESTITVTORIBVS
FELICISSIMVM ADVENTVM GRATVLANTES,
POSVERE ATREBATES.

Ante forum piscarium in scena lata pedibus triginta, alta quadraginta vidisses Artesiam in sede collocatam astantibus Marte, Victoria, Fama, Spe, Liberalitate, quibus pace & bello vt plurimum illa viget, asscriptum in summo fastigio fuit:

DOMINVS VIRTVTEM POPVLO SVO DABIT,
DOMINVS BENEDICET POPVLO SVO IN PACE.

Personæ dramatis hos versiculos exhibebant:

ARTESIA:
Dominus custodiat introitum tuum.
MARS.
Mars Albertum armis præficit ipse suis.

VICTORIA:

Dominabitur à mari vsque ad mare suis.

FAMA:

In omnem terram exiuit sonus eorum.

SPES:

Amissos animos spes bona restituet.

CERES:

Perpetuò vernat pacis amica Ceres.

LIBERALITAS:

Pluraq; me socia quàm dabis accipies.

Per fornicem triumphalem via ad ciuitatem ducebat triginta latum pedibus, altum quadraginta comprehenso obelisco.

Lanionum platea pegma exhibebat viginti & octo pedibus latum, sublime quinquaginta, in tres distinctum eleuationes: manna de cælo abundè pluebat, quod secunda eleuatio explicabat:

Manna velut quondam munus cæleste Tonantis
Hebræam sterili gentem satiauit eremo;
Sic & in Artesios delapsum cælitus agros,
Atrebates pauit fruges cum terra negauit.

Personæ in scena erant Ecclesiasticæ, aut illis saltem similes, quę diuinum illud munus colligebant, infra scriptum legebatur hoc modo:

NON FECIT TALITER.

Erexerant item arcum triumphis insignem prope suos limites Reuerendus D. Philippus de Cauerel, electus Abbas S. Vedasti, eiusque religiosi, pedibus latum viginti & octo, altum triginta, cum trium virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis statuis super impositis. Dedicatio in summo erat huiusmodi:

ALBERTO ET ISABELLÆ,
AVSTRIACIS PRINCIPIBVS OPT. SERENISSIMIS.

In zophoro auctores nomen suum inscripserant:

DIVINÆ PROVIDENTIÆ SINGVLARI FAVORE AD AMPLISSIMARVM PROVINCIARVM DOMINIVM VOCATIS: ET QVOD BONVM, FELIX AC FAVSTVM SIT APVD ATREBATES IAM INAVGVRANDIS: QVO FIDEM INCONCVSSAM, SPEM CERTAM, CHARITATEM VERAM IN DEVM, CLERVM, POPVLVMQVE RETINEANT, VOTIS AC PRECIBVS FAVENTES ABB. ET CON. VED. 1600.

Supra D. Vedasti in dextro intercolumnio sacram effigiem sic erat exaratum;

RELIGIONE RESTITVTA.

Infra quæ verba hæc scriptio legebatur:

ATREBAT. VETERIS INSTAVRANDI, ET NOVI AD CASTRVM NOBILIACVM EXCITANDI AVCTOR FACTVS EST.

Imaginis nomen pedibus erat asscriptum:

S. VEDASTVS.

Inter-

Intercolumnium læuum S. Benedictum oſtendebat, cum hoc elogio:

PIETATE RENOVATA.

Addebatur paulo infrà huiuſmodi epigraphe:

ANICIIS ET PROBIS
ORTVS PRINCIPES AVSTRIACOS IISDEM PROGNATOS
MAIORIBVS ET BONOS PASSIM OMNES AD EAM
COMPLECTENDAM EREXIT.

Pietatem ſcilicet, cuius propagandæ quanto S. Benedictus flagrauerit deſiderio quiuis lector cognoſcet, qui volumen illud quod Arnoldus VVion Belga Duacenſis de initiis ſanctiſſimæ religionis diui Benedicti, viri dignitate, doctrina, ſanctitate (lignum vitæ inſcripſit) edidit, perlegerit: vbi Principum Auſtriacorum originem ad Aniciam & Probam Romanas familias, ex quibus genus ſuum S. Benedictus habuit, longa ſerie deducit. Subſcriptum eius imagini erat nomen:

SANCTVS BENEDICTVS.

Poſterior facies non carebat ſuis ornamentis: intercolumnium dextrum Iuſtitiæ continebat aſſcriptam hanc D. Gregorij ſententiam:

SVMMVM IN REGIBVS BONVM EST IVSTITIAM
COLERE, AC SVA CVIQVE IVRA SERVARE.

Siniſtrum ex Cyrillo huiuſmodi elogium lectoribus dabat aſſcriptum Pietati:

GLORIOSA IN DEVM PIETAS REGIIS HONORIBVS
IMMOBILE FVNDAMENTVM EST.

Ab arcus huius lateribus materiata hinc inde erat porticus, quatuor vtrinque hermulis nixa, cum quadringentis funalibus hic illic diſpoſitis viginti quinque pedum interuallo. Templum D. Vedaſti intrarunt, & decantatis ibi ſacris cantionibus ac oratione gratulatoria ab electo Abbate habita ſeſe receperunt. Poſtero die in templo Cathedrali ſacro celebrato, iuſiurandum de iuribus & exemtionibus Eccleſiæ ſeruandis ſolemniter dixerunt.

Hinc Ordines eoſdem ad forum deduxerunt, ſtructúmque theatrum, quo nihil elegantius nec magnificentius ex ordine Corinthio in octoginta pedes protenſum, ſublime quinquaginta cum duplici aſcenſu, thronóque in medio, ac reliquo ornatu & inſcriptionibus, quarum mediana ita continebat in ſummo poſita:

D. D. ALBERTO ET ISABELLÆ
PRINCIPIBVS NOSTRIS ARTESIÆ PROVINCIÆ.

Patria bellorum longo concuſſa tumultu,
Tandem poſt tenebras lucem ſperare iubetur.
Belgarum gemini pulſa caligine ſoles
Nubila diſcutient exoſi tempora Martis.
Tum patriæ leges & libera iura vigebunt,
Et meliora fluent pacatis ſecula Belgis.

Dependebat ad dextram ſub fornice tabella his verſibus inſcripta:

DIVO PHILIPPO HISPAN. REGI CATHOLICO
POPVLVS ARTESIENSIS.

Maxime Rex terras Phœbo ſub vtroque iacentes
Qui regis imperio, propiùs res aſpice noſtras.
Sis licet Arteſiis longè ſemotus ab oris,
Nos tutare tamen patria pietate clientes:

Pectora fida vides, & tanto dedita Regi,
Quæ pater & proaui bellóque togaq; probarunt.

Ad latus sinistrum similiter tabella legendum exhibebat:

EISDEM PRINCIPIBVS
ORDINES ARTESIÆ.

Tres numero mens vna sumus, sumus vna voluntas,
Qua vos, Archiduces, omni cumulamus honore;
Obsequium vobis illud præstare parati,
Quod liquet Austriacis quondam placuisse monarchis.
Nos si bella premant, si finibus irruat hostis,
Haud metuemus opes ipsamq; effundere vitam.

Vbi Principes consedissent, Præses Richardottus orationem habuit, & honorificam mentionem fecit Artesiorum ac vrbis Atrebatensis, quâ beneuolentiâ in Principes fuerit, & Catholicam religionem, ipsorum in bello operam strenuam & spectatam magnopere extulit. Tum ad Ordines se conuertens, illorum in fide perseuerantiam ipsis commendauit. Lecta deinde iuramenti formula, quæ talis est:

PROMITTIMVS quod in aduentu nostro & successione huius patriæ & Comitatus Artesiæ conseruabimus, & conseruari faciemus iura & priuilegia eiusdem, quemadmodum à maioribus nostris ante est factum. Et dictam prouinciam administrabimus in pace, iure & iustitia: præterea quòd viduas & orphanos, pauperes & diuites in suis iuribus manu tenebimus, & manu teneri curabimus. Et omnia faciemus quæ iustus & supremus dominus & Comes Artesiæ facere tenetur. Sic nos Deus adiuuet & omnes sancti eius.

Sacrosanctis deinde Euangeliis manu tactis, solemniter iusiurandum dixerunt, Ordines reciprocè idem præstiterunt. A populo est acclamatum, sparsa missilia, ac in solemnem inaugurationem hoc carmen euulgatum:

ConspICVa ArthesIa trIpLeX haC orDo theatra
PrInCIpIbVs strVXIt stat VenDI pIgnora paCtI.

CAMERACVM.

VRBEM Cameracensem decimo quinto Kalend. Martias ingrediuntur, propter summas ætarij angustias à magnis apparatibus excusatam. Etenim diuturnæ belli clades sub Gallico imperio eam sic exhauserant, vt cùm Regię potestati esset restituta, nec sine magno sumtu quidem, nihil esset ea rep. imbecillius, nihil afflictius. Huc accedit præsidiarij militis onus, & munitionum ac propugnaculorum reficiendorum & excitandorum recentes impensæ, vt florentissima Samarobrinorum olim respub. quæ præter formam vix quidquam retinuerat, Principibus velut semianimis occurreret, illorum auspiciis tandem respiratura. Ab omni itaque magnificentia abstinuerunt, nec aliud magistratibus de publico fuit datum, præter par chirothecatum. Ciuium collegiis vt pro suo quisque modulo funalibus accensis, obuiam iret imperatum. Quingenti circiter numero δᾳδοῦχοι velut tædas coniugales Principi nouæ nuptæ præferebant, quæ cum Archiduce marito vecta carpento sub noctem est ingressa, per portam quam Cantimperetam vocant. Appensa ibi tabella hos versus continebat:

Hic habitat Mauors, comes & Mauortis egestas,
Ciuibus at mens est semper parere parata
Imperio Archiducum, queis auri pondera primo
Aduentu exoptant, & pro feliciter actis
Quanta Mida perhibent manibus riguisse, decusq́;
Immortale Ducum quos pax aut arma bearunt:
Cùm desint vires, laudabilis esto voluntas.

Neque sub vmbella, quam tamen Ordines Cameracenses ex serico damasceno rubro cum fimbriis argenteis fieri curauerant, recipi voluerunt, sed vrbis inopiam ab huiusmodi impensa subleuare maluerunt. Recta ad palatium iter factum est in sancti Auberti Abbatia instructum, hoc carmine gratulatorio valuis affixo Principes inuitante:

Conspicitur tandem quem mens optauerat olim,
Belgarum Princeps armis vel pace triumphans,
Relligionis Atlas, cuius circumsonat Arcto
Gloria, consilio magnus, par rebus agendis,
Ad Samarobrinos tutorq́; parensq́; futurus.

Dependebat ab altero latere tabella continens hos versus:

Egressa Hesperiis gelidos visura triones
Ecce Isabella mihi (genus alto à sanguine Regum)
Exoptata venit, bellorum incendia spernens,
Plurima per bruma glacialis tædia, cæli
Atque soli: cœpto par sit fortuna labori,
Sit felix nostrósque leuet benè nata dolores.

Vesperi duorum iuuenum virginali habitu personatorum actiuncula haud illepida Principes oblectauit. Belgica erat vna, Samorobrina altera, quæ ad pedes suarum Celsitudinum prouoluta, hos versus cum magna contentione animi memoriter recitauit:

SAMAROBRINA.

Illustris Princeps, cuius iam gloria testes
Peruasit Belgas, passimq́; renata triumphat:
Quem meritis ornat virtus, orisq́; sereni
Maiestas solita afflictis succurrere rebus.
Respice me miseram, quæ vix attollere vultum
Ausa meum, querulos luctus sortemq́; meorum
Indignam, ô superi, ostento: tria lustra peregi
Orba patre, orba Duce, atroces perpessa tyrannos:
Hinc opibus spoliata meis rerum omnium egena,
Funera funeribus vidi cumulata meorum;
Quos hinc dira lues, illinc feralia Martis
Spicula strauerunt: restat plebecula, cuius
Nulla domus superest tragico non anxia casu,
Nulla domus quæ non immiti Marte grauata
Sæpius admixto gustet sua pocula fletu.
Quæ cùm diffidens rebus, vitamq́; perosa
Vltima de exangui traheret suspiria corde,
Aduentu rediuiua tuo præcordia sensit,
Mæstaq́; quæ fuerat facies, lætissima prodit.
Vt flos emoriens nimio demissus ab imbre,
Lumine confestim Phœbi radiante resurgit.
Coniunctis animis optat felicia rebus
Dux inuicte tuis, vestram flexisq́; prehensam
Poplitibus dextram cæli per numina poscit
Cladibus in tantis, in tanto turbine rerum
Des miseratus opem: Austriaco de stemmate natum
Sentiat esse patrem, Albertum pietate coruscum,
Et matrem Eugeniam, sinceræ pacis alumnos.
Quæ Cynosura fuit patriæ ciuilibus vndis,
Ad quam confugio supplex agitata procellis,
Naufraga ne peream, sed spes affulgeat vlla.

BELGICA.

Ne desponde animum virgo, & vos ciuica turba,
Quos numero è tanto post tot discrimina rerum
Incolumes superesse dedit regnator Olympi,
Et Regina poli cui vos & vestra dedistis;
Tantorum iam finis adest & meta laborum.
Austriadûm de stirpe satus pro ingentibus ausis
Regia cui soboles thalamo sociata iugali
Tutelaris adest vobis ceu numine ab alto,
Aduentu patriam tempestatesq́; serenans,
Quas quondam ciuit rabies Acheronte refusa.
Viuite felices tanto sub Principe ciues;
Sub quo si qua manent veteris vestigia culpæ,

Quam

Quam non dira lues, quam non Bellona piarit,
Aut malesuada fames, soluent formidine terram,
Irrita Sabriniam, & Saturnia secla redibunt.
Viuite felices tanto sub Principe ciues:
Sub quo sacra Themis pro libertate nepotum
Victrices dabit esse aquilas, sanctumq́; Senatum.
Primus honos patria tum relligionis auita
Stabit honos, cum pace artes socia agmina iungent.
Omne nefas patulis ringetur faucibus, vnde
Ibit ouans latis Cameraci gloria rebus.
Viuite felices tanto sub Principe ciues.

POSTRIDIE magistratus ad ædem Deiparæ Principes deduxit, vbi à Clero Cameracensi vniuerso infulis trabeisq́ue sacris amicto excipiuntur, Decano Crucem auream osculandam præbente, paucisque verbis aduentum gratulante. Re diuina peracta post meridiem ad arcem perlustrandam egrediuntur: vbi centum maximorum tormentorum fragor Principem vltrà sexum animosam non secus turbauit, ac si leuis Austri in frondoso nemore susurros exaudisset.

Duodecimo Calendas sub vesperum in palatij cœnaculo ianuis apertis præsente magistratu, ac magna hominum frequentia solemni iureiurando se populo Cameracensi omnia & singula priuilegia, iura atque libertates, quibus vti frui solent, conseruaturos, Principes promiserunt. Suo ipsis quoque sacramento magistratus satisfecit. Subsequenti porrò die cùm discessum pararent, S. Auberti Abbas veniam pro hospitij tenuitate deprecatus, suas Celsitudines argentea Cruce donauit, cubitali magnitudine, in qua pars reliquiarum sacri corporis diui tutelaris sub sapphiro erat condita. Gratum sibi esse religiosum munus Principes indicarunt: atque vt historiam vitæ eius sancti descriptam ipsis mitteret, à Prælato poposcerunt. Fuit verò Aubertus, vel vt alij Autbertus, Cameracensis Episcopus sub Dagoberto Francorum Rege inclyto, vitamq́ue eius & miracula à Fulberto conscripta apud Surium tomo sexto reperire lector potest. Neque magistratus munusculum accipere Princeps dedignata est. Telæ apud Cameracenses texuntur tenuissimæ ac in Belgio vsitatissimæ ad ornatum muliebrem (quamuis etiam delicatos hosce & cincinnatos iuuenes seu Venerios nepotulos, imula molliores oricilla, has telas pluris facere, quàm tela videamus) neque apud exteras nationes ignotæ. Sex huiusmodi sindones textrinæ suæ opera, quorum pretium exilitas candorq́ue commendabat, Principi obtulerunt. Nec in gratulatoriis ignibus exstruendis fuerunt indiligentes. Studium etiam probarunt palam positis his versibus:

A uspiciis, io, adeste bonis, succurrite trist I
(L uget enim) populo, facies renouetur & vrbi S,
B ellica quam rabies prorsus depressit in im A.
E rigite infirmam (iacet ægra etenim pius vt Io B
R ebus in afflictis iacuit) vestra pietat E
T ot nota populis, decoret bona Suada tribuna L
V estrum, sit miseris clemens & ad omnia præsu L:
S unt hæc Austriadum morum vitaq́; tropha A.

I nclyta quàm fuerint horum si gesta recenses,
S anctaq́; ferventi cum pietate fides:
A ntiquos fateare decet superare Quirites,
B ellua inhumano quos fera lacte fouet.

Effera

E ffera gens quotquot domuit fuditq́, colonos,
L egibus euersis imperiosa terit.
L eniter Austriaci ponunt moderamina rebus,
A usteri minimum plus pietatis habent.

A duolat Hesperiis en Carolus ille, Brabantos
L iberat, & Flandros officiosus adit.
B arbara Turcarum, Germanica, Gallica signa
E xcutit, & pacem reddit vbique suis.
R itè Rodolforum ac Albertorum & Frederici
T erra refert nec non fortia facta mare.
V irtus ampla patet quâ Maximus Æmilianus
S ecuros latè viuere quosq́, dedit.



DESCRIPTIO TRIVMPHI ET SPECTACVLORVM,

Sereniſſimis Principibus

ALBERTO ET ISABELLAE,

Auſtriæ Archiducibus, Ducibus Burgundiæ, Comitibus et Dominis Valentianis, in eundem Comitatum ac ciuitatem Valentianam ingredientibus editorum:

Cum breui narratione de eius Principatus prærogatiua.

Auctore HENRICO D'OVLTREMANNO Expræfecto Valentiano.

ANTVERPIAE
EX OFFICINA PLANTINIANA
Apud Ioannem Moretum.
cIↃ. IↃ CII.

IN FAVSTISSIMVM ADVENTVM

SERENISSIMORVM ARCHIDVCVM

ALBERTI ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ

FELICISSIMORVM BELGII PRINCIPVM DD. NN.

S I L V A.

EN Late aVstrIaCo proCeDIt ab æthere sIDVs:
VaLLICoLa InfLVXVs ter Venerare noVos.

qVIs nIVeas nIVIbVs LVCes aDsCrIbat? ab ortIs
hæC nIVea aVstrIaDIs seCVLa beLgIs habet.

IaM prope ItVra trVCes VaLLIs Cygnea sVb Vndas
Vestra, dIosCVrI, speCtat Vt ora LVbens?

qVaLe poLo deCVs est fratrIs proCVL orbe dIana,
taLe soLo aVstrIaden IVXta IsabeLLa sVVM.

aVstrIaCI adVenIVnt, Lætare VaLentIa, pennIs
eXCIpIt aC nIVeI VeCtat oLorIs aMor.

febrVe, Vesper adest bIs nonVs et VnVs: at eCCe
VaLLICoLIs fVndVnt aVstrIaCa astra dIeM.

Sic ſpatia Imperij Phœbus duodena recenſens
Ordine ſidereas luſtrat, obítque plagas.

Annus Io renouat totum Iobileïus orbem,
Sed proprius Belgis & Iobileus adeſt.

Vete nouo nouus Annus: at has Aduentus in oras
ARCHIDVCVM, æterni ſecula veris habet.

Incipiat gemini rediuiua à ſideris ortu
Belgia natales iam numerare ſuos.

Hos cecinêre Deæ Geminos, nec tempora Belgis
In Fatis, alius qui repararet, erat.

Dicite mî AVSTRIADÆ, quæ gaudia veſtra, tot vrbes
Tot rara eximij culta videre ſoli?
Redde piæ Matri reliqua, exitialis Enyo
Belgidos è dulci pignora rapta ſinu.

Dicite BELGIADÆ, niſi vos ſtupor ipſe moratur,
Quæ decora hîc vobis conſociauit HYMEN?
ALBERTI, en, VIRTVS ET HONOS ſub imagine regnant:
In ſe habet, en, TERNAS vna ISABELLA, DEAS.
Quæ malè concordes æterna TRINOMINIS vno
Pectore in AVSTRIACÆ fœdera pacis habent.
Iamque ISABELLA VENVS, iam PALLAS CLARA vocari,
Iam IVNO EVGENIÆ nobile nomen amat.

VALENTIANAE NYMPHAE AD SERENISSIMOS ARCHIDVCES, PRINCIPES ET COMITES SVOS

PROSPHONEMATICVM.

Accipite AVSTRIADÆ, quæ VALLIS origo, quis auctor
CYGNIFERÆ, vobis qui præiere Patres.
Me statuit BRENNVS, meritos cui capta triumphos
VRBS dabat à VEIIS ni ferat EXSVL opem.
Fama, ARIOVISTVM, cui laus à CÆSARE vinci,
Hos auxisse meos, & coluisse lares.
Posteà victores Romani habuere, subiuit
Omnis vbi Latium Gallia fracta iugum.
Restituit melior FRATER, consorsque VALENTIS
Collapsam, ac voluit nomen habere suum.
Latiùs ille meæ Pomœria protulit vrbis,
Perfugium miseris, factaque Asyla reis.
Quin Vestæ atque Isis, patriorum fana Deorum
Diruit, æterno cedere iussa Deo.
Vidit & Ausoniis permista insignia signis
Nostra, probans sociam Martia Roma fidem.
Tum LEPORES, variisque emblemata plura figuris,
Nunc clypeum, INSILIENS seruat ab hoste LEO.
Pòst COMITES proprios, AQVILAS simul vsque, sed & vos
LILIA sum prono deuenerata genu.
Hinc titulos auxi HANNONIOS, FLANDROSque, potentûm
Imperia hinc BAVARVM, SEQVANICVMque libens.
At modò nos fatis melioribus AVSTRIA, Diuûm
Progenies, placido GENS fouet alma sinu.
Æternùm, sic fata iubent: nil dignius illâ
Sol veniens medius, sol abiensque videt.
Ecce autem ætheriis nuper superinditus astris
Iam sua sub pedibus regna PHILIPPVS habet.
Flebam abitum, lacrymas, ISABELLA, ALBERTE, dolenti
Supprimitis, cultus iniicitisque nouos.
O decora AVSTRIADVM! vestræ decora VRBIS, at orbis,
Debita Belgiacis sidera fausta plagis!
Ergóne OLORIFERÆ pariter succeditis VRBI?
Ergo nouam accipitis iure, datisque fidem?
Cernite vt à radiis vestris rediuiua resurgunt
Cuncta, prius lento quæ iacuere situ.
Vt moduletur OLOR patriis numerosus ab vndis!
Iam ZEPHYRI is DVPLICIS signa fauentis habet.
Nec iam obitum, ille alios vitæ sibi nunciat annos,
Ille nouis faustum nomen & omen Heris.
Excipiunt AMOR atque FIDES & pectora nudans
INTEGRITAS, primâ candidiora niue.

VIVE

VIVE ISABELLA, canunt, VIVAS (crebra assonat ECHO)
ALBERTE, ÆTERNOS VIVITE VTERQVE DIES.
Negligit ipse, sui cursus oblitus, & hærens,
Æquoreas vestri SCALDIS amore Deas.
Ver simulant cunctis variorum aulæa colorum
Tensa viis, clarum vespera nostra diem.
Ecce nouæ vobis saliunt è fontibus vndæ,
En vini in medio flumina nata foro.
Pegmata quid referam tot passim exstructa? quid arcus?
Ac reliqua ardoris tot monimenta mei?
O redamatę boni! sic sint rata vota meorum,
Sic vos prole beet, lauro oleaque Deus.

IN LEONEM AVREVM VALENTIANI PRINCIPIS INSIGNE, ET CYGNVM POPVLARE CIVITATIS SYMBOLVM.

DIC LEO, qui patriis regnas in VALLIBVS, altè
Cur tua vtrinque leuet scuta canorus OLOR?
Anne quod hic vates Dominorum facta suorum
Alitibus modulis, qui super astra ferant?
Ille quidem plaudit nitidis argenteus alis,
Aureus ipse salis, iustaque bella moues.
Quàm benè! Pro populo Princeps bonus induit arma,
VALLICOLÆ argenro candidiora sui.
Pectora OLORIS habent: vestra è meliore metallo,
AVSTRIADÆ, Proaui quo mieuere micant.

IN VALENTIANAS.

VALLIS amœna, cui cedunt CYGNEÏA TEMPE,
Vixque situ spectat Belgidos ora parem.
Legibus aucta bonis, quales vix prisca petenti
Græcia, non alias Roma, Decemque darent,
Fixit vbi INTEGRITAS, & AMOR, PROBITAS que FIDES que,
Multa VENVS sedes, multa CHARIS que suas.
Quisquis te ex penitis, si sis modò nota, medullis
Non amat, aut odio si quis habere potest:
VIRTVTES, VENERES que odit, CHARITES que, vel esse
VIRTVTES, VENERES is CHARITES que neget.

Surgeret augurio cùm primùm hæc VALLIS in vrbem,
Ad natale sacrum Numina magna vocat.
Adsunt, ac patrio lustratam in flumine, faustis
Certatim ominibus, muneribusque beant.
Ab IOVE principium est: donum Iouis illa, Fidesque
In Regem, in Patriam non temerandus Amor.
It prope fida comes solij Iouis altera coniux,
Ac rigido leges, iuraque in ære THEMIS.
Mansurisque sacrans decreta politica chartis
Ritè adigit ciues in sua verba nouos.

Exemplum hîc ſtatuens vicini, vrbeſque remotæ
 Vnde ſibi tabulas certaque iura petant.
HORÆ adſtant: Gladium tradens ASTRÆA libramque,
 Candida PAX, Flores EVNOMIEque ſuos.
Ecce autem erectos accendit ad arma GRADIVVS,
 Pro patriiſque docet prælia inire focis.
Tormentis vrbem ac telis, POLIVCHVS & armis
 Inſtruit, ÆTNÆVS cuderat illa FABER.
Tu placidas animos melius traducis in artes
 PALLAS, & in cultus MVSA nouena tuos:
PHOEBE tuos; Tu, Dive, iubes Parnaſſia VALLI
 Culmina, & Æmathij cedere rura ſoli.
SCALDIM Helicona vocat, Lycios huc excit OLORES,
 Qui non Fata, deos læti hominéſque canant.
Hîc noua templa ſibi ſtatuit; Myſtaſque ſacratos
 Aöniæ elatos reddit ab arte lyræ.
MERCVRIVS cunctos induſtria format ad vſus
 Pectora, & eloquij ditat honore ſui.
Impiger is, variis replens mercatibus vrbem,
 Te bone PLVTE vocat, ſubſequeríſque comes.
Quin mercem omnigenam, Generi per flumina SCALDIS
 Non vno ÆQVOREVS ſpondet ab orbe DEVS.
IVNO frui Zephyris, auríſque ſalubribus, atque
 Non Libis, aut nocui flabra timere Noti.
Hoſtibus oppoſuit colles Natura, iubétque
 Haud ſolitis fractas viribus ire minas.
Dat frumenta CERES, magnus ſua vina LYÆVS,
 Quos hîc perpetuus iungit & vnit HYMEN.
Ampla DEÆ, Ciues, fundare palatia, BACCHO
 Ara propè in medio conſtituenda foro eſt.
Túque DEA ANNONÆ CVSTOS, hypogæa liquori
 Mille ſacro, Cereri tecta domoſque para.
Nec fruges ac vina modò, ſed quidquid amicum
 Vitæ hominum, largo prome, reconde ſinu.
Vnde, PALES, varius tua quo pinxere NAPÆÆ
 Prata, penum pecoris, paſcua & arua, color?
Quàm innat hîc grandi diſtentas vbere vaccas,
 Tótque ſacros menſis dinumerare boues?
Flumina lactis eunt, ſurgunt iuga flaua butyti,
 Creſcit equus CERERI, MARS cit ad arma ſuum.
Quis POMONA, tuos dignè celebrauerit hortos?
 Quos tua Dædaleâ conſerit arte manus?
Quis tot ab huberibus pendentes Hybridas? atque
 Coniugia, ac partus inſitione nouos?
HVBERTA ſue tuos, vbi cornu opulenta benigno
 Prodigit, effuſas menſa ſine arte dapes?
CHLORI, tuos? quis ſpirat odor? quæ gratia florum?
 Elyſiæ haud potior cura vel aura plagæ.
Hos alit irriguis NAIAS pulcherrima lymphis,
 Hic natat, illimi fonte leuátque ſitim.
Aut dulci exſaturans tenues aſpergine telas,
 Palladium, certans cum niue, reddit opus.

Vſque

Vſque vel extremos quod nomina portet ad Indos
Belgiaca, huic vrbi rémque decúſque paret.
Aſpirant SOL, LVNA, VENVS, genitalia mundi
Sidera, ab influxu cuncta fouéntque ſuo.
At circum errat AMOR, LVSVS que & honeſta VOLVPTAS,
Mœſtitiem & curas hinc procul ire iubent.
PAN ligna in varios præſtantia ſufficit vſus,
Aſſidua æternis dans alimenta focis.
Viſcera quinetiam TELLVS fœcunda recludens,
Phidiacâ præbet ſaxa animanda manu.
Illa ſimul venas in publica, priuáque paſſim
Commoda, perpetuæ prodere geſtit aquæ.
Sic varios ſecti SCALDIS, ROSNELLVS in amnes
Vrbem mille modis, artificéſque iuuant.
Sed quid in orbe placet, quod non clementia Diuûm
COPIA que in VALLEM fuderit alma ſuam?
Hanc CYGNEA VENVS primis adſcripta colonis,
Hanc AMOR, inque ſacros GRATIA nexa choros:
VIRTVTVM que cohors, GENIVS, ſanctíque PENATES
Præſidio, æternùm quam tueantur, habent.
Quin decreto omnes (ſis VRBS mea PANTHEON ergo?)
Hîc adyta atque aras Dîque Deæque locant.
Felix heu nimium! toruo niſi lumine turbans
INVIDIA, è Montis, auſpicia iſta, iugo;
Illa quidem ſeris iurata Nepotibus hoſtis,
Tot bona dona Deûm perpetua eſſe neget.

Plura parabat Amor, Patria aurem vellit, & vnis
Principibus ſacros hos monet eſſe dies.

FELICISSIMIS PRINCIPIBVS PATRIÆQVE
DVLCISSIMÆ CANEBAT
EMERITVS PHOEBI MILES HENR. D'OVLTREMANNVS.

BRENNVS VRBIS CONDITOR
AD SERENISSIMVM ALBERTVM
ARCHIDVCEM AVSTRIÆ, &c.
VALENTIANARVM PRINCIPEM.

ALBERTE, *Albertos inter quos prisca tulerunt*
Secula (sed nec habent tempora vestra parem)
Præcipuum iubar & nomen, laus maxima Gentis,
Imperijs natam quam voluere dij.
Huc ades ac fatis nobisque volentibus, vrbis
Quam statui, inuicta frena capesse manu.
Illa quidem primo non vnquam degener ortu,
Summum olim obtinuit Marte togáque decus.
Clara viris, geniiq́; potens, fidissima gestans,
Si qua alia, in Reges pectora, testis Amor.
Tutelare vrbis Numen: Quid plura? docebunt
Auspicia hæc quanto flagret amore tui.
Tu redama, ac Senonas, Brennúmque agnosce parentem
In sobole, hanc nostrum quis neget esse genus?

IMP. VALENTINIANVS VRBIS RESTITVTOR
AD SERENISSIMAM ISABELLAM
ARCHIDVCEM AVSTRIÆ, &c.
VALENTIANARVM PRINCIPEM.

REGIA *progenies Alberto digna marito,*
Accipe quis fuerim, quidve, Isabella, petam.
Cæsar ego leges Dominæ vrbi, orbiq́; subacto,
Consorte Imperij fratre Valente, dabam:
Cùm veteri indignas miseratus in vrbe ruinas,
Quæ Senonas primos inclyta iactat auos:
Regia Belgiacis vt tum mea stabat in oris,
Hanc reparo instaurans, augeo & orno libens.
Quin (tantum vrbs placuit) veluti Pater alter, & Auctor
Ferre renascenti nomina nostra dedi.
Quàm benè! sic VALVIT, *sic auxit & extulit altum*
Tempore, vicinis inuidiosa, caput.
At nunc strata iacet, ciuili afflicta Gradiuo,
Sed mage tabifica dentibus icta deæ.
Iámque ferè extremam minitatur, vt ante, ruinam,
Ni tu, Diua, velis supposuisse manum.
Vindicias ergo illa nouas, formaq́; priori
Restitui, hoc Regum nobile poscit opus.

Tu face,

Tu face,namque potes,nec enim tibi Belgica frustrà
Regna Pater,famulam nec dedit ipsa fidem.
Sed tecum Austriadem tibi Rex ac fata dederunt,
Quem thalami socium,quem solijq; vocat.
Illa quidem vt primos, sic vos rediuiua parentes,
Libera patronos dicet & vsque colet.

CYGNI VALENTIANI.

HOSPES *qui niueis albescere flumina Cygnis*
Nostra stupes,cantus attonitusq; nouos:
Regius Hesperijs Zephyrus cùm cesset ab oris
Spirare,Elysios qui modò mulcet agros:
Desine mirari;nam quanquam euanuit,olim
Belgiacæ aspirans sed procul aura plagæ:
At pro vno Zephyros geminos iam fata remittunt,
Quorum flabra magis, proximiusq; fauent.
Ecce agitant nostras quàm suaui flamine pennas,
Siccaq; nectareo gutturarore beant!
Vt dulces ipsorum auras,nostra ora vicissim
Demulcent variis,hinc animata,modis!
Tergeminos soles quid iactas Roma? Fauoni
Aduentum,en ,gemini Vallis Olórque sonant.
Quid metuis sauos Aquilones,Belga,quid Austros?
Imperium hîc Zephyrus iam duplicatus habet.
Euge triumphales viden' alter ab ore coronas,
Pacifica flores spiret vt illa Olea?
O gemini Austriadæ! Tu duc, Alberte,triumphos,
DA PACEM, *ac niueos spira, Isabella,dies.*

PHILIPPVS HENR. F. D'OVLTREMANNVS.

IN POMPAM INAVGVRATIONIS SERENISSIMORVM PRINCIPVM ALBERTI ET ISABELLÆ AVSTRIADVM, APVD VALENTIANOS,

à Clarissimo viro D. HENRICO D'OVLTREMANNO posteris commendatam.

ECQVÆ pompa nouis renidet Astris!
Quam, virtute noua, nouis ab alis
Humanam aufugiens supra OVLTREMANNVS
Sortem, deproperat fugacis æui
Denti præripere, & sacrare Cedro?
En illam haud volucres rapacis vnguis,
Sed lenes resonant, polisque sacri,
Alarum explicitu simul niuali
Plaudentes patriis aquis Olores.
Vertunt atque adeò Duces triumphi
In sese studiis polum solúmque,
Albertus superûm propago, & vna
Coniux, regius ISABELLA sanguis,
Antiqua his decoris nouis adaugent.
An tantos humilis, sonánsve pingue
Heroas tenuet, terátve præco!
Summum Regem hominum, Deûmque, custos
Rubri, rex auium celebrat, ignis
Cursus, ecce, tuos, parens dierum
Titan, non solitâ canit renatus
Phœnix harmoniâ. Haud secus CYGNEÆ
VALLIS, queis titulis queunt, alumni
Præsentes Dominos, suósque Diuos
Exornant, oculis ferunt sinuque.
Ac blandis Zephyrûm flabris madentes
Fundunt diu resides, metuque mutos
Cantus. Laurigeræ Chely sorores
Quales edere posse se negarent.
Quos inter, medius velut Dearum
Apollo lyricæ repertor artis,
OVLTERMANNE nites, chelymque pulsas.
At non prima tui vigent honoris
Ornamenta, lyræ sacríve cantus.
Longè artes aliæ, quibus Minerua
Ac clarum Themis exteris, tuisque
Humanum statuunt supra cacumen.
Seu summas patriæ regens habenas,

Præfectúſ-

Præfectusque tuæ expetitus vrbi
Ad clauum assideas, vel in senatu
Legatúsve foris probes, quid vsus,
Quid Suada, in patriam fidesque possit,
Quin tot pegmata, tot notæ, tot arcus,
Fons suprà duplici fluens liquore
Nantes infrà, hilarans, rigansque Cygnos,
Quidquid Dædalea manu expolitum
Defixos rapit hospitum vagantum
Per VALLES oculos, Ducumque magnûm
Auctorem haud alium queant ciere.
Et miramur adhuc, Olympus vltra
Si mortale genus tui reponat
Dotes ingenij, OVLTREMANque dio
Te cognomine claret? Euge, nomen
Hoc gentile tuum, decus nec vnum,
Virtus hîc vbi collocauit ardens,
Faustis auspiciis ibi tuorum
Plausus alituum, tuos labores,
Tuos AVSTRIADAS fauens repone:
Ingens stat pretium patriti Amoris.

Collegij Valentiani Cygneus chorus ludebat.

IOANNI BOCHIO REIP. ANTVERPIANAE A SECRETIS, HENRICVS D'OVLTREMANNVS VALENTIANVS.

PRÆCLARE *tu quidem de Rep. Belgarum, Principibúsque mereris, doctissime Bochi, qui ad egregia ingenij tui monimenta quibus vtrosque varie hactenus illustrasti, pergis adhuc, & insignes illos hilaritatis & gratulationis publicæ triumphos in Principum aduentu à Belgij ciuitatibus certatim nuper exhibitos, studiosè colligis, ac chartis typisque mandatos posteritati transmittis. In quo & ipsorum perpetuo honori consulis, & tibi ipsi pietatis & officij istius nomine gloriam comparas immortalem. Laudo; sed & quòd in partem laudis, cum ceteris ciuitatem quoque nostram aduocas, iubesque vt quidquid eo tempore hîc gestum aut editum, amplè tibi describam, nostro Reique publicæ nostræ nomine ingentes habeo gratias. Pareo, atque ampliùs quàm petis, paucula alia quæ temporis breuitas, ærarijque nostri angustia prætermitti iussere, cum parergo de ciuitatis nostræ prærogatiuâ, moribus & institutis, adijcio: quod neque tibi, neque lectori ingratum fore, nobis persuademus. Aduocabam etiam Musas, & iam Panegyricum, aut Aduentitium potiùs ac σύγχαρμα Principibus ipsis meditabar, sed excusauêre, quòd se Antuerpiam ad te ire dicerent, cui meritò lauream illam vni reseruabant. Paucula tantùm dictarunt abeuntes non magni pretij, quæ præmisi. Nec vobis tamen felicioribus inuideo, neque te, vir magne, vltrà detineo. Tu tantùm, ac tecum ceteri quod hîc damus, boni consulite, si quid peccatum excusate.*

HISTO-

HISTORICA NARRATIO INAVGVRATIONIS
SERENISSIMORVM PRINCIPVM
ALBERTI ET ISABELLÆ
APVD VALENTIANOS.

QVAMPRIMVM Sereniſſimi Archiduces fauſtiſſimi aduentus ſui diem Magiſtratui per litteras præfiniêre (quod & Cameraco poſteà Præſes Richardotus certiùs indicauit) nihil illi prius aut antiquius fuit, quàm de omni eâ re ad Senatum ſtatim referre. Omnium vna fuit & concors ſententia, excipiendos omni gratulationum & hilaritatis genere optimos exſpectatiſſimosque Principes, quæque Regi defuncto exhibita olim, eadem aut meliora, ſi ferat tempus ac Reip. facultates, exhibenda illis gratiſſimi deuotiſſimiq́ue animi teſtimonia. Quorum procuratio omnis Præfecto vrbis & Expræfectis, additis tribus aliis è Senatu primariis, Senatus conſulto poſteà demandata eſt. A nobis etiam amplius poſtulatum, vt arcuum triumphalium aliorumq́ue ſpectaculorum excogitandorum prouinciam ipſe ſuſciperem. Itaque pro ingenij noſtri tenuitate opus confeſtim aggreſſus, quatuor ad quinque Arcus Triumphales, Theatraque aliquot chartis mandaui, quæ & inuentionum nouitate, & elegantiâ, ac vario aſpectu, oculos mentesq́ue oblectare, & debito ſuo Ciuitatem exſoluere poſſe confidebam. Nec fefellit opinio. Nam eorum ſcenographia, ampliorq; ſingulorum explicatio, Senatui oblata, ſummopere placuit. Duos tamen tantùm ex iis Arcus delegêre, veriti ne temporis anguſtiâ interciperentur: tum verò quòd tam acciſis Reip. rebus immoderato ſumtui parcendum plerique omnes cenſerent. Admiſerunt ſimul & Fontem, qui in fori medio collocandus vinum rubellum & aquam, diuerſis ab epiſtomiis & ſiphunculis vbertim profunderet. Theatrorum verò ſollicitudinem & impēſam, in opificum collegia reiiciendam decreuêre, quod ab illis pro ſuo erga Principes amore, erga Magiſtratum obedientiâ, non nimis difficulter impetratum. Edictum etiam vt Ciues qui ſub ſignis ad vrbis cuſtodiam militāt, in octo cohortes ſub totidem Ducibus diſtributi, ad bis mille ferè numerum, certè qui opibus valerent, (nam inopes domi manere iuſſi) Præſidiarij item noſtri, qui ducenti à primâ inſtitutione, iam propter tempora pacatiora, ad centum & viginti reducti ſunt, & armis & indumentis de Principum coloribus, albo, cæruleo, coccineo, aliiſque militaribus ornamentis, quàm poſſent ſplendidiſſimè ad diem inſtruerentur. Iuniorum inſuper cohors delecta, qui nondum coniugio alligati, ad quadringētos fermè; qui duce Iacobo le Poyure gentis patriciæ egregio iuuene, Ioannis quondam Præfecti vrbis viri ſpectatiſſimi F. ſplēdidiſſimis armis & veſtimentis, ſed & ceteri omnes non minùs habitu prorſus militari gratiſſimum Principibus comitatuiq; ſpectaculum præbuêre. Reliqua etiam omnia, quæ ad rem pertinebant, variis cōmiſſa. Nec mora, excitur Antuerpiâ Guilielmus de Vos, inſignis pictor, qui mox, vbi de pretio cōuentum, quod liberale & amplū fuit, alios item συνεργοὺς, arte illâ non incelebres Antuerpia aduocauit, vt ad diem præſtitutum pactis conuentis pro ſua exiſtimatione, Reique publicæ dignitate, ſatisfacerent. Redemtores etiam effecti inteſtinorum operum artifices, ſiue Scriniarij, quorum induſtria in ſtylobatis, epiſtyliis, coronicibus & capitulis ceteriſque quæ ad ipſos pertinebant, prorſus conſummata, & verè admirabilis, tanquam ſi ad Principum vrbiſq; decus æternum permanſura illa omnia fuiſſent. Fabri etiam tignarij cōducti, quotquot hîc alicuius nominis. Singulis ſua diſtributa munia, vti quod ſui eſſet operis & artificij, tempori & accuratè omnes perficerent. Satisfactum ab omnibus abundè, quantum quidem per temporis breuitatem

gelúque intensissimum licuit, vrgente maximè, ac vt omnia iuxta præscriptum à Scriniariis præcipuè, tignariísque fierent, summè adlaborante viro optimo, elegantiæque omnis amantissimo, nec Architecturæ imperito Carolo Clauwetio, ciue nostro ac Senatore, cui Resp. hac in parte non parum debet.

XIX. Igitur Februarij anni Iubileij & secularis M. D. C. Serenissimi Archiduces Cameraco egressi Valentianas versus capessunt iter. Quod vbi pro certo nunciatum est, sub horam à meridie quartam, Magistratus, qui Præfecto vrbis & XII. Scabinis, iisdem & Iuratis, vt loqui mos est, constat, cum Assessoribus siue à Consiliis duobus, totidem Actuariis seu Graphiariis, aliisque Prætorij Iustitiæque ministris, holosericis Præfectus cum Supræfecto, sericis togis talaribus ceteri ex ciuitatis liberalitate insignes (præeunte Caduceatore siue Heroaldo suo, quem ab vltimâ antiquitate habet ciuitas, non leue nobilitatis dignitatisque priscæ argumentum, ac ab ingenuâ vitâ, FRANCHEVIE, nominatur, cum paludamento serico coccinei coloris, quod vtrimque ante & retro Leo ingens aureus exsertâ linguâ cæruleâ, cæruleísque vnguibus formidabilis totum obsidebat) in suburbium ab eâ parte concesisêre: vt ibi in ædibus illius, qui veredis siue dispositis equis à Principe præficitur, certiores de Principibus appropinquantibus nuntios exspectarent. Sub horam quintam aduentare nunciatum. Sed nuntiis opus non erat, sclopetariorum tonitru aduentum eorundem nuntiante. Armati verò ciues nostri, paulò vltra suburbia progressi, & ibi subsistere iussi, in campo plano iuxta viam Regiam, ab Illustrissimo Duce Croïo & Arschotano, Præfecto nostro, ciuitatis atque adeò vniuersæ Belgarum Reip. Principumque amantissimo, in tres phalanges siue acies, quadratâ sed inæquali formâ, eodem ferè modo omnes, pro cuiusque tamen numero dispositi & collocati fuêre. Quarum ab vrbe prima & maxima, mille ducentorum ciuium sub sex ducibus, Antonio scilicet le Poyure Roselij domino, Nicolao Rasoir Præfecto vrbi; sed hi duo, ille ægritudinis, hic ratione muneris cohortes suas vicariis ductandas dederant: Ioanne de Baudrenghien domino de Preseau, Petro le Francq, Alexandro de Pittepan, & Gerardo Reuelatt, frontem per quinquaginta & vnum instructam ostentabat, ad cuius extrema, cornua duo producebantur, quæ XV. à frôte mosquetarios, loquar cum vulgo, singula præ se ferebant. In medio ab hastatis varij generis, signa militaria seruabantur. Non procul ab iis iuniorum cohors, quadringentorum ferè secundum agmen: longiùs paulò Præsidiarij, ad centum & viginti, vt dixi, sub Ioanne Baptista Bincheloto tertium constituebant: omnium versùs solem occidentem viamque militarem prospectus, quà Principibus transeundum erat. Vbi Principes non longè abesse Illustrissimo Duci significatum, cum numerosa nobilitate ad primum ferè ab vrbe lapidem ex equis desilientes, Serenissimos Archiduces eâdem rhedâ simul vectos, submisè omnes salutauêre. Dux verò propiùs accedens, felicem aduentum officiosissimè gratulatur, ac vrbis nomine, cuius administratio ipsi concredita, ciuiumque omnium quorum perspectissima sibi fides & beneuolentia, omnia amoris & deuotionis officia ipsis spondet, quos omnes ciuitatemque ipsam, Serenissimæ ipsorum Celsitudini, ex animo commendat. Illi benignè respondent. Inde equos conscendentes, Archiducum comitatui non leue incrementum & ornamentum accesêre. Ac mox conspecta in decliui campi modicè assurgentis, armatorum nostrorum agmina. Illi verò armis nitidissimis, ac vestibus auro & argento, sericisque ac aliis speciosis pannis versicoloribus collucêtes, latè expassis à galearum cono capitisque tegminibus struthionum pennis, triplici tincturâ albo scilicet, cæruleo & rubro variantibus, vbi se ad Principum aduentum paululum modò explicuissent, concordibus scloporum explosionibus quodque agmen vicissim illos alacriter excepêre. Laudati cum admiratione, neque alibi, aut armis aût indumentis ornatiores, aut militari magis habitu, à se visos, Principes ipsi, Proceresq; non semel testati sunt. Suburbio vbi succesêre, ad altera illius septa siue repagula, vix duobus ab vrbe stadiis prope xenodochium, quod à diuo Bartholomæo cum fonte vicino nomen habet, Magistratui occurrunt, quem Illustrissimus Dux Arscotanus ex equo descendens ipsis offerebat. Atque ibi subsistentes, Roberti Roze primi Reip. nostræ à consiliis, viri & legum peritiâ & probitate, aliisq; animi & ingenij dotibus côspicui,

succinctam

succinctam orationem benignis auribus excepêre. Ea fuit, agere Magistratum, Ciuitatemque omnem, quàm maximas Deo immortali gratias, quòd Principes suos, tot votis desideriisque fidelibus iampridem expetitos, coràm amplecti, ac ipsorum benignissimo vniuersæque Belgarum Reip. salutari aspectu frui, iam tandem concesserit. Aduentum gratulari, qui vt ipsis Reique publicæ faustus felixque esset ac fortunatus, ardentissimis votis ciuitatem à Deo suppliciter exposcere. Ingrederêtur itaque Valentianas suas, è Prouinciis Belgicis exiguam quidem vnam, sed quæ de fide & amore, deuotissimisque obsequiis, in certamen gloriosum cum reliquis omnibus descendere non pertimescat. Ac si fortè ipsorum meritis, ac exspectationi in spectaculis reliquisque animi sui testimoniis satisfactum minus fuerit, orare, vti pro innatâ benignitate, temporis Reique publicæ angustiis adscribere illud dignarentur. Arrhas enim tantum voluntatis & affectus sui, ciuitatem illa esse voluisse, quæ se suaque omnia ipsorum pedibus propensissimè submittit. In cuius officij fidem, vrbis clauem primariam, ab ipsis fideliter hactenus conseruatam, Serenissimis ipsorum Celsitudinibus in manus tradere. Ac simul cum dicto Nicolaus Rasorius, Præfectus vrbi, clauem auratam deosculatus Serenissimæ Infanti porrigebat, quam, vt retineret, amœno vultu ac nutu illa significauit. Respondit ipsa comiter, ac post illam Serenissimus Archidux, linguâ Hispanicâ vterque. Inde progressi paululùm in iisdem veredorum præfecti ædibus è rhedâ descendentes, ab aliâ ciuium armatorum cohorte cui Dominus d'Aubry Nicolaus de la Pierre imperabat (octaua Ioannis des Maisieres Grebertij portæ vrbis & foro in præsidio erat) repetitis pluries sclopetorum explosionibus rursus salutantur. Tormentorum simul æneorum ab vrbis mœnibus, horrendo ac reïterato sæpius reboatu longè lateque omnia resonabant. Vbi se verò iis in ædibus, vino ac bellariis, quæ ibi à Magistratu antè parata, nonnihil refecissent, equos conscendentes, qui niuei ac elegantissimi vterique, præeunte Procerum Nobiliumque comitatu ad vrbis portam contendêre.

Illa verò funalibus, variisq; ignibus, suprà & infrà vndique illustrata, Principum oculis sese paululum modò attollentibus, insignia sua, auro & argento, viuisque coloribus resplendentia, ex lapide albo nostrate, accuratissimè exsculpta, ac in superiore muri parte decenter inserta, illico obiectabant. Subiectum pedibus ad perpetuam memoriam, hoc epigramma:

FELICISSIMO ADVENTVI SERENISSIMORVM PRINCIPVM
ALBERTI ET ISABELLÆ AVSTRIORVM S. P. Q. VAL.
P. XIX. FEB. AN. M. D. C.

Restituta item inferiùs, Diui Caroli v. Imp. Ciuitatisque ad latus insignia, quæ suprà prægrandis Leo sustinebat, Principi puero ipsi, à deuotissimis ciuibus olim posita, quæ temporum iniuria, insolentiaque militaris fœdè deformauerat, gloriosissimi inuictissimique Aui memoriam non sine voluptate, pientissimis nepotibus renouabant.

VRBEM feliciter ingressi, sub vmbellâ Damascenâ coccineâ, fimbriis argenteis ac cæruleis è filo serico circumquaque prætextâ, Leonibusq; ac Cygnis, notissimis ciuitatis nostræ insignibus, internodiisque ad capulos auratis interpictâ, quam Præfectus vrbi cum Subpræfecto, quatuorque aliis è Magistratu primariis, simul sustinebant, Principes successêre. Nec omittendum ab ipso ferè vrbis ingressu ad palatium vsque, vias omnes continuo funalium, vasorumque picatorum ordine illustratas, ædiumque frontes peristromatis ac pannis versicoloribus exornatas, plenaque omnia, vicos, tecta, fenestras, vtriusque sexus hominum, qui transeuntibus Principibus faustas acclamationum voces, FELICITER ADVENIRENT, VIVERENTQVE SERENISSIMI PRINCIPES, certatim indesinenter congeminabant.

Circa medium plateæ Cameracensis Theatrum inuenêre, quod subitario opere ab Institorum siue Tabernariorum collegio iussu Magistratus excitatum, ac viuis personis instructum hoc à nobis argumentum habebat.

In medio

In medio Theatri proſcenio, egregio vultu & cultu Nympha, quam à Cygnis adiunctis Valentianam omnes coniectabant, aduenientibus Principibus Cor apertum ſupplex offerebat. Idem ſubmiſſionis officium præſtabant quatuor aliæ à dextris, inſignes formâ, & à ſymbolo quæque ſuo facilè dignoſcendæ, Nymphæ noſtræ indiuiduæ comites. Amorem enim ſiue charitatem infans in ſinu, ac duo alij grandiores pueri infra colludentes, Conſtantiam columna, Fidelitatem catella ad pedes blandiens, Zelum verò cor vndique flammas vomens, etiamſi defuiſſet inſcriptio, ſatis denotabant. Ab altera parte Ceres, Bacchus, Pomona, Pales, vultu hilari, manibuſque protenſis munera ſua Principibus liberaliter offerebant.

Proſcenij angulum vtrumque proiecturaſque obſidebant Scaldis & Neptunus, cui magna olim cum Nymphâ noſtrâ, nunc, prô dolor, abrupta neceſſitudo. Qui cyaneis ambo veſtibus amicti, algiſq; coronati, ac varios ſuarum quiſque vndarum alumnos piſces humeris baiulantes, ex vrnis quibus innixi aquas ſuas largiter profundebant.

In Theatri zophoro tetraſtichis extemporaneis Valentiana virgo Principes lingua ſua ita alloquebatur:

Que vos grandeurs, Princes haults, ne dedaignent
Ce cœur ouuert, que vous offre auec moy
Conſtance, amour, le bon Zele, & la foy,
Quatre vertus qui touſiours m'accompaignent.

I'offre mes grains d'ont en bon temps i'abonde,
I'offre mes vins, chairs & poiſſons encor,
Fruicts, beurre, & laict: mais pour tout ce treſor
Il fault la paix, qui m'en rende feconde.

Sumite mente, Duces, placida, nec ſpernite munus,
Pectoris en patulum do penetrale mei.
Hoc vos & ſocia Conſtantia firma, Fideſque,
Nullo & diuiduus tempore donat Amor.

Piſcibus & menſas onero, carneſq; miniſtro,
Lac mulctris, plenis Gallica vina cadis.
Appula rura meæ ſuperant & Gargara meſſes,
Sit modò compoſita fas mihi pace frui.

Super coronice in plintho editiori, Archiducum inſignia, in extremitatibus Illuſtriſſimi Ducis Arſchotani, ac Ciuitatis conſpiciebantur. Reliquum theatri picturæ variæ & periſtromata exornabant.

PROGREDIENTIBVS inde Principibus, è regione templi, quod B. Mariæ in calcia, ſiue via lapidibus ſtrata nomẽ habet (hæc enim vna eſt ex ſeptem illis celebratiſſimis, quæ à milliatio Bauacenſi ortum habẽtes, ad diuerſas orbis regiones circumquaque porriguntur) à ſiniſtra theatrum occurrebat, quod quidem à nobis in medio foro ſtatuẽdum, à Senatu non admiſſum, hoc in loco vti ſumtu ſuo erigerent Tyropœorum ſeu Caſeariorum collegio iniunctum eſt, quod non indiligenter pro tẽporis anguſtia illi præſtiterunt.

Illud verò XXXV. pedes longum, profundum octo, altum XXII. ab hermis ſiue terminis duobus, hinc mare inde fœmina ſuſtẽtabatur. Supra erat epiſtyliũ, zophorus & coronix.

In cuius extremitatibus à dextra quidem Neptunus, cyanea chlamyde circumamictus, in corona tamen Archiducali, vt Principem referret, tridente terram percutiebat. Exſiliebat equus militaris, ab anteriore tantum parte conſpicuus; prope erat laurus ingens, cuius trũcum ſuperiorem ſpolia, infra verò captiui, religatis poſt tergum manibus, obſidebant, vultu ipſo ac geſtu miſerabiles. Lauri verò ipſius rami ſponte in ſe reflectentes, ſerta & coronas Principi victori ſenſim informabant. Nota è veterum ſcriptis fabula:

Neptuno & Pallade vter Athenis nomen imponeret, inter se dissidentibus à diis pronunciatum, eius ius fore, qui rem hominum generi vtiliorem protulisset. Equum ergo dedit militarem Neptunus, quòd re militari imperia propagarentur, ac Respublicæ auctiores & beatiores fierent. lanceam Pallas humi defixam, in oleam, pacis arborem, qua nihil à Deo dari potest melius, conuertit. Secundùm eam lata sententia est. Itaque Athenæ à Pallade (quæ Græcis Ἀθήνη) cognominatæ. At Principes nostri ad arma, magis tamen ad pacem proni, alterutrum eligerent, Prouinciis iis quæ secessionem fecêre hoc in theatro offerebant. Ad alteram enim partem Pallas ipsa Isabellam nostram repræsentans, læuâ tenens Medusæ scutum, lanceam in virentem oleam transformabat. Ad latus erat Pacis & Salutis Ara, à serpente circumplexa. In medio verò coronicis spatio Principum insignia editiori tabulato superinfixa, coronâ partim ex olea, partim è lauro confectâ circumcingebantur.

Zophori ab vtraque parte extremitates, insignia Ducis Arscotani, reliquum hæc inscriptio obtinebat:

SERENISSIMIS PRINCIPIBVS ALBERTO ET ISABELLÆ
QVÒD PACE VEL ARMIS, PROVINCIAS TEMPORVM
MALIGNITATE A RELIQVO BELGII CORPORE DIVVLSAS
IN VNVM RESTITVENT, VALENTIANI BENE OMINANTES
POSVERE.

Sed hæc omnia viuæ in theatro personæ manifestiùs exhibebant. In cuius proscenio in duabus sellis editioribus, hinc Mars truci vultu, ac gladium militariter intentans, inde verò Pax vultu blando, oleæ ramum porrigens, puellas octo in puluinis circumsidentes, gestu non ore, variè compellabant. Illæ verò diuerso pro cuiusque natura cultu, nomina sua in scutis insigniaque præferebant. Hæ erant, Gelria, sed illa mediâ tantùm sui parte viraginibus sororibus conspicua, alterâ erga Principes aduenientes obuersâ, dissidij sui intestini fatum conquerebatur: scuti etiam sui fractura notabilis, cuius pars illustrior ex encarpis cum ceteris de Principibus ac Rep. melius meritis, supra dependebat, Hollandia, Zeelandia, Vltraiectum, Transisalana, Zutphania, Frisia & Groninga. Quæ Prouinciæ temporum iniuriâ à nobis diuulsæ, ab impiis & obstinatis, nimis iam diu occupatæ, vindicias suas à Principibus nostris implorant. Nec illæ hîc eodem vultu omnes. Aliæ enim aures præbere, aliæ renuere, nonnullæ inter se consultare videbantur. Super Martis verò & Pacis capita, aliarum Prouinciarum Deo & Principibus suis parentium insignia ex encarpis sertisque propendebant. Inter quas post Hannoniam Valentianæ locum suum meritò obtinebant.

Hermarum verò siue terminorum, ille virilis sexus Martem repræsentans, dextra hastam, sinistra facem accensam gestabat, alter verò Pacem referens, oleæ ramum vnâ manu prætendebat, alterâ in aceruum armorum inuersa facula ignem iniiciebat. Circa prioris vmbilicum hoc carmen in tabula legebatur:

Fundit equum Alberto tellus, tibi munus oliua
Pacifera, vt bellum bella Isabella domes.
Eligite alterutrum Bataui: nam parcere norunt,
Norunt Archiduces subdere Marte feros.

Ab vmbilico Termini feminei, hoc in altera tabella tetrastichon Gallicũ dependebat:

Dans le iardin de ces deux heureux Princes
Egalement va croissant le laurier
Victorieux, le paisible oliuier
Pour faire grace à leurs humbles Prouinces.

Nulla Ducum melius geminorum crescit in horto
Arbor, ad ornandos laurus quàm nata triumphos,

Et qua pacifici maturat bacca venafri:
Belga sed eligit hanc, petit illam, exoptat vtramque.

Dextrum ſtereobatem trophæa & ſpolia, alterum copiæ cornua duo decuſſatim impoſita decorabant.

Theatri verò partem inferiorem, quæ ad terram vſque pertingebat, hinc arma & bombardæ, ceteraque Martis βροτολοιγοῦ inſtrumenta, illinc marræ & ligones, falces, vomeres, aliaque Pacis Agriculturæque inſignia, variè prætexebant.

Medium obtinebat in oleæ ſerto leo aureus in clypeo ſanguineo, Ciuitatis inſigni, quem Cygni duo in vndis luſitantes hinc inde ſuſtentabant.

Hinc ad forum pergentibus, in medio ferè ſpatio aliud ſe obtulit pegma à coctoribus cereuiſię boni ominis causâ excogitatum & excitatum, in quo Belgica, in curru aurato & triumphali Principum noſtrorum beneficio collocata, ſublimis conſpiciebatur. Ipſi verò in eodem curru altius conſidentes, Nymphæ oleæ ramum in manus tradebant. Currum trahebant Struthiocameli duo, quorum animalium nomen idiotiſmo Belgico-Gallico ad Auſtriæ appellationem alludit. Habenas regebat Pax candida, ac læto vultu. Ponè, currum impellebant ternæ Chriſtianorum Charites, conuenientiſſimo quæque habitu, Fides, Spes, Charitas. At humi infra rotarū curſum nequidquā remorari conata, comam ſerpentinam quatiens, ac cor exedens, currus ac vectorum pondere, Inuidia obterebatur. Theatrum verò ipſum duobus Hermis ſiue Terminis innitebatur, ad quorū capita hinc Illuſtriſſimi Ducis Arſchotani, illinc Ciuitatis inſignia, in zophori verò medio Principum ipſorum viſebantur. Ab vtroque latere hinc Pellecanus pectus fodicans, ſanguine proprio pullos paſcebat, illinc Gallina alarum ac corporis totius expaſſu, ſuos proximè ſe applicantes contegebat & fouebat. Infima theatri pars Belli pictura arctiſſimæ cuſtodiæ traditi, & centenis religati cathenis opere monochromateo condecorabatur.

SED ad arcum illum triumphalem propero, qui ad fori ingreſſum ex præſcripto noſtro magnificè exſtructus, prior è duobus Principum oculos in admirationem conuertit.

Ille verò propè turrim ſpeculatoriam quam Befridum vocant, in ingreſſu fori collocatus, binis frontibus, ac porta triplici (quarum mediana reliquis duplo maior) pedes in latitudinem XXXVI. in profundum VIII. at à ſolo ad ſummum frontiſpicij faſtigium, cui Spei ſimulachrum in acroterio inſidebat, ad pedes LIIII. attollebatur. Structuræ erat Ionicæ, duabus eleuationibus ſiue contignationibus conſtans, quarum vtraque epiſtyliis ſuis zophoris & coronicibus decorabatur. Frontem anteriorem primùm deſcribam. Huius pars inferior quatuor ingentibus columnis nitebatur, quarum ſcapi marmor Iaſpidem coccineum, maculis albis variegatum ſcitè repræſentabant. Stylobatæ cum toris & baſibus ſuis, nec non capitula cum ſuis volutis & ornamentis, epiſtylium quoque zophorus & coronix marmor nigrum iucundiſſimè mentiebātur. Triglyphis exceptis, qui ſupra zophorum inter metopas ſuas egregiè eleuati, Parium marmor adæquabant.

Superior eleuatio tribus quadratis ſiue abacis, ſed inæqualibus diſtincta à quatuor pilis ſuſtentabatur. In quadratis minoribus ab vtroque latere Archiducum inſignia ſimul coniuncta, in corona quercea, auro & argento viuiſque coloribus reſplēdebant. Medium verò illis amplius, hoc elogio Principibus fauſtum aduentum gratulabatur:

ALBERTO AVSTRIACO DIVI MAXIMILIANI II. IMPER. CÆS. P. F. AVG. F. MAXIMARVM VIRTVTVM SPLENDORE, AC RERVM GESTARVM GLORIA, AD AFFINITATEM REGVM MAXIMI AMPLISSIMARVMQVE DITIONVM HÆREDITATEM EVECTO, MAIORIBVS IMPERIIS DESTINATO, ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, DIVI PHILIPPI II. HISPANIARVM ET INDIARVM REGIS GLORIOSISSIMI F. A DEO DELECTÆ, QVÆ MALIS NOSTRIS FINEM IMPONERET, DESIDERATISSIMIS PRINCIPIBVS, S. P. Q. VALENTIANVS PRIMO ADVENTVI, FELICITER, ACCLAMANTES, POSVERE.

Super coronice eleuationis illius tabernaculum ingens assurgebat à duobus hermis siue terminis vtriusque sexus sustentatum, qui ad vmbilicum vsque hominem referentes, infrà caudis geminis crutum loco in se reflexis, in piscem desinebant. A mari enim sumtum frontis huius argumentum omne. Illius tabernaculi aream, nauis ingens suis armamentis, ac nauticis ornamentis omnibus probè instructa, in mediis fluctibus totam implebat. Illa verò tempestatibus ac procellis agitata, naufragiū minabatur, ac iam aquam pluribus in locis hauriebat: quin puppis ipsa in aquas ferè depressa, parum aberat quin fluctibus tota cooperiretur. Itaque nautæ ipsi ac epibatæ malo atque antennis velisque disruptis, ad cælum oculos & manus conuertentes, nullam nisi à Deo opem exspectabāt. Imprimis verò oculos morabatur stans in prorâ Nympha instar proretæ vultu egregio, quam à leone assidente Belgicam esse omnes pronunciabant; quod & nauis tutela siue παράσημον leonem Belgicum cum Belgicæ titulo in prorâ præferētis, magis indicabat. Illa verò manibus passis, vdosque oculos in cælum coniiciens, siderum geminorum subito aspectu, quos Castorem & Pollucem esse, ex mutuo amplexu, stellisque geminis supra caput radiantibus rectè iudicabat, velut certissimo salutis augurio, nonnihil recreari videbatur. In frontispicij tympano Aquilæ suæ insidebat Iupiter, ac posito super sinum fulmine, iam placatus, nebulasque discutiens per Dioscuros suos, secundiores cursus prænunciabat. Neque vlli dubium erat quin per σωτῆρας illos, Archiduces nostri, coniunctissima salutariaque Belgicæ sidera, ab auctore designarētur; vti & per Neptuni & Tethyos simulachra, quæ ex ligno dedolato & exciso effigiata, vt solida videri potuerint, ac coloribus viuis animata, ab vtroque tabernaculi latere, coronicis reliquam ferè partem occupabāt. Qui quidem radiatâ coronâ redimiti, vnionibus ac gemmis intermixtâ ac chlamydibus cyaneis insignes, tridente motos fluctus componebant. Quod & Principes nostros in his Reip. tempestatibus præstituros, omnes ominamur. Extremas coronicis partes obelisci duo lapidem porphyreticum effingentes, præter stylobatas & bases è marmore Pario, quatuor globis quisque in stylobatis suis impositi, altè insidebant. In quorum infimâ & latiori parte Alcyonum nidi sphæricâ formâ, prospectantibus è summo auibus, Hieroglyphici loco cernebantur. Certissimum quidem tranquillitatis indicium, quòd auis illa præsagæ naturæ beneficio, hieme mediâ extra vndarum fluctuumque pericula, nidum suum semper constituat. Hinc ALCEDONIA (Alcedo enim Latinis, quæ Græcis Alcyon) pro summâ malaciâ apud auctores accipitur, quod vocabulum in stereobatis ipsis conuenienter adscriptum erat. Ab vtroque præterea frontispicij latere, duo marini dei, hinc mas inde femina, supernè humanâ formâ, infra in piscem desinentes, ex ligno exciso affabrè efformati & depicti, in acroteriis suis considebant, signum Romanum manu gestantes, in cuius summo, in corona ciuica, vni quidem Dioscurorum capita pileolis ac stellis suis insignita, vti in veteribus numis, depicta erant, ac in Acroterij ipsius stereobatе hæc verba:

FELIX BINARIVS.

Nam quemadmodum geminorum felix aspectus, ita sideris vnius tantùm, quod Helenæ adulteræ adscribunt, nautis periclitantibus malum omen. Alteri verò signo in simili serto, hæc inscriptio solùm:

OB BELGAS SERVATOS.

In tertio acroterio, super summum frontispicij fastigium, stabat Spei simulachrum, quod dextrâ manu floris calyculum, cum numis, sed & triumphale sertum, eadem manu protendebat, in quo scriptum:

VOTA PVBLICA.

Altera, in longo hastili vexillum, quod è serico rubro, Archiducum vnitis insignibus, ab vtraque parte decoratum, ad aërem expandebatur. In acroterij ipsius base legebatur:

SPES ET VOTA BELGARVM.

In columellis verò illis quatuor, quæ abacos illos tres siue quadrata separabant, opere monochromateo, Ariones duo, totidemque Tritones, hi cornu, illi citharâ, Belgis seruatis soteria, lætumque celeuma simul concinebant. Quod quidem non dubium quoque

malaciæ augurium, quo solum tempore pisces illi φιλαὶ ϑρωποι à nautis conspiciantur. In medianæ portæ cuneis supra fornicem, Serenissimæ Principis nostræ insignia scuto muliebri laureâ circumdato, auro & argento radiabant. Angulos verò triangulares qui supra portæ curuaturam, delphini duo ore repando, reflexis caudis: in portis verò minoribus angulos illos delphinorum capita occupabant.

Intercolumnia sub epistylio epigrammata duo continebant, quorum à dextra Latinum, tabernaculi nostri historiam ita interpretabatur:

Belgica quæ variis iamdudum agitata procellis
Mergeris, aut mergi es proxima, tolle caput.
Ecce Dioscuros duo lucida sidera, pacis
Nuncia, Olympiacâ mittit ab arce Deus.

Gallicum à sinistra, simulachrorum Neptuni & Tethyos rationem reddebant:

Belgicque nef ne crain plus le naufrage,
Puis que Tethys dame de nostre mer,
Et son Neptun du trident vont s'armer,
Tanceans les flots, & appaisans l'orage.

Belgica naufragium timeat ne puppis, in æquor
Inuehitur ponti rex & Neptunia coniux:
Ingens & trifida molitus cuspide sceptrum
Imperat ille mari, ventos obiurgat vterque.

In stereobatis nabant ac lusitabant Cygni complures, quos ipsos inter prospera nauigantibus auguria, ac sub marinæ vndigenæq; Veneris tutelâ, semper laudauit antiquitas. In quo anterioris frontis Arcus huius triumphalis descriptionem claudimus.

ALTERA verò facies, quæ forum spectabat, eadem omnino structuræ formâ ac symmetriâ cum priore conueniebat. Nisi quòd tabernaculum super mediâ secundæ contignationis coronice, non in acumen, sed in hemicycli formam assurgebat, quod quidem spectantium oculis altero illo non paulò elegantius videbatur.

Illud verò pilis planis duabus sustentatum, ab areæ suæ parte superiori Phœbum & Dianam eodem curru vectos, quem equi duo candidi, totidemque cerui trahebant, viuis ac amœnissimis coloribus repræsentabat. Qui radiis insignes supra quidem nebulas à se, ac cum ipsis noctuas, vespertiliones, aliasque mali ominis & noctis aues, longè lateq; dispellebant. Inferiùs verò subiectos Belgicæ campos, squalidos & incultos magna ex parte, vbi videre erat diruta ac desolata templa, domos iacentes, alibi armatorum conflictus, cædes & rapinas, paulò altiùs raras in mari naues, omniaque ibi prædonibus infesta, flammis suis benignè illustrãtes, ac veloci iugalium cursu descendentes; restituere illico ac reparare velle videbãtur. Ibi in solâ rupe sedebat virgo, quam Belgicam esse turrium oppidorumq; corona, & leo custos additus satis declarabãt. Hęc in illustri sed semilacero amictu, lacrymis suffusa, ac passas manus, oculosque in cęlum tollens, Alexicacorum suorum opem iampridem implorabat. Leo ipse Nymphę indiuiduus comes, è Dominę sinu in pedes assurgens, ac velut subsiliens, Principum nouorum aduẽtu non parum exhilarabatur.

Ad vtrumque Tabernaculi latus Archiduces ipsi in equis niueis, quo vultu ac habitu Valentianas suas aduentu primo, eodem ferè in tabulâ excisâ depicti, spectantium oculos mirum in modum reficiebant.

In extremitatibus Obelisci duo, quatuor globis innixi, in stylobatis suis similiter considebant, ac ampliore inferioreque sui parte sceptrum habentes cum oculo, Belgicæ nostræ felicitatem Hieroglyphicè denotabant, quæ tot annos Principibus suis viduata, ac in varias calamitates ob id coniecta, noua iam secula ab ipsorum præsentiâ sibi pollicetur.

Super tabernaculi pilas in acroteriis suis, à dextris quidem Belgicæ simulachrum, cui leo erectus blandiebatur, signum militare Romanum dextrâ præferebat. In cuius summitate, ciuicæ coronæ adscriptum:

A sinistris verò Dea Felicitas, vnâ manu caduceum, alterâ copiæ cornu tenens, simili signo militari innitebatur. In cuius item summo, quercea corona hæc verba continebat:

SECVLI FELICTAS.

At in tertio Acroterio supra Hemicycli fastigium, eadem Spes dea, quæ in alterâ facie florem ac triumphale sertum dextrâ cum iisdem elogiis, alterâ vexillum è serico coccineo sustinebat, in quo ab vtraque parte Archiducum insignia vndiquaque conspiciebantur. Sub coronice verò illa, zophorus ipse quatuor columellis planis distinctus, tribus abacis siue quadris insigniebatur, quorum minora duo, in extremitatibus Principum insignia, in serto laureo, auro & argento collucentia, maius verò in medio hoc ogdoastichon continebat:

Quis nouus hic propior nos lustrat ab æthere Titan?
Quæ noua Belgiacas iuncta Diana vias?
Qui pleno orbe simul veniunt spondentq́; sine vllis
Deliquiis nitidos & sine nocte dies?
Illa dedit Phœbo milius splendere, sed & nunc
Illa nouum à sponsi lumine lumen habet.
Belgica sume animos, tibi nubunt astra, polisq́;
Missa, tui illa soli frena saliq́; tenent.

In columellis verò ipsis, quatuor virtutes ex ære depictæ cernebantur. Religio scilicet vestalis habitu Crucifixi imaginem complexa, ac librum sub ala premens, cum templo ad pedes. Inde Pax quam oleæ ramus ac cornices in sinu geminæ satis designabant. Subsequebatur Iustitia, quæ dextrâ strictum ensem tenens quem medium obibat laurus, pœnas flagitiosis, & sua bonis præmia proponebat. Claudebat agmen Charitas, ab alludentibus puerulis, ac corde aperto, quod læuâ protendebat omnibus notu facilis: quas virtutes cum sororum agmine ab exsilio lõgo reuocatas Principes secum in Belgium reducunt.

In zophoro primę contignationis geminata Ducis Arschotani insignia, supra verò fornicis portæ medianæ cuneos, ciuitatis nostræ in laureis sertis eminebanr.

Super cuius portæ curuaturâ in angulis suis triangularibus, Nymphæ duæ vnâ manu cornucopiæ, alterâ vuas, ac spicarum manipulos gestantes incumbebanr.

In columnarum interstitiis sub epistylio, hæc epigrammata in tabulis continebantur. A dextris quidem Latinum:

Belgica quæ Domini conspectibus orba iacebat
Squalida, & in busto penè sepulta suo:
Aspice vt illa suæ flammis rediuiua Dianæ,
Et radiis Phœbi fulgida tota sui est!

Gallicum à læua oculati sceptri Hieroglyphicum explanabat:

Vous r'aurez donc l'oeil heureux de vos Princes
Tristes Belgeois, & l'Amour & la Foy,
Paix, Pieté, la Iustice & la Loy,
Et tout bonheur reuoiront vos Prouinces?

Ergo Ducum faustos iterum spectatis ocellos,
Et vos rursus Amor, Belgæ, Pietasq́; reuisit,
Iudicium, Lex, Prosperitas cum Pace Fidesq́;?
Mutetur tristis facies, in gaudia luctus.

Anguli triangulares (qui supra minorum portarum peripheriam) leonum capitibus, columnarum verò stereobatæ, pluribus cygnis natãtibus, vt in altera facie, decorabantur.

Restat vt quis fuerit portarum interior ornatus, paucis explicem. In medianæ quidem portæ transitu, Diui Maximiliani Archiducis pòst Imperatoris eius nominis I. & Mariæ Burgundæ Caroli Audacis F. ipsiusvxoris, Belgicarum prouinciarum hęredis, sui seculi

habitu, exaduersò verò Archiducum nostrorum effigies, staturâ omnes iustâ ad viuum depictæ, in loculamento quæque suo ab introeuntibus aspiciebantur. Qui quidem ita iudicio compositi, quod nostros, similibus ferè quo illi temporibus, afflictissimis scilicet, ne dicam deploratis, ad Remp. accedentes, sed non minùs virtutum, quàm ditionum hæredes, eundem propterea in rebus exitum, felicem & tranquillum, breui sortituros, non temerè auguramur. Quod & epigrammata ipsis subscripta magis indicabant. Sub Maximiliano quidem ipsiusque coniuge:

Debile principium, cursus virtute secundos,
Belgiaca Cæsar Virginis vltor habet.

Sub Principibus verò nostris, quos elogium alloquitur:

Este igitur (Parcæ hoc Alberte Isabella canebant)
Vt virtute abauis, sic quoque sorte pares.

Atque adeò in medio lacunari sol egregius, radiis suis longè lateque diffusis nebulas omnes discutiebat.

Latus verò sinistrum portæ minoris, illius quæ ad læuam erat à via Cameracensi ingredientibus, hac inscriptione Principes aduenientes excipiebat:

RECREATE ASPECTV VESTRO, Ô EXOPTATISSIMI PRINCIPES, ALBERTE ET ISABELLA PAR NOBILE CONIVGVM, TOT IMPP. TOT REGVM, MAXIMORVMQVE PRINCIPVM, BONO REIP. NATA PROGENIES, RECREATE VALENTIANAS VESTRAS, VNAM E PROVINCIIS BELGICIS, SI NON DITIONIS AMPLITVDINE, AT FIDE ET AMORE DEVOTISSIMISQVE OBSEQVIIS RELIQVARVM NVLLI CEDENTEM, REDAMATE, FOVETE, AB INIVRIIS VINDICATE. SIC VOBIS, LIBERIS, POSTERISQVE VESTRIS, FELIX AC ÆTERNVM STET ISTVD IMPERIVM.

E regione inscriptionis illius ad dextrum portæ latus, in æneo monochromate, Scaldis fluuius, humanâ staturâ & formâ, Valētianas ipsas ad vrbis similitudinem lateri suomolliter incumbentes, aquis ex vrna profluentibus largiter proluebat. Neptunus verò nauis puppi insidens, tridentemque quatiens Scaldis sibi charissimi aquas, à marinis æquabili fluxu non parum differentes, nauibus & velis plenas, quod illi hac in vrbe nostro bono primùm contingit suis cōsociari; in sinistri lateris angulo libens patiebatur subscriptum:

,SCALDIS PATER NEPTVNI BELGICI II. GENITVS.

Honorem scilicet primogenituræ Rheno fluuio modestè concedens.

Summum verò laqueare, Archiducum insignibus ex auro & argento in laurea exornabatur, ad quæ subsilientes quatuor grandes aurei leones (quod ciuitatis nostræ insigne) flores ore, ac primas nominum Principum nostrorum litteras A. I. tesserarum siue emblematum loco deferebant.

Alterius verò portæ minoris latus dextrum, Ciuitatis nostræ originem ac incrementa, simul & prærogatiuas legentibus hac inscriptione aperiebat:

VALENTINIANAS, VT TRADITVR, CONDIDERE GALLI SENONES, QVI BRENNO DVCE ROMAM CEPERE. RESTITVIT IMP. VALENTINIANVS I. POMERIIS NOVIS AMPLIAVIT AC A SE NVNCVPARI VOLVIT. POST HABVERE COMITATVS TITVLO SVB IMPP. REGVMQVE PATROCINIO SVI PRINCIPES AC DOMINI, INDE HANNONIÆ, INTERDVM FLANDRIÆ COMITES, PROVINCIAM PER SE AB OMNI ÆVO, A QVIBVS LONGA SERIE GENVS DEDVCENTES ALBERTVS ET ISABELLA FELICIORIBVS AVSPICIIS HVIC REIP. VETERA SVA IVRA LIBERTATEMQVE ÆTERNAM SPONDENT.

In latere

In latere opposito simili monochromate æneo adumbrati, hinc Brennus Gallorum Senonum Dux, inde Valentinianus I. Imp. Romanâ panopliâ ac laureis Imperatoriisque baculis ambo insignes, super erectâ basi in equis cōsidebant. Subscriptū illi in stereobate:

BRENNO CONDITORI.

Huic verò:

VALENTINIANO RESTITVTORI.

In medio fornicis laqueari ad Archiducum insignia, quatuor candidissimi olores, alterum ac vulgo notius vrbis insigne, flores similiter, ac easdem primarum litterarum tesseras siue ciffras, volitantes deportabant.

ABSOLVI arcus prioris descriptionem, ad alterum qui in egressu fori, cum Principibus nostris accedo.

Sed porticus nobis primùm decurrenda, quæ ab arcu vno ad alterum quàm longè forum in longitudinem patet ad D. pedes protensa, ad latitudinem pedum XL. ab vtroque latere centum plus minus vtriusque sexus hermis siue terminis, decem pedes à se inuicem distantibus magno funalium superinfixorum numero illustrabatur.

Sed paulò tamen aliter à nobis constitutum fuerat: nempe vt porticus illa, quâ à fabris & agalmatopœis, qua à pictoribus elaboratior, in funalium capulis, Valentianorum ordine Principum imagines, ad viuum quoad eius fieri posset, expressas, illorumque titulos & nomina, in altero verò porticus latere, singulorum insignia è regione contineret. Initio ab aliquotè Valentianorum Comitum postremis sumto, donec per Hannoniæ, Flandriæque Comites, Bauari sanguinis Duces, inclytamque domum Burgundicam ad Austriacos Archiduces, Principesque nostros deueniretur. Quod & aspectu iucundum, & ad indicandam ciuitatis nostræ prærogatiuam (quam importunè nimis, prorsusque ἀνιστορικῶς in dubium aliqui reuocare, nosque, si diis placet, in ordinem redigere conantur) in tanta Nobilium exterorumque frequentia maximè pertinebat.

VALENTIANAS enim (Valentinianas meliùs dixêre vetustiores, integro nec acciso restauratoris Valentiniani nomine, vulgus ad vallem Cygneam lubentiùs alludit) ab omni antiquitate prouinciam ac ditionem peculiarem fuisse, propriisque Dominis ac Comitibus paruisse, emtione demum ad Hannoniæ Comites deuenisse, ac si ex his aliqui Impp. Regúmve beneficio aut quouis alio iure antè habuere, seorsim ab alia omni ditione habuisse & possedisse, ex historiis & annalibus, publicisque ciuitatis nostræ monumentis haud difficulter probari potest. Nec grauabor in tui gratiam, amice lector, si hæc ignoras, ac legere graue non sit, à materia nostra paullulū digressus, nec ἀπροσδιονύσως equidem, in vrbis etiam nostræ honorem his describendis nonnihil immorari. Dum Principes emenso ferè medio vrbis spatio, lymphis nouis, ac vino suaue-rubenti, ex eodem fonte ad ipsorum aduentum variè erumpentibus, obiter se reficiunt, cygnosque infrà nantes, læti contemplantur. Faciam etiam ampliùs, arreptaque tam illustris festiuique otij opportunitate, non tantùm præclarissimorum maiorum suorum, Dominorum nostrorum successionem, sed & Ciuitatis mores & instituta, Principes edocebo. Illiusque causam apud ipsos agam, ac cum aduersariis vmbratiliter præludam, vt æquiores illi nobis iudices hoc veluti præiudicio sint, certè ad audiendum paratiores si quando seriò, atque aperto Marte coram ipsis depugnandum nobis sit. Nec tecum tamen, ô Hannonia (præfandum enim) nobilissima Prouinciarum Belgij, nobisque meritò semper colenda, hîc congredior: pro qua tanquam altera patria quicum tam varia nobis necessitudo, sanguinem libens effundam; sed cum ministrorum tuorum nonnullis, qui cetera magni viri, in hoc certè κακοὶ γείτονες, quòd Ciuitatem amicam, quam tueri magis debuerant, tam acriter & acerbè semper exagitent. Quibus si respondeo ac dulcissimæ patrię dignitatem, quam Prouinciam asserimus ciuiliter defendo, non valde, credo, indignabuntur. Nam Henricum laudant Annales Valētianarum Comitem, vt pergam quod cepi, qui à VValtero Montium siue Hannoniæ Comite de principatu deiectus, à Pipino Francorū Rege

restitutus,

restitutus, an quia Austrasiorum etiam Princeps, Marchionatusque S. Imperij ad Scaldim quorum pars aliqua Valentianæ? post mortem hæreditatem suam inter proximos controuersam reliquit: qui dum disceptant, varij sub eodem Pipino, ac Carolo Magno Imp. Pipini F. inter quos Albo vnus Austrasij sanguinis, quem & Manassem dicebant, Retelij & Iuoij Dominus, inde Montium iure vxorio Comes, ditionem administrauêre. Rediit mox ad legitimos hæredes: qui omnes sub Regibus Imperatoribúsve in quorum erant clientela tanquam proprio & speciali Dominio Valentianis imperitarunt, nec præter magnos illos superiorem vllum agnoscebant. Dixi ergo antè aliquid de Austrasiis. Nam & Pipinum Heristallum habeo Austrasiorum Ducem, Ansigisi nobilissimi Belgarum, Marchionis S. Imperij ad Scaldim, F. Pipini Regis auum, Austrasiorum Principem Valentianis bello pressis auxilio venisse: & extant adhuc Lotharij litteræ, Ludouici Pij Regis & Imp. F. cui cum Imperio Austrasia Regni titulo inter fratres sorte obuenerat, Valentianis datæ in palatio suo regio, in quibus San-Dionysianorum Monasterio bona ac hæredia varia hîc sita conferebat, inter quæ fortasse (vt hoc obiter dicam) ædes illas, quas à San-Dionysianis diu possessas, nostris illi A. 1376. vendiderunt, ac Curiæ San-Dionysianæ nomen adhuc retinent, vsibusque seruiunt illorum, qui operibus publicis à ciuitate præficiuntur. Vnde ad Austrasiam illam, quæ excusso per vniuersum Belgium Romanorum iugo, Francorum auspiciis à Mosella ad Rhenum, indeque ad Albim vsque longè lateque procurrens, Belgicamque nostram magna ex parte complectens, post Lotharingia à Lothario dicta, Rhenoque & Scaldi circumcisa, sub Germanis Impp. etiam diuisa, ac angustius terminata est, Valentianas aliquando pertinuisse, certè nobilissimos illos Principes, Marchionesque ipsos S. Imperij ad Scaldim Austrasiis antiquiores, si historicis credimus, qui ad Imp. Iustinianum originem suam referentes, per medias Valentianas ad mare vsque dignitatem illam protendebant, Comitibus nostris magnos amicos ac protectores etiam & patronos fuisse, ex his quæ dixi quæque auctores prodidere, non vanè affirmari potest. Nec aliter illi de Valentianis locuti, quàm de proprio quidē & speciali Dominio, sed quod Lotharingici iuris ferè censeretur. Hinc Notgeri Leodiensium Episcopi, Epitaphium insigne, quod ad D. Ioannis Euangelistæ Leodij adhuc exstat, qui Diuo Henrico II. Imp. Valentianas, quas Balduinus Barbatus Flander inuaserat, armis asserente, expeditionis illius comes fuit, in Marchia Franciæ & Lotharingiæ sitas dicit: propter Scaldim scilicet, qui medias interfluens, Imperij & Regni vulgatus ea tempestate limes habebatur. Sic & Sigebertus loquitur, sic & probatiores quique Annalium Historiarumque scriptores, nec vllus, nisi cui ineptire decretum, in Hannonia illas vnquam posuit. Sub annum ferè DCCCCL. Regnerum I. Lōgicollum reperio, Montium siue Hannoniæ Comitem, expulso Henrico altero, Valētianarum Comite legitimo (vti nunquam non auidos accendebat tam insignis in propinquo præda) vi & armis ciuitatem occupasse. Sed mox ab Othonis I. Imp. ducibus, prælio magno prope Valentianas ipsas fusus ac fugatus, inde in exilium cum liberis actus, ditionibusque omnibus exutus propter spiritus inquietos, imperandique libidinem, ac animi impotentiam, decreto Valentianis in arce Imperiali promulgato, in ius vocante, contraque contumaces sententiam ferente Brunone Archiepiscopo Coloniēsi, Augusti fratris vicario, Lotharingiæque Archiduce, ne Valentianis quidem vsurparis diu potiri potuit. Reuersi post patris mortem ab exilio liberi, & Hannoniæ suæ Francorum armis restituti, Regnerus II. Montium, & Lambertus vxorio iure Louaniensium Comites, à Garnero Valentiano, Garneri illius, qui & Hannoniæ ipsi Imp. beneficio, eiectis illis, antè imperitauerat, à fratribus post reditum in acie cęsi F. Valentianarum pecunia sibi compararunt: quas vix possessas Godofredum Arduennatem statim habuere, qui iure retractus repeteret, quem & Arnoldus Iunior, Flandriæ Comes fortiter adiuuabat, & acre bellum Hannoniis inferebat. Et Godofredus Valentianus Garneri Comitis propinqui sui venditionem impugnans, Principatum inuasit. Quin & Balduinus Barbatus IIII. eius nominis Flandriæ Comes, Arnoldi F. incertum quo iure, nisi quòd Imperatoribus iniquior, ac finium etiam dilatandorum apprimè cupidus, eiecto priùs post arctam Valentianis obsidionem Arnoldo Valentiano,

qui post

qui post Godofredum Valentianum iure sanguinis & nominis imperium obtinebat, armis Valentianas sibi asserebat. Sed aduolat, ecce, Henricus II. Imp. qui graui bello vsurpatorem persecutus, frustrà tamen tentatis ab Imp. Valentianis, quas cum arce Flandet egregiè tutabatur, vastatâ Flandriâ, ac aduersis prœliis fractum, ad petendam pacem Balduinum coëgit: quâ compositâ & Valētianas ille Imperatori restituit, & ab ipso qui Principis adolescentis virtute non parum delectabatur, easdem dono accipit beneficio Imperiali certis conditionibus perpetuò possidendas: quarum hæc fuit vna, vti cum certo militum numero, quoties opus foret, ad Imperatoris iussum ipse eiusque eâ in ditione successores præsto semper essent. Donec Regnerus III. Hannoniæ Comes ius auitum persequens, siue pacto siue pretio à Balduino eas reciperet. Non admisit tamen Hermannus Valentiani sanguinis Princeps, qui maiorum suorum hæreditatem è familiâ exire non passus, ciuitatem possidebat, nec à Regnero ipso, nec à Richilde Comitissa Regneri F. & hærede, quæ vix tādem obsistebat, ab imperio deturbari potuit. Itaque post illius demum mortem absque liberis, sed non antè tamen, quàm ab eius hæredibus ceterisque ius omne quod eâ in ditione sibi vendicabant, pecuniâ denuo redemisset (vnde & primi Valentianarum emtores illa cum Hermanno Turingo marito, à nonnullis commemorantur) liberam & tranquillam successoribus suis Valentiani Comitatus possessionem reliquit. Arcem tamen (Romanorum opus, in qua Vestalium sedes & ædes; pòst auspiciis melioribus in ptochotrophium commutatæ) adhuc obtinebant, non muneris tantùm, sed & Dominij iure Castellani: quorum aliquos, siue quòd ex eadem gēte essent, siue certè Comitum Valentianorum hac in parte hæredes, quòd arcem Valentianam venditores nominatim semper excepissent (quod & Annalibus proditum) Valentianos & ipsos cognominatos aliquando, reperio. Illorum postremus Godofredus Valentianus, (Bouchanium cognominant Annales, cuius vrbis castellatum etiam possidebat) Godofredi Castellani ex Iolentâ Vassemburgiâ Balduini II. relictâ F. Balduino III. fratri vterino Hannoniæ & Valentianarum Comiti, vnicè illud ambienti, arcem Valentianam cum omni Castellanatus iure vendidit. In qua cùm ille pro insitâ ædificandi libidine (vnde & Ædificatoris agnomē) palatium sibi amplum à fundamentis excitare, & diui Ioannis Baptistæ monasterium à Theodorico Rege ibi constructum, à Pipino auctum, dum Valentianas & arcem contra VValteri Hannonij iniurias munit & tuetur, aliò transferre contendit, obstitit Gilbertus summæ virtutis secundus canonicorum Regularium Abbas (nam antè canonici sæculares, sub Theodorico moniales inhabitabant) neque minis vllis aut terroribus, ne exilio quidem suo suorumque, vti Principi cederet (sicut nec Ioui olim Terminus) compelli vnquam potuit. Itaque coactus ille areâ ingenti in alia vrbis regione ad Scaldim à Sancti-Saluianis comparata (Prioratus est Ordinis Cluniacensis ad læuam viæ Montensis, semi-miliari ab vrbe, antè verò Canonici inhabitabant ob honorem & memoriam diui Saluij, propè Valentianas nefariè interempti ac eò relati, ab Imp. Carolo Magno primùm restituti) dum ibi palatium inauspicatò exædificat (quod aulæ Comitis etiamnum nomen retinet) tabulati ruina coxâ & crure confractis, egregius Princeps viuere simul & ædificare desiit. Ab illo ergo primùm tempore Valētianarum Imperium Hannoniæ Comites vniuersum obtinuêre. Sed non Hannoniæ pars illa propterea, non magis quàm Hannonia ipsa, ad Flandriæ Comites iure dotali vel successionis pòst deuoluta, Flandriæque copulata, Comitatus ac prouincia peculiaris esse desiit, aut Flandriæ vnquam adnumerata est. Quod & absurdissimum fuisset, & vt iure fieret, Domini Principisque supremi auctoritas, sed & populi ipsius ante omnia consensus, necessariò requirebatur. Referunt quidem iidem annales & manuscripti nostri, Richildem & Hermannum ex auctoritate Imperatoris, populorumque cōsensu, quo prouincias illas duas æterno pacis & cōcordiæ vinculo inter se magis colligarēt, ne quâ ratione aut titulo vnquam separari possent, decreto perpetuo se posterosque inuiolabiliter obstrinxisse, ac sanxisse vt ab vno eodemque Principe vtraque deinceps semper administraretur. Ea tamen lege ac conditione (hoc enim etiam addunt) vti sarta tecta nihilominùs, & illibata vtrique populo sua maneret auctoritas, distinctæ, vt antè, & diuisæ ditiones, iura, libertates, priuilegia,

 iurisdictio,

iurisdictio, nec alteri in alterum ius vllum esset aut imperium, sed duæ illæ prouinciæ, vtriusque bono, æquis fœderibus, & quemadmodum situ, societate & amicitiâ arctius coniunctæ, non permixtæ, non confusæ, sub vno eodemque semper Principe, nobili imprimis & potente beatius & tranquillius, securiusque deinceps agitarent. Sic & Hollandiam & Zelandiam similibus fortè pactis & fœderibus cum Hannoniâ copulatas, iurant, dum inaugurantur Hannoniæ Comites ex antiquâ formulâ se nunquam ab Hannonia disiuncturos. Non minus tamen quàm antè, iura sua, libertatesque, discretumque ab aliis prouinciæ nomen ac titulum vnaquæque conseruat. Quod si ita est (nec enim decretum, instrumentúmve publicum super hac re iactat vllus, nec huiuscemodi annalium aut manuscriptorum in re tanti momẽti satis idonea est auctoritas) perspicuum fit, quàm iniquè faciant, qui à pactis conuentis recedentes, molesti semper ac importuni nos turbant, non deturbant tamen ab eius possessione, quod inter omnes, apud ipsos maximè Principes, hęc ciuitas semper obtinuit. Consessumque suum inter reliquas Belgij prouincias, ab Hannoniâ ceterisque discretum, in omnibus Ordinum generalium conuentibus, nec in postremis quidem, cum iure suffragij, sententiæque dicendæ, absque controuersiâ in hunc vsque diem præclarè tuetur. Quin & ipsos Valentianarum emtores, Hannonię Comites, ab origine primâ, ac ab ipsis ceteros omnes hucusque Belgij Principes, Valentianorum Comitum, Principum & Dominorum nomen & titulum non fastidiisse, sed & frequentissimè vsurpasse in omnibus certè decretis siue diplomatibus, rescriptis ac litteris cõstantissimè, quoties res ita postulabat, addidisse, infinitis ab omni memoriâ monumentis nullo negotio probari potest. Balduinus ipse Richildis Comitissæ F. se Valẽtianarum Comitem simpliciter, neglecto Comitis Hannoniæ titulo iis in litteris nuncupat, quibus Hasnoniensium cœnobio moletrinam donat, vt pro patris & matris animabus Deum orent, Anno M. XXCVII. quarum hoc initium est, *Balduinus Valencenarum Comes, filius Balduini Iunioris, qui Philippum Regem regalis insigniuit militiæ armis*, &c. Alteras verò vbi Theodoricus Miles Abbatiæ Marchianensi, vbi corpora requiescunt Rictrudis & Eusebiæ, de bonis suis elargitur, ita exorditur, *Ego Balduinus Balduini Iunioris ac Richildis F. Comes Hannoniensium, Valencenensium, Duacensium, Austrouantium*, &c. *Anno* M. XXCIX. *Regnante Philippo Francorum Rege.*

Ac quamuis inter eius posteros, nonnulli prauis consiliis, nobis iniquiores, quòd ciuitas ab origine, Reip. quam Monarchiæ propior, in qua Comes Princeps fermè in Rep. tantum, noua asperioraque imperia vix ferebat, nullus tamen repertus inter illos, cui Valentiani Principatus nomen ac titulum exscindere aut cum Hannoniâ perturbare, vmquam in mentem venerit; quod post illos, nescio qui infirmis nixi fundamentis, frustrà hactenus tentauêre. Immo contrà, pagus de Lespaix, ab VVilhelmo Syluio loci illius Domino, ciue nostro anno M.CCCC.LXI. emtus, quòd vrbi mœnibusque nimis immineret, Philippi Boni Burgundiæ Ducis auctoritate & decreto frustra reclamãtibus Hannoniis, ac cælum terræ miscentibus, quòd prouinciam vnam dicerent, non rectè alterius damno locupletiorem & auctiorem fieri, ab Hannoniâ suâ in perpetuum diuulsus, ac vrbi suburbiisque adnexus & attributus, vt eiusdem iuris & conditionis cum illis esset, ciuitatis Valentianæ imperium & iurisdictionem agnoscit.

Quin priuilegia quoque nostra, prærogatiuas, libertates, immunitates, quamuis antiquata & accisa ex iis nonnulla, eximia tamen adhuc plurima, asseruêre illi nobis, quoties opus fuit, ac nouis litteris ac rescriptis, libentes confirmarunt. Illa non recensebo, iusti enim voluminis opus foret, vnum tamen non omittam, cuius & Guicciardinus meminit, Ius scilicet cudendæ monetæ, quod ab ipsâ ferè vrbis constitutione (initium enim ignoratur) adusque Maximiliani & Mariæ tempora minimè interruptum, Matris Monetæ, ad quam reliquæ omnes explorarentur, nomen accepit. Cui cùm Euerardum & Guilielmum Gardinios fratres ciues nostros, Philippus Bonus Dux Burgundiæ, anno M. CCCC. XXXIII. præficeret, sibi ius cudendæ monetæ ratione ciuitatis dominiíque sui Valentiani competere, disertis verbis in ipso statim initio præfatur, quod ex aliorum antè & post Principum litteris, eodem modo loquentibus confirmari adhuc potest. Sed & mone-

monetalium mandati tabulas, siue Commissiones inspicere, in publicos commentarios referre, legem monetariis monetæque ipsi dicere, ac constituere, explorare si proba illa & legi congruens, ipsorum præstationes omnes ex lege aut pacto recipere, & quicquid erat officinæ illius, ad Magistratum nostrum pertinebat. Hinc dicta Moneta Valenchenensis (testis numorum inscriptio) non propterea quòd hîc cusa, sed quia ex lege ciuitatis huius, quæ reliquas omnes bonitate superabat, qualémque dari sibi per vniuersum Belgium & longiùs, contrahentes plerumque stipulabantur. Notissimum etiam (sed quid inter mille vnum aut alterum exemplum aut titulum commemoro?) Iacobam Bauaram pro eodem Philippo Bono, cessione solemni prouinciis suis abdicantem, postquam Hannoniæ ordines, populúmque vniuersum à suo iureiurando exsoluisset, idem etiam nobis speciatim præstitisse, datis eadem forma ad Præfectum vrbi, Iuratos & Scabinos, communitatémque vniuersam litteris, quibus illos ab ea fide liberabat, qua ipsi tanquam Valentianarum Dominæ ac Principi, priuatim tenebantur. Ille verò aliquot antè annis, turbante Iacobâ à morte Ioannis Brabanti, primi mariti tutor siue curator ac Præfectus huius ciuitatis & prouinciæ à Senatu declaratus, laudauit ac tanquam proximum Hannoniæ, Valentianarum, reliquarúmque omnium Iacobæ ditionum heredem curatelam ac præfecturam illam se accipere, eóque nomine priuilegia libertatésque vrbis conseruaturum, contráque omnium iniurias asserturum, & propugnaturum, per litteras affirmauit. Rebus tamen anno insequenti M. CCCC. XXVIII. inter ipsos compositis, ac pace Delfis in Hollandia sancitâ, atque per prouincias omnes publicatâ, scripsit coniunctim vterque XIX. Septemb. fidem ipsis Valentianas, ac ictæ pacis iusiurandum dedisse, Iacobamque heredem quidem & Dominam, Ducem verò curatorem agnouisse, ac spopondisse se illi secundùm pacta obedientiam præstituras. Sed conuentis cùm non staret illa, meritò tandem, vt dixi, abdicare coacta est. Ac quidem cùm Principum nostrorum contractus omnes, certè qui alicuius momenti, pacta, fœdera, bellorum denunciationes aut susceptiones, pacis conuentiones, familiæ erciscundæ arbitria, aliaque omnis generis negotia præcipua, cum liberis, consanguineis, vicinis, exterísque Principibus, prouinciarum suarum litteris sigillo communitis, firmari ac sanciri, vsitatissimi moris esset, nostras illos quoque tamquam prouinciæ specialis nominatim semper expetiisse, ac suas vicissim dedisse, fraudi illud nobis libertatibúsque non futurum, fidem facient eius generis plurimæ, quæ in chartophylacio nostro adhuc asseruantur. Quinimo cùm Iacobus Auesnarum Dominus fœderi renunciaret, quod cum Philippo Elsatio Flandro contra Balduinum Hannoniæ & Valentianarum Comitem pepigerat, factum id solemniter, non coram Hannoniæ tantùm Paribus, sed & coram nostris, quos numero sex Valentianæ olim habuêre, Dominos de Prouuy, de Trith, Caudry, Fiasne, Preseau, & Iauce, insigni non singularis tantùm dominij, sed inclytæ nobilísque prouinciæ documento.

Quin exstat Latinè Guilielmi Hãnonij Austreuantij Comitis sacramẽtum, quod ipse equestri statim dignitate à Guilielmo Bono patre decorãdus, præeunte Episcopo Cameracensi, coram Hannoniæ & Valẽtianarum Paribus (ita disertè) in ipso D. Ioannis templo hac in vrbe A. M.CCC.XXXVI. præstitit, Heraldo nostro, cui ab ingenua liberaliq; vita Franche-vie cognomentum, vnico ceremoniarũ magistro, quamuis adesset Austreuantius Hannoniæ Heraldus, qui cum nostro per vias incedebat. Sed quid vetera persequimur? cùm oculis adhuc obuersentur solemnes illæ duæ Caroli primùm Quinti anno M. D. LVII. inde recentior Philippi Regis eiurationes, ad quas euocatas cum ceteris Belgij prouinciis Valentianas, sacramento priori liberari, ac nouum dare & accipere, quin legatos quoque suos faustis inde buccinatorum clangoribus ad consessum vsque suum, non minus ac reliquarum prouinciarum deductos, epulóque regali nuperrimè exceptos videre, qui adfuere omnes. Ac quemadmodum amplissimis priuilegiis, libertatibúsque nostris non gaudent Hannonij, ita leges habet proprias ciuitas nostra, ab Hannoniensibus longè differentes, quibus non ipsa tantùm regitur, secũdùm eos terminos & limites, (Banleucam vocant) quibus eius Asyliam Imp. Valentinianus, per stelas seu cruces lapideas olim circumscripsit (Ditio latiùs porrigebatur, restitutæ verò illæ à nostris anno

M. CCCC. XVII.) Sed & territorium amplissimum, quod quanquam in Hannoniâ maxima ex parte situm, vrbésque præcipui nominis complectens, sed & in Flandriam etiam excurrens, ab ipsâ leges & iura accipit. A cuius etiam sententiis in ciuilibus non ad Hannonios, sed ad Principem consiliúmque prouocatur, quod olim penes ipsum erat, nunc sedentarium ac perpetuum Machliniæ constitutum est, quod & per territorium illud vniuersum non ita pridem obseruabatur. Hinc præfecti Iuri dicundo, seu Magni Baillivi, cuius maxima apud Hannonios, nulla prorsus apud nos est auctoritas, vti nec supremi Senatus, qui Montibus sedens Hannoniæ vniuersæ absque prouocatione ius dicit. Vnde lege hîc non agunt iniussi, nisi in vincula coniici velint, Hannoniæ viatores seu apparitores, neque litterarum obligationes coram Hannoniæ Feudatariis hominibus conceptæ executionem vllam hîc habent. Habent verò nostræ per Hannoniæ tractum illum vniuersum, qui, vt dixi, Valentianas tamquam caput agnoscit (Chef-lieu vocant) quæ secundùm ciuitatis mores coram Iuraris nostris fiunt, prioribusque ex priuilegio antefetuntur. Neque Principis edicta ab Hannonia nobis, at à Principe ipso ad Præfectum Comitis Valentiani scilicet transmissa, à Magistratu pro rostris statim publicantur. Illius verò munus antiquissimum, cuius origo non traditur, nec paruæ in ciuitate auctoritatis, absque iurisdictione tamen aut imperio, in qua Magistratum ac inde Principem ipsum, summumque Senatum Machliniensem, vt nos omnes, non Hannoniensem resortitione agnoscit, foris tãtùm præfectum Hannoniis obnoxium habet, ratione pagorum in quos imperium ac iurisdictionem exercet, quod ad nos quidem nihil spectat. Cuius etiam Principis solius est, homicidij noxas remittere, ab exilio reuocare, quod per vniuersam Hannoniam ratione muneris, Magnus Bailliuus potest. Homicidij verò in Hannonia, non minùs quàm alibi commissi rei, sed & exsules quibus totâ illâ prouinciâ interdictum à Magistratu admissi, Valentianis tutò ac securè habitant: vti & ære alieno grauati vndecunque ad nos tamquam ad certissimum miseriæ asylum cõfugientes, à creditoribus apprehendi, aut in vincula coniici non possunt. Sed etsi Valentianum ciuem extra ditionis nostræ limites Hannonius occiderit, ciuitatis habitationem ipso facto ex priuilegio in perpetuum amittit; at non contrà, si Hannonium extra prouinciam illam Valentianus, Hannoniâ ipsi propterea interdictum est. Neque hic in peregrinorum siue Aubanorum, Nothorum, seruorum bona tamquam caduca ius vllum emortuarum manuum Quæstori quem vocant, neque potiorem ille supellectilis partem à morte desumit, à quibus, omníque aliâ pontium, viarum, similiúmque pro mercibus seruitute, tam erga Principem ipsum, quàm alios quosuis vicorum aut locorum dominos, quibus ius idem competit, manu asserti sunt ac liberi non ciues modò, sed & incolæ nostri omnes, certè qui annum integrum apud nos habitauerint, siue Valentianis illi (quod ad Quæstorem quidem illum attinet) siue etiam fortè in Hannonia fato suo defungantur. Sed neque illi nisi per litteras priuatim ipsi, ac nomine proprio coram Hannoniæ Feudatariis viris obligati, aut obligatorum coniuges, debitorum suorum ratione in Hannonia capi aut detineri, immo nec in bonis impediti, extra ve forum suum conueniri possunt, in qua etiam qui hinc exulant, tutò commorantur. Exiguum est quod sequitur, Valentianas tamen ab Hannonia manifestè disiungit. Missis ad res inquirendas cum Actuario ab Hannonia duplicari salarium cùm extra prouinciam proficiscuntur: duplicari cùm Valentianis inquirunt, quod quidem non nisi consentiente Magistratu ipsis licet. Similiter & olim, quando grassantibus per prouinciam factionibus & latrociniis, Hannoniis edicto vetitis, arma gestare non licuit, licuit vbique semper Valentianis, in quo cùm turbaretur, non vnis rescriptis Principes asseruere. Fallitur verò Guicciardinus Belgiographus, qui aulam Comitis, vbi Principis palatium (quam etiam non rectè pro veteri illa imperiali laudat, quæ in alia vrbis regione sita olim, hæc verò recentior, & Balduini ædificatoris in solo acquisito opus) in Hannonia ponit, ac ab omni Valentiani Magistratus iurisdictione malè persuasus, liberam esse cẽset, quorum prius ridiculum, tamquam si aulam Bruxellensem in Flandria cõstituerem, alterum falsum prorsus, cùm loci illius non secus ac reliquarum vrbis regionum inquilini magistratus nostri, ciuitatísque imperium agnoscant,
illo-

illorúmque legibus ac edictis teneantur. Itaque lege hîc agunt Iustitiæ Valentianæ ministri ac viatores, nec nisi Principe præsente, Magistratus nostri iurisdictio, iudicatíque executiones eo in loco intermittunt. De Arce verò illa siquis quærat, quæ perpetua inter Principem, maioresque nostros contentionum seges, ad vrbis mœnia, quà Austreuantium spectant, foris excitara, pòst diruta, ac solo æquata, vrbíque ac mœnibus adnexa, Castrum Comitis etiamnum appellatur, recentiórne sit, an verò vetustior, Imperialísque illa fortassis, certi nihil habeo impræsentiarum quod dicam. Non rectè etiam Hannonij feuda, quæ hac in vrbe Comiti suo subiiciunt, cùm certum sit sub Comitis Dominísque Valentianarum, veterísque Castri siue arcis patrocinio, à priuatis illa possideri. Sed, ecce, iustam ipsi oppugnationem instiruunt, tribúsque præcipuè arietibus vrbis mœnia quatiunt, quo aditum in ea sibi patefaciant, nósque, si diis placet, Hannoniæ adiudicent. Supremum suum Bailliuum dicũt, quemadmodum in reliquis Hannoniæ vrbibus, Valentianis quoque nominarim in commissione expressis, Magistratum quotannis renuntiare. Propositiones hîc à Principe, ipsiúsve legatis non fieri ac adesse nos in Hannoniæ ordinibus, vbi siquid Principi decretum ad sexram donarij ipsi dependendam teneri necessariò. Quos ictus, vt vanos & irritos, breui temporum quæ distinguo, rationúmque obiectu, ludens excipiam, aut obuersa tormenta in ipsos retorquebo. Nec calumniatorem agam, sed veritate dictante, quid factum olim, quis mos iam inualuerit, sincerè profitebor. Valentianas Principis nomine iam regit, & diu regat Illustrissimus Croy Dux & Arschoti: rexêre ante eum plures, quorum omnium commissio prouinciarum Hannoniæ & Valentianarum Gubernatores & Capitaneos generales disertè ac distinctè ipsos constituit (quamuis & Capitaneus specialis non raro datus nobis) atque hac in ciuitate priuatim iusiurandum dicunt. Curant illi quæ ad vrbis tutelam & custodiam, cõseruandámque supremam Principis auctoritatem & maiestatem imprimis pertinẽt. Idem summi Hannoniæ Bailliui magistratu fungirur, qui eâ in prouinciâ ius dicit, & ciuilia tractat (diuersum enim à priote munus ac diuersis frequentius demandatum) quem nulla ex parte ciuitas nostra agnoscit; qui si sacramentum, mox vt iniit, præstare hic solitus, ratione priuilegiorum nostrorum factitatum ac institutum olim id fuit, quę per Hannoniam vniuersam plurima vim habet, ac illa non violari ex communis Principis sciro, ad ipsum cura & cautio præcipuè pertinebar. Nec ratione muneris quod Hannoniæ suę fines non transgreditur, vt & antè dixi, Magistratum hic creat ad Idus Maias, sed specialis mandati auctoritate, quod olim renouandum quotannis, pòst Commissioni generali, quo minùs molestum esset, captiosè tamen Valẽtianas Hannoniæ vrbibus admiscentes ministri ius illud inserendum curauêre. Qui si venire non liceat, alium ipse sibi non substituit, quod per suam Hannoniam potest, sed illud in arbitrio Principis omne positum est, qui & negotium illud olim non raro aliis committebat. Hannoniæ tamen Bailliuo sæpius, quod nobis vicinior, & huic muneri commodius vacare, & qui ad Magistratum magis idonei, facilius sententiam ferre poterat. In manibus sunt notissimæ illæ Ioannis Auesnensis anni M. CCC. II. litteræ, inter cetera plurima, creandi Magistratus formam & diem certum præfinientis (antè enim neque status ille, & modò Magistratum totũ Princeps, modò partem continuabat, destituebat, sufficiebat pro arbitratu, non vmquam tamen perpetui illi, non præfectus ipse, quod Guicciardino impositum) *Volumus*, inquit, *atque edicimus ad Idus Maias quotannis fieri scabinos à nobis, aut ab illo è nostris, qui cum litteris nostris adueniet, neque eorum vlli ante triennium pateat ad honorem illum reditus.* Itaque non Hannoniæ Bailliuus, sed Principis commissarius, quicumque tandem ille sit, magistratum nobis instituit. Quod idem de eo dicendum, qui audiendis Quæstorum nostrorum rationibus, vectigaliúmque præcipuorum, in quibus partem suam Princeps haber, addictionibus à Principe præficitur, aut ex mandati amplioris auctoritate, alios qui id muneris obeant, ipse substituit. Ac quidem Magistratus nostri tanta fuit olim, & esse adhuc debet auctoritas, tamquam si statim vt creatus, iurisdictionem omnem suam Princeps & potestatem in ipsum transtulisset, vt solus de ciuium suorum & incolarum capite & fortunis cognoscere, non Princeps, saluâ priuilegiorum nostrorum auctoritate,

 illorum

illorum caufam ad fe euocare vllo modo poffet. Itaque Gulielmus Comes, Gulielmi Boni F. cùm in ciues primarios aliquot propter factiones, & malè adminiftratam Rempub. animaduertere, ac exemplum infigne citra mortem tamen in illos ftatuere animum induxiffet, noluit ipfe, ne priuilegiis derogaretur, at vt hoc facerent & cauffa cognita lege & iudicio in eos dicerent, lege agerent, Magiftratum ipfum rogauit, propterea quòd Valentianæ ciuitati, tamquam prouinciæ & Dominio fpeciali, prima in ciues fuos & incolas, principibus fumma tantùm & vltima, tamquam legitimis & directis illius Dominis, fiquis fe iudicio malè acceptum conquereretur, cauffarum cognitio competeret. Quod nequis facere ac ad Principes vllam ob caufam confugere auderet, cùm fub grandi mulcta in Magiftratu fuo, edicto illi vetuiffent, non abs te Principis iras in fe concitarunt.

In hanc formam ille fuis litteris 2. Ianuarij A. M.CCC.XXXVII. quæ propterea Reforticionis appellatur, fic & poftea A. M.CCCC.LVII. Ioannes Partitus quòd cum collegis Præfectus vrbi cùm effet ciues duos in exfilium eieciffet, propterea quòd ab ipfo læfi ad Principem retuliffent, exfilio ipfe perpetuo mulctatus, bonifque omnibus, quæ Principi & ciuitati adiudicata, ac honoribus, vegete Philippo Bono Burgundiæ Duce, Magiftratus fententia exutus fuit. Cumque anno præcedente idem Philippus, pœnam quam corpore mereri videbatur Ioannes Salmo, Prætorij Pannarij fiue Halle-baffæ Maior, quem vocant, propter admiffos vitiofos pannos, in pecuniariam commutaffet, intercedente propterea Magiftratu, quòd ad fe vnum ius illud pertinere, ex priuilegio contenderet, litteras ille dedit 26. Septemb. A. M.CCCC.LVI. damno id illis, libertatibufque fuis, ac præiudicio minimè vmquam futurum. Melius Maximilianus Cæfar, qui litteris 15. Ian. A. 1484. ad Magiftratum fcriptis, *Caufam*, inquit, *Simonis de Kieuraing, & Ioannis Vredely ciuium veftrorum coram nobis difceptare volentium, ad vos reiicio, ad quos fcio ipforum, fimiliumq. omnium cognitionem primam pertinere.* Cui etiam A. 1488. Martinum Behagne ciuem noftrum per litteras depofcenti, quòd hoftes commeatu iuuiffe, ac de fe contumeliosè loqui diceretur, refpondit Magiftratus, aduerfus libertatem ciuitatis illud fore, quæ de ciuibus fuis cognofcit & ftatuit, reforticione dumtaxat, fi iniuriam fibi factam dicant, Principis tribunal agnofcentibus. Itaque Ioannis Brunelli ciuis præcipui, non vnius criminis rei, in quem inquifierat, ad magiftratum fe cauffam remittere, iuxta ciuitatis leges ac iura per litteras 6. Maij A. 1493. idem Princeps poftea refcripfit. Hinc homicidij remiffiones, exulum reuocationes à Principe impetratæ non priùs ratæ funt, quàm Magiftratus gratiarum illarum auctor factus, caufsâ cognitâ, rectè impetratas videri, lege ac iudicio pronunciauerit. Pro priuilegio verò, lege, ac confuetudine habendum, quamuis fcripto, aut principum litteris minimè cōfirmatum, quicquid ita effe feptem fcabini, vno confenfu atteftati fuerint. Standùmque tali iudicio Principi, etiam in rebus inter ipfum & ciuitatem controuerfis, atque ita ab omni antiquitate vfu receptum, & obferuatum fuiffe, iifdem Ioannis Auefnenfis A. 1302. fed & alteris Alberti Bauari A. 1396. litteris exprefsè continetur. Dicamne in tranfcurfu, non nifi à 200. ferè annis, Montibus ipfis Comitum beneficio cōceffam capitalium rerum cognitionem, fupremamq. Iuftitiam quam vocant, necdum adhuc reliquis omnibus Hannoniæ ciuitatibus, quarum maiori parti magiftratus fpecialis, cui ius vitæ & necis, loci gubernator plerumque à Principe præficitur. At illud omne ab omni æuo fine prouocatione habent Valentiani, nec auctorem aut principium vllum agnofcunt. Quid? quod olim, fi quis exterus ciuem occidiffet, verberaffet, aut iniuriis affeciffet, ex antiquiffimi priuilegij auctoritate, litteris Balduini Comitis & Iolantæ vxoris, quam Chartam pacis vocant, A. 1114. Alberti Bauari aliorumque confirmati, moris erat præconio ad cauffam dicendam euocari, diem capitis ipfi dici, in vincula coniici, fi fe iudicio fifteret, in corpore, pecunia, peregrinationibus, exilio perpetuo, aut ad tempus mulctari, domum ipfius plerumque, fi quam intra ditionis fiue pacis Valentianæ (fic enim vocabant) terminos habebat, à populo in armis, cum vexillis, tentoriis, tormentis bellicis, cibariis ac commeatibus tamquam ad bellum, Magiftratus ductu foras prodeunte, à fundamentis dirui, aliifve pœnis aut expiationibus adiudicari, quæ exempla in cōtumaces magis edebantur. Neque id hominibus tantùm è vulgò, fed è prima-

primariâ nobilitate viris, opibus & potentiâ celebratissimis, qui magistratus iudicium subire, quàm populi iram experiri sæpius malebant. Quod si qui peruicaciores diuitiis & clientelis freti bellum præoptarent, Principem illi frustrà inclamabant, qui ciuitatis suæ libertatem euerti aut labefactari non facilè patiebatur. Litteris tantùm plerumque magistratum populumque monebat, vt iure suo ciuiliter & moderatè, quantum fieri posset vterentur. Sed nimia illa populi in diruendis domibus licentia, quæ ratione sisti ac temperari plerumque vix poterat, Philippi Boni decreto aliquantisper suppressa, pòst ciuium consensu consuetudo illa prorsus antiquata & abrogata est. Quod & de duellis factum, quæ cædis purgandæ, iuréne facta an secus, ex antiquissimæ consuetudinis auctoritate, cui Principes refragari non poterant, magnis apparatibus ac ceremoniis ad annum vsque 1455. exerceri solita, sub eodem Philippo Bono, qui postremum illo anno præsens inspectauit, vnà cum Carolo Carolesij Comite F.aliisque proceribus & dynastis, ab Oliuerio de la Marche amplè descriptum, tacito omnium consensu in perpetuum damnata ac sublata fuere. Exstant tamen, ac pugnant etiamnum in saxo Monomachi illi nouissimi, cum claua & scuto ingēti quisque, nudisque capitibus in templi diui Gaugerici propylæo, quod tum erigebatur, scitè efformati, ne antiqui moris ac priuilegij memoria tempore prorsus interciderent. Neque Principes nostri, Principes tantùm & Domini, sed & Reip. nostræ protectores, priuilegiorumque ipsius & libertatum confirmatores speciali titulo dici & audire amabant, quo nomine quingentas à ciuitate libellas nostrates, honorarij loco annuatim sibi dependi patiebantur, aut certis hominibus distribui, qui hoc titulo velut auctoramento Valentiani Dominij beneficiarios se, ac tamquam Feudatarios profitebantur, quorum plures apochæ apud nos adhuc exstant. Vnde liquet quàm hallucinati illi, qui aliam nescio quam huic pensioni, quæ iam in Principis dominium transiit, caussam & originem quæsiuêre. Faustissimi Principes, Alberte & Isabella, acceptum à præclarissimis maioribus, cum principatu, & honorario, exiguo illo quidem patronorum vestræ vrbis titulum, in istis auspiciis, ne, quæso, repudiate, rem præstate: protegite Valentianas vestras: à maleuolorum iniuriis, qui indies infesti magis, vindicate: priuilegia & libertates, in quas recèns iurastis, conseruate: neque patiamini aduersariorum potentia, contra ius & æquum, vnam è prouinciis vestris opprimi & conculcari, imbecillam certè nimis illam, nisi fauore vestro fulciatur, fidelissimam tamen, ac vestri Principúmque suorum ab omni æuo amantissimam. Cuius rei testes sistam, si vultis, infinitas maiorum vestrorum litteras, amoris illorum erga nos, nostri erga illos verè singularis, meritorum nostrorum, domi, foris, difficillimis ipsorum temporibus, perpetuæ liberalitatis, supra vires, supra exspectationem omnē, supra reliquas ditionū suarum vrbes & prouincias, certissimas indices: quod libēter & effusissimè illi vbique dum viuerent, & per litteras adhuc, quas tāquam pretiosissima κειμήλια ad perpetuam memoriā asseruamus, dum stabit hæc ciuitas, testari & prædicare non cessabunt. Recentiora officia non commemoro, quæ notissima omnibus. Vos tamen aduoco supremi nuper Belgicæ præfecti, qui superestis, vos proceres bellorúmque duces, ac qui Principibus, Præfectísve ipsis à consiliis, túque imprimis Illustrissime Croy Dux & Arschoti, princeps Belgicæ nobilitatis, quem amant ac in pretio, in honore habent, & optimo quidem iure, Serenissimi Principes Valentianarum tibi commissarum præsidium & decus, adeste, narrate nouis Dominis, quàm non degeneres maiorum suorum nepotes, postremis istis ac maximis Reipublicæ Belgicæ temporibus, fidem, amorem, atque obedientiam Diuo Regi, ipsis, felicissimis successoribus, Valentiani fideliter semper ac sincerè conseruarint, opibus iuuerint, ipsorum maiestatem & auctoritatem, voce, facto, intrepidè, quoties opus fuit, defenderint. Spondete, (nec noxa præsto erit) ad extremum vsque vitæ spiritum vestigiis illis instituros, sanguinem vltimum, non fortunas tantùm, pro ipsorum salute libenter profusuros, vt, si minus superatæ, in hoc egregio laudum meritorumque stadio, quod in votis tantùm, at adæquatæ saltem maiorum gloriæ, quod ex perpetuo & inuiolabili ciuitatis decreto, necessarium prorsus, lauream quæ capiti fulget, ac nouis indies illustrant frondibus, omnium mortalium iudicio, æternùm conseruent. Laudate, sed

& de

& de ipsorum iniuriis cognoscite, caussam apud Principes adiuuate, si pia, si iusta, potestis enim, sed æstus euehit impotentior. Relegamus oras, ac videamus quæ rogandorum, quæ offerendorum Principi subsidiorũ forma olim & hodie. Quãdo ariete primo repulso, quo etiã tacti ipsi, reliquos sed non minùs inualidos, & imbelles in nos cõtorquent. Illorum quidem petendorum, nisi præsens rogaret Princeps ipse, quod factitatum olim sæpius, sicut in alias omnes prouincias, ita huc è proceribus aulicisve suis delegari aliquem, qui expositis in Senatu mandatis, auxilia quæ præstari poterant impetrabat, infinitis ab omni memoriâ exemplis, quorum pleni libri nostri, nullo negotio probari potest, quod in rebus maioris momenti adhuc obseruatur, & obseruandum in omnibus maximis, minimis, propositionesque quaslibet, vt in aliis prouinciis, ita hic necessariò faciendas, ex antiquissimæ consuetudinis, prouinciæque singularis auctoritate, in iudicio meritò contendimus. Primus anno 1472. receptum morem aliquatenus infregit Burgundiæ Cancellarius, qui cùm XVI. Aug. in ordinum Hannoniensium conuentu, auxilia Carolo Burgundo, qui tum in Francia bellum gerebat, poposcisset, ad legatos nostros, qui aderant, verba faciens, quater mille numûm à ciuitate petiit, quòd diceret se per negoria Principis, quò minùs Valentianas iret, omninò impediri. Reclamârunt illi, non visum, non auditum vnquam, vt in Hannoniæ comitiis, quò audituri & relaturi dumtaxat, ipsi conuenirent, legatis à Principe aliquid exponeretur. Valentianis id faciendum, nec se relaturos. Perstitit ille ac Principem datutum litteras dixit, absque captione vllâ, ipsorúmve priuilegiis præiudicio illud futurum: quod & factum sub die XIII. Sept. insequentis, illasque in chartophylacio nostro adhuc asseruamus. Repetitus statim mos vetus, & anno 1476. post cladem scilicet Gransoniam, ab Hannoniæ comitiis Valentianas veniens Episcopus Tornacensis, verba fecit in senatu, & auxilia impetrauit. Fecit idem Maximiliani nomine, militiâ celebris Galiotus anno insequenti, fecêre alij posteà, quos enumerare omnes nimis longum foret, sub eodem Maximiliano, sub Philippo F. ac præsentes quidem frequentissimè quid vellent illi Principes exponebãt, sub Carolo V. sub Philippo Rege. Sub duobus istis tamen crebrior interruptio: siue quòd tempora remoras interdum non paterentur, siue quòd nonnullis satis visum, si hoc in Hannoniæ comitiis fieret, vbi adsunt legati nostri, nec contra priuilegia prorsus factum iri crederent, quãdoquidem in rebus præcipui momenti antiquus mos semper retineretur. Reclamabant tamen nostri, veteremque formam à Principe coràm, & per libellos reposcebant. Ac imminutum quidem hac in parte de ciuitatis prærogatiuâ fortasse nonnihil, non illa tamen propterea Hannoniæ adiudicata est, quod qui dicit, næ ille mente se verè deminutum ac Anticyris meritò adiudicandum fatetur. Neque interim insciis atque inuocatis nobis Hannoniæ comitia haberi, ordinesque legitimè conuocari possunt. Nam quamuis in illis sententiam rogemur tantùm, non dicamus, ipsorumque decreta nihil ad nos spectent, tamen quoniam ab Hannonia vndiquaque iam circumcincti (olim, certum, non ita) propterea rectè atque ordine curauerunt maiores, vti conuentibus illis interessemus, ne quid ab illorum consultis Resp. ciuésve nostri detrimenti caperent. In illis ergo sententiam rogamur tantùm, & quidem ante vrbes, ipsamque Hannoniæ metropolim, nuper: sed me hercule ab inutili illo ridendoque rogandi labore, me auctore, supersedeant, si lubet. Non paremus enim, neque dicimus, dicturi procul dubiò, si pars illorum essemus, nec minus iuris Valentianis esset, quàm minimæ, ignobilissimæque Hannoniæ vrbium, atque adeò non inter ipsas, plebeiis, imisque in subselliis, at cum Ecclesiasticis, in editioribus ac senatoriis velut scamnis, quæ atrium circumambiunt, consessus noster. Quod quidem manifestissimum est, non ditionis tantùm singularis, sed præclaræ Reip. præcipuæque auctoritatis & dignitatis argumentum. Deliberatio verò tota nostra est, neque ab ipsis dependens, quorum decretis nullatenus obligamur, quid pro ratâ quoque nostrâ Principi persoluendum veniat. Quæ quidem quantacunque sit illa, ampla, modica, pro tẽpore, ac Reip. facultatibus, gratuita est omnino, ac libera, non debita, non Hannoniẽsis oblationis comes necessaria, quam nulla ex parte diminuit; at mox vt est à Principe acceptata, ei cui iubet statim numeratur. Iam tamen subsidiorum siue auxiliorum quæstori qui se Hannoniæ

noniæ & Valentianarum auxiliorum quæstorem, litteris, apochis & rationibus suis ab omni memoria nuncupat, ac donarij nostri speciale & ab Hannoniensi distinctum caput constituit, quarum cognitio & auditio ad Rationales Insulanos pertinet. Princeps verò ipse statim ab accepto donario, rescripto peculiari liberum illud & gratuitum fuisse, non debitum, quodque ciuitatis nostræ priuilegiis & libertatibus fraudi, aut damno vnquam esse posset, lubens olim, & pro more constantissimè semper confitebatur. Quin & sæpe, ita cogentibus Reip. angustiis, offerente Hannoniâ, Valentianæ prorsus excusabant: quamquam alioqui propensissima erga Principes minimeque peruicax ciuitas nostra, at supra vires etiam liberalis, nisi grauissimis de causis interdum impediretur. Sextam verò Hannoniensis oblationis, non rectè neque ordine, Principis ministros à nobis exigere, quod à patrum memoria nescio quomodo sensim irrepsit (pacto enim factum non constat) neque moderationis aut reductionis apta vocabula, cùm de summa nostra, pro Reip. conditione, cum ipso transigimus, at nostrum propriè, liberumque & gratuitum esse quidquid damus, quin restituendam priscam illam oblationum libertatem, vt & veterem propositionum formam, Principem ipsum etiamnum inclamamus. Certè in panegyricis Ordinum Belgij conuentibus, si quid Principi decretum, cētesimam nos olim, centesimam & quinquagesimam, ducentesimam nonnunquam aliamve quotam totius donarij, prout tempora ferebant, frequentius dependisse, postremis verò temporibus, vt & ita quoque factitatum, sic quotam etiam aliquam quotæ Hannoniensis de qua inter nos Principemque conueniebat (variabat enim, nec eadem illa semper) ciuitatem exsoluisse, ex commentariis nostris quæstorumque rationibus facilè confirmari potest. Exemplum si quis requirit vtriusque moris vnum dabo, nec longè petam: ab anno scilicet M. D. LVIII. memorabili propter subsidium illud nouēnale. Quod cum 2400000. florenorum esset, centesimam nostri & quinquagesimam totius, hoc est, 16000. florenos pro rata sua persoluêre. Accessionem fecere Ordines 800000. florenorum, in quo, quòd non nimis magna summa esset, in octauam quotæ Hannoniensis non grauatè consensimus: de qua tamen etiam aliquid deductum fuit. Atque numi illi quidem Grammaio auxilij illius nouennalis supremo quæstori, non Hannonio (quamuis & hic non minùs noster, vt antè dixi) persoluti à nobis & numerati fuere, qui administrationis suæ rationes coram nostris non minùs quàm ceterarum prouinciarum legatis reddidit: ac in nobili illo plurimorum mensium cōuentu, absque nostris deliberatum, decretum atq; effectū nihil fuit. Vectigalium verò, tributorum, siue collationum constituēdarum, quo donarij sui pecunias cōficiant, ius nullum Hannoniis in vrbe nostra, à quibus liberi sunt atque immunes ciues & incolæ nostri omnes, in quibus & Ecclesiastici ordinis homines, cū omnibus quę hîc habēt, bonis & facultatibus. Inter quos si Præsules aliqui Hannoniēsibus comitiis intersunt, ratione bonorum id fit, quæ amplissima eâ in prouinciâ possident, quod & de nobilibus nostris dicēdum, pagorum siue dominiorum suorū nomine, Hannoniæ Comitis patrociniū agnoscētibus. Vectigalium verò imponēdorum, quoties res postulat, beneficiū nobis à Principe nō difficulter cōceditur. Quid ergo hic pro vobis Hānonij? Quę sunt arietum vestrorū impressiones? Vbi murorum nostrorum ruinæ? An, si de priuilegiis, iuribus & prærogatiuis vestris, si de moribus & cōsuetudinibus, quas mordicus retinetis, infirmatum aliquid aut deminutū, si vetus iudiciorum, disceptationumq; forma antiquata aut reparata, quod iam pridem optāt omnes boni, & meditatum nuper, si abrogatum, aut inductum aliud, quod nolitis, desinet Hānonia esse quod erat, aut nobilis & eximiæ prouincię titulis ac honore destituetur? An, quia in comitiis illis generalibus, sextam quotę Flandrēsis, quæ totius oblationis in quam Belgij Ordines consensêre, tertia est, Artesia & Hannonia ipsa, Principi persoluunt, propterea Prouincias illas duas Flādria sibi vendicabit? Quod verò maius Prouincię singularis argumentū atque ad Hannoniā nihil attinentis, quàm quod ad panegyricos illos prouinciarum omniū Belgij ordines, vt antè dixi, per litteras Principis speciatim cōuocari, honoratissimo inter illos loco, ab Hannonia reliquisq; discreto cōsidere, de omnibus de quibus iis in conuētibus verba fiunt, siue rem pecuniariam illa, auxiliaq; Principi offerēda spectent, siue de pace, de bello, de summa rep.

 agatur,

agatur, sententiam ordine suo rogari, & dicere, quę numeretur & expendatur, non secus ac reliquarũ omniũ, ab omni antiquitate, ac ex quo comitia illa agnosci cœpta in Belgio, ciuitas nostra cõsueuit? Quam quidẽ auctoritatẽ nullus hactenus nobis inuidit, & qui oppugnet, quid aliud ille quàm bellum naturæ indicere, politias euertere, suã rebus faciem & formam abolere, nouã inducere, imperiosè nimis, ac plus quàm regaliter velle iudicabitur? Ac notatu quidem nõ indignum, hac in parte, etsi breuitati studeo, quòd nostri ad generales illos Ordines litteris Margaritæ Austriacæ harum prouinciarum Præfectæ 27. Iulij A. 1507. Machliniam euocati, cùm per litteras excusassent, quòd neque hinc abscedere, propter ingruẽs bellum, neque pecunias offerre vllo modo possent, alteris litteris iussu Serenissimæ Præfectæ institit Philippus Hãnetonius Audiẽtiarius, vt adessent ad diem edictum cum ceteris, sententiam dicturi de eo, de quo relatum in priore conuentu fuerat. Exemplo quidem fratris Archiducis Philippi, qui litteris 26. Maij 1493. repetitis, cunctatiores nostros, vt ad Ordines generales properarẽt, qui eadem in vrbe cogebãtur, similiter vrgebat. Ineptum quoque ac futile (ignosco tamen, quando solidis destituũtur) quod illos allegare audio. Regem cùm ad singulos Belgij Ordines de abdicatione illa quam meditabatur, litteras scripsisset, Valentianas omisisse: nam vt ita sit, Secretarij negligentiæ, aut obliuioni illud imputandum, pluribus aliis in re simili exemplis facilè euincemus. Certè cùm de morte Principis Hispaniarum, Caroli filij sui, vt se res habebat, prouinciis ille singulatim per litteras significasset, idem quoque nobis officium præstitit. Sed & aliàs ipsum in similibus non neglexisse, ceterósque omnes antè Principes cõstanter semper obseruasse, déque rebus omnibus quæ alicuius momenti, Valentianas suas speciatim certiores reddidisse, si locus pateretur, mille exemplis confirmare possem. Piget addere quod dicũt, Valentianas prouinciam nõ esse, quod tres Ordines, Ecclesiasticum scilicet, Nobilium & Plebis, quibus prouinciam, vt talis dicatur, cõstitui volunt, illæ nõ habeant. Nam non vrbes tãtùm alias singulares, quarum ditio mœnia, suburbiaque sua non transgreditur, quales cum Valẽtianis Machlinia, Tornacum, sed & amplissimas Belgij prouincias, ad communis caussæ defensionem aduocabo, quæ prouinciarum sibi honorem & titulum adimi, propterea quòd iis moribus nõ reguntur, etiamsi taceam, solo Hannoniæ ministrorum decreto, nõ facilè patientur. A priscis quidem temporibus nos non ab Hannoniis circumsessos, sed limitaneos tantùm & confines fuisse, vel Austreuantius Comitatus indicat, qui nũc Hannoniæ pars, peculiaris olim ditio, ac Francici iuris, ab ipsis statim vrbis nostræ suburbiis, initium sumit. Tum verò Scaldis ipse, quem certissimum imperij ac regni limitem fuisse, ac ditiones à fonte ferè ipso ad Oceanum vsque disterminasse, ex historiis, ac ex re ipsa satis adhuc cõstat. Quin & Valentianæ Imperij olim fiduciariæ, vti & Brabantia, Hannoniaque ipsa, atque in Flandria Alostẽsis regio, ad sinistram ripam quod habebãt, Francorum sceptris subiiciebatur: quemadmodum & Flandria reliqua, Artesiaque quæ ab illa parte ad mare vsque pertingebat. Nec desunt argumenta quæ probent, cõiecturæ saltem non leues priscos illos Valẽtianarum Comites, imperij sui pomœria latius olim protulisse, agrúmque illum omnem comprehendisse, qui vrbibus Querceto, Bouchanio, Sanct-Amando, Condato, aquísque quæ vicum Morcipontis alluunt, terminatus, Valẽtianæ Pacis nomine etiamnum indigitatur, ac dominij veteris nõ obscura adhuc vestigia retinet. Hinc Iurati pacis dicti, homines illi certo numero, coram quibus conceptæ litterarum obligationes, per tractum illum omnem, & vltrà paratam executionem habent, Hannoniensiúmque obligationibus anteponuntur. Certè extat exemplum libelli supplicis, in quo rem illam ita se antiquitus habuisse, Valentianíque Dominij limites eousque se extẽdisse, Alberto & Guilielmo Bauaris maiores nostri exponebãt, quibus illi rẽscripsẽre, ac varia ciuitatis priuilegia, libertatésque quas per Hãnoniam circa pontes, vias, traiectus aliaque plurima violari querebantur, rescripto illo 27. Iunij, A. 1394. libẽter confirmarũt. Ridiculum verò quod de XVII. Belgij prouinciis adducunt. Nam recẽtior & vulgi est illa partitio, cùm satis cõstet Vltraiectensem, Transisalanam, & Gronigẽsem ditiones, Caroli V. temporibus Belgicis prouinciis, vni parentibus, demum accessisse. Aut si antiquior est, necessariò sequitur, non nisi deturbatis aliis, tres illas inter

XVII.

XVII. locum obtinere potuisse. Quamquam nō video cur Valentianæ non admitti, Marchionatus S. Imperij eo numero censeri potiùs debeat, quem antiquæ & illustris quidem dignitatis, quémque optimo iure Principes etiamnum retinēr, non vllius iam tamen prouinciç titulum, quç eo nomine in generalibus Ordinum Belgij cōuentibus, alibíve comparear, aut oblationibus erga Principem, collationibúsve priuatim teneatur, omnes mihi facilè cōcesserint. Sic & Lotharingiç siue Lothrichij inter Ducatus, cū prçrogatiua etiam absque ditione iam vllâ speciali, titulum iidem adhuc vsurpant: cùm Louanium, Bruxella, Niuella, nouissimæ Lotharingiæ inferioris reliquiæ, à Lotharingiâ iam pridem diuulsæ, ac pòst sub Comitatus Louaniensis titulo diu possessæ, iam inter præcipuas Brabātiæ vrbes, vti & Antuerpia ipsa Marchionatus caput, connumerentur. Neque Lothrichium tamen vllus inter XVII. illas Belgij prouincias hactenus recensuit. Ne succēse, quæso, vrbs vrbium Antuerpia, bona Belgij mater & nutrix, sic pristino splendori tuo te breui cum Deo restituant nostri Principes, si ἐν παρέργῳ quod sentio hic dicam, si contra sentias, indictum esto. Nam de asini vmbrâ, de numero, non de re ipsa omnis ea est digladiatio: neque eò suscepta, vti re, pulcherrima, cum qua Valentianis nostris, cōciliatore Scaldi, fidissima ab omni æuo societas, & cōspiratio, aliasve de pōte deiiciam, quod iniuriosum foret, quin potius iuxta iuris formulam, vti possidetis, ita possideatis adhuc omnes, cùm Principum aut Reip. nihil interfit, XVII. an plures cōstituantur; sed vt ostēdam inter Belgij prouincias locum Valētianis quoque nostris esse & deberi, quem iure nemo nobis inuideat. Ac speramus quidem, quemadmodum Carolus Audax Dux Burgundiç Machliniam olim à reliquis Belgij prouinciis decreto suo separatam prouinciam, vt erat, per se esse & dici voluit, ita Principes in initiis istis, si per tempora liceat, ordinatâ aliquādo Rep. ac de prouinciarum iure ac dignitate ampliùs cognoscēteS, Valētianas quoque suas reipsa & ditione post hominum memoriam indubiè semper & iure optimo à reliquis distinctas, aucto, si sic videtur, populari illo XVII. numero, titulis suis nominatim adscripturos, si hoc tanti est, & adnumeraturos, nō alio quidem loco ac ordine, quàm eo quem in Belgicorum Ordinum comitiis citra controuersiam in hunc vsque diem semper obtinuit.

Sed quo me transuersum abripuit patriæ amor, dignitatísque illius tuendæ, nō in loco fortasse inconsulta cupiditas? cùm luce clariora sint ista, nec infinitis testibus aliis aut titulis opus sit, qui ad manum omnes, nouíq; ac plures pro nobis indies exsurgūt, cùm vel ex eo manifestissimum sit Valētianas propriam & specialem ditionē esse, neque ad Hannoniam vllatenus pertinere, quod hic peculiariter inaugurandi Principes nostri, ex conceptis quidem ex antiqua formula verbis, vbi ipsi ipsorúmque Maiores, Valentianarum Principes & Domini disertè nuncupantur, non aduocatis ab Hannoniâ vllis qui adsint, Sacramēntum ab omni æuo dicere & accipere consueuere. Et quidem antequam in Hannonia plerūque, Mōtibúsue ipsius metropoli, cùm alioqui prærogatiuam illam vrbi metropoli apud omnes deberi, nulli mihi inficias ierint. Cōtrahamus ergo vela, Principumque Valentianorum à sexcentorum & amplius annorum memoria, seriem breuiter contexamus, quam si in porticu illa sub funalibus nō vidēre Principes (quod quidem, credo, gratissimum ipsis fuisset) videbunt tamen in parte, qui hæc nostra legere dignabuntur. Singulis Principum nomenclaturis ad historiam paucula quædam adieci, quæ sub tædis tabellarum angustiæ non admisissent. A Garnero incipiam, (altius enim non lubet) Garneri illius parente, qui circa A. Domini 973. Valentianarum Comitatum venditione ad Hannoniæ Comites transmisit.

Garnerus Valentianus, Valentianarum Comes, eiecto in exilium Regnero I. Longicollio Montium Comite cum liberis, Hannoniç ipsius Principatum ab Imp. cōsequitur.

Garnerus Garneri F. Valentianarum Comes, ditionem suam vendit Regnero II. Mo[illegible]rium, & Lamberto Louaniensium Comitibus Regneri I. Longicolli F.F.

Regnerus II. Regneri I. Longicolli F. Montium & Valentianarum Comes.

Godofredus Valentianus Comes Valentianarum, Garneri propinqui sui venditionem impugnat, ac in Principatum inuadit.

Arnoldus Valentianus Comes Valentianarum, vnde expellitur à Balduino Barbato, IIII. eius nominis Flandriæ Comite.

Balduinus IIII. Barbatus Flandriæ, sed & Valentianarum, armorum prius, inde Henrici II. Imp. beneficio Comes.

Regnerus III. Regneri II. F. Regneri I. N. Montium siue Hannoniæ Comes, Valentianam ditionem à Balduino Barbato pacto siue pretio consequitur.

Hermannus Valentianus Comitum Valentianarum eo cognomento postremus. Regnero III. & Richilde Comitissa vix obsistentibus imperium Valentianis obtinet.

Richildis Hannoniæ Comes, cum Hermanno Turingo, inde cum Balduino Montensi Balduini Barbati F. Flandriæ Comite, ab Hannoniâ dotali sic appellato, maritis, Valentianarum principatum, post Hermanni demùm Valentiani mortem, transactione facta cum ipsius hæredibus, tranquillum ad liberos posterósque transmittit.

Balduinus I. Hierosolymitanus, Montensis Flandriæ Comitis, & Richildis F. secundò-genitus, Hannoniæ, Valentianarum & Duacensium Comes.

Balduinus II. Magnanimus, Balduini I. F. ex Idâ, Imp. Henrici IIII. F. Hannoniæ & Valentianarum Comes.

Balduinus III. Ædificator, Balduini II. F. ex Iolenta Vassenburgia, Hannoniæ & Valentianarum Comes. Valentianarum Castellanatům, vti & Arcis ipsius Dominium à Godofredo Valentiano, Castellano, fratre vterino emit.

Balduinus IIII. Balduini III. F. ex Ermesende, vel Aleyda Namurcensi, Hannoniæ, & Valentianarum Comes.

Balduinus V. Balduini IIII. F. ex Margarita Elsatia, Philippi Elsatij Flandriæ Comitis sorore & herede, Imperator Constantinopolitanus Flandriæ, Hannoniæ & Valentianarum Comes & Dominus.

Ioanna Balduini V. Constantinopolitani F. ex Maria Henrici Campaniæ Comitis F. Flandriæ, Hannoniæ, & Valentianarum Comes & Domina.

Margarita Ioannæ soror & heres, Flandriæ, Hannoniæ, & Valentianarum Comes & Domina.

Ioannes Auesnensis II. Ioannis Auesnensis I. ex Aleida Imp. Gulielmi Hollandiæ & Zelandiæ Comitis F. & herede F. Margaritæ ex Bouchardo Auesnensi N. Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes & Dominus.

Guilielmus I. Bonus Ioannis Auesnensis II. F. ex Philippa Lucemburgica Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes & Dominus.

Guilielmus II. Guilielmi I. Boni F. ex Ioanna Caroli Comitis Valesij F. Philippi Regis Franciæ sorore, Hannoniæ & Valentianarum &c. Comes & Dominus.

Margarita Augusta, Ludouici Bauari Imp. vxor, Guilielmi II. soror & heres, Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes & Domina.

Guilielmus III. Bauarus, Imp. Ludouici & Margaritæ F. Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes & Dominus.

Albertus Bauarus Guilielmi III. frater & heres, Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes & Dominus.

Guilielmus IIII. Bauarus Alberti F. ex Margarita Ducis Brigani in Polonia F. Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes & Dominus.

Iacoba Bauara, Guilielmi IIII. F. ex Margarita Burgunda, Philippi Audacis Burgundiæ Ducis F. Hannoniæ, Valentianarum &c. Comes & Domina.

Philippus Bonus Ioannis Burgundiæ Ducis F. ex Margarita Bauara, Alberti Bauari F. Philippi Audacis ex Margarita Flandra N. Dux Burgundiæ &c. Valentianarum &c. Comes & Dominus.

Carolus Audax, Philippi Boni F. ex Isabella Ioannis Portugalliæ Regis F. Dux Burgundiæ &c. Valentianarum &c. Comes & Dominus.

Maria Burgunda Caroli Audacis F. ex Isabella Caroli Borbonij F. & Maximilianus I.

nus I. post Imp. Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, &c. Valentianarum &cet. Comites & Domini.

Philippus Cæsaris Maximiliani I. & Mariæ Burgundæ F. Rex Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Valentianarum, & reliquarum Belgij prouinciarum Princeps.

Carolus V. Imp. Augustus Philippi I. Regis Hispaniarum F. ex Ioanna Ferdinandi Hispaniæ Regis F. Rex Hispaniæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Valentianarum, ceterarumque Belgij prouinciarum Princeps.

Philippus II. Caroli V. Imp. F. ex Isabella Emanuelis Portugalliæ Regis F. Rex Hispaniarum, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Valentianarum & reliquarum Belgij prouinciarum Princeps.

Isabella Clara Eugenia, Philippi II. Regis Hispaniarum F. ex Isabella Henrici II. Franciæ Regis F. &

Albertus, Maximiliani II. Imp. F. ex Maria Caroli V. F. Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, &c. Valentianarum & ceterarũ Belgij prouinciarũ Principes. Q.F.F.Q.S.

Nomenclatorem egi XXXI. Valentianorum Principum nouissimorum, quorum effigies, ac titulos exornandæ porticui designaueram, pergo.

SED antequam porticum nostram cum Principibus rotam decurramus, cum ipsis è regione Prætorij siue Domus ciuicæ, nobis paulisper subsistendum est: vt fontem egregij operis qui ab vmbilico columnæ suę, à tribus lateribus ex leonum ore aquam, suprà verò è Bacchi dolio vinum rubrum profundebat, in transitu contemplemur.

Columna erat Attica, quadrata scilicet, quæ ad mediam sui partem plana, ea in regione zonâ circumcingebatur. Super quam leonum capitibus decorata, inde ad capitulum ipsum vsque striis & strigibus suis exornabatur. Ex lapide erat porphyretico, ita iudicabant oculi, capitulum acanthi foliis Corinthiacè exculptum è marmore Pario, stylobatę, bases & tori, vti & zona columnam circumambiens, reliquaque ipsius decora, partim iaspidem, partim ophitem lapidem repræsentabant.

Ipsa verò columna, omnibus numeris absoluta, ab imo solo ad coronicẽ vsque XXVIII. pedibus terminabatur. Diametrus IIII. erat pedum. In suprema area Bacchus ex ligno dedolato, & exciso elegantissimè efformatus, ac pampineâ coronâ, zonaque circumcinctus, vnde vtriusque coloris pensiles vuæ, dolióque inequitans ipsi vino concolori, pateram vino rubro plenam, obuiis porrigebat. Stabat ad latus Ceres, Bacchi comes gratissima, spiceo coronata serto, ac spicarum manipulum læuâ tenens, quæ humerum tangens, sponso abblandiebatur. In mediis verò aquis columna illa conspiciebatur, quæ in amplissimo lacu formæ hexagonæ, cuius diametrus XVI. erat pedum, ad pedes ipsæ tres assurgentes, cygnis pluribus ibi natantibus, pascentibus, ac lusitantibus, consuetorum stagnorum effigiem repræsentabant. Atque hîc artificis industria collaudanda maximè, qui tabulas suas, quibus conceptaculum illud componebatur, tanta arte inter se commiserat ac coagmentarat, absque vllo glutinis aut picis auxilio, vt ne gutta quidem aquæ perflueret. Septis illud (quæ lorica columellarum (balustras vocant) & coronice ad fulcimentum, constabant) è ligno affabrè tornato, aptisque coloribus exornato, vndique claudebatur, ad quæ per aliquos gradus ascensus erat. Circa columnæ zonam ex leonum ore tribus à partibus vbertim aquæ promanabant, quarum castellum in ipsa superioris columnæ concauitate asseruabatur. Vinum verò per tubulos seu siphunculos è Domo ciuica, sub terra ductos, in Bacchi dolium, infrà castelli siue fontis sui altitudinem, deferebatur, ac tanto impetu vel extra sepimẽta illa promicabat, vti parum abfuerit, quin Principum transeuntium vmbellam perfunderet, quod Serenissimæ Infanti, quę illorsum equitabat, gratissimum fuit spectaculum, quod risu & verbis indicauit.

Sub columnę capitulo in tabulâ appensâ, hęc inscriptio legebatur:

SALVIS ET VALENTIBVS ALBERTO ET ISABELLA
SALVÆ ET VALENTES, CERERISQVE ET BACCHI
MVNERIBVS POLLENTES VALENTIANÆ.

Quod postremum ad celeberrimos illos duos vini & frumenti mercatus, quibus floruit hæc ciuitas, nunc per tempora non parum imminutos, referendum est.

In stereobate verò, supra aquam hoc dialogidion eminebat:

Quis nouus hic plausus? quæ stagna rubentia? Phœbum
Nec iam vnum, at geminos gens moribunda vocat?
Non letum, at faustum exsultans patriæq́; sibiq́;
Principibusq́; nouis præcinit omen olor.

Duo alia stylobatæ latera, quorum vnum turrim speculatoriam, alterum plateam Ormerianam spectabat, hinc Bacchi effigie amphoræ innitentis, vnde vinum profluebat, illinc Scaldis ex vrna aquas profundentis, æreo monochromate decorabantur.

Sed & eadem Bacchi & Cereris simulachra, eadem epigrammata, à parte domus ciuicæ geminata conspiciebantur:

SED progrediuntur Principes, & iam ad alterum triumphalem arcum in egressu fori peruenere. Ille verò Principum nostrorum honori ac virtuti consecratus, inter eos qui vbiuspiam ipsis excitati fuere, structuræ nouitate, ac totius operis venustate & elegantia, variisque ornamentis, magnorum virorum iudicio, qui Principes comitabantur summam laudem obtinuit. Nec aliter de priore etiam altero ab illis pronunciatum.

Pedes XXXVI. latus, profundus X. ab imo solo vsque ad Constantini Imp. emblema in summi templi fastigio, ad pedes XXC. pertingebat. Operis erat Etrusci, duabus frontibus, ac tribus portis, vt alter, duabus item contignationibus seu eleuationibus constans.

Quatuor columnæ ab imo solo vsque ad epistylium XX. pedes altæ, lapidem ophitem siue serpentinum virentem, maculis candidis intermixtum, scitè referentes, totidémque ab altera parte, totam arcus machinam sustentabant. Illis substernebantur bases suæ, his stylobatæ. Capitulis verò ipsis epistylium cum zophoro & coronice nitebantur, marmor nigrum assimilantes. Præter triglyphos, qui, vt in altero arcu, candore Parium adæquabant.

Inde altera contignatio assurgebat, in cuius tabulato supremo templum quadratum, formæ nouitate & ornamentis, picturísque admirabile, in totius molis meditullio constituebatur: quod binis propterea portis ac propylæis insigne, vtrique fronti aptissimè respõdebat. Dicatum illud Honori. Nec templum Virtutis adiunxi, qualiter Romæ constructum olim: statuendum enim primo loco fuisset, atque ita Honoris templum totum obtexisset, ad quod vt Principes nostros introducerem, post longam in castris virtutis toleratam militiam, in cuius etiam templo & ara iampridem litauere, instituti operis ratio postulabat.

Illud ergo columnis ab vtraque parte duabus puro ac simplici virore oculos reficientibus, innixum; epistylio, zophoro & coronice exornabatur. Tecto præterea figuræ rotundæ ac nouæ, variis emblematis insigni, quæ mox describam.

Inter vtramque verò columnam (faciem arcus anteriorem primam hîc delineo) tabula ingens cernebatur. In qua templi ipsius paries exterior (vitreis fenestris arte depictis suprà lumen intromittentibus) duabus similiter columnis sustinebatur. Inter eas, atque eodem ordine propylæum, eiusdem coloris columnas duas, zophorum præterea super epistylio, & coronicem, nec non frontispicium ostentabat. In cuius tympano hostium exuuiæ, supra fastigium in acroterio globus aureus, frontispicij verò dorso, victoriæ duæ alatæ, laureas manibus præferentes, opere monochromateo vtrimque incumbebant. Ad id propylæum à summa coronicis, secundæ eleuationis, proiectura gradibus tribus ascendebatur.

In quorum supremo stabat Honos ipse, vultu florido ac iuuenili, interius tunica aurei, suprà, amethystini coloris pallio circumamictus, pectoris tantùm parte dextrâ, ac humero brachióque nudus. Is casside caput armatus, dextrâ hastile, sinistrâ Copiæ cornu tenebat, altero pede globum premens, qualis in veterum numis expressus cernitur.

Ad

Ad eum adſcendebant Sereniſſimi Principes Albertus & Iſabella. Ille huius temporis armaturâ conſpicuus, hæc in veſtibus albis, auro & pretioſis lapillis ac vnionibus vndique collucentibus. Ac tanta arte ambo depicti, vt non in tabula coloribus expreſſos, at ſolidos, immo viuos procul credidiſſes. Quos Honos vultu benigno, ac modico corporis flexu excipiens, manum porrigentibus viciſſim ſuam ipſe porrexiſſet, ni in haſtili & cornucopiæ tenendis vtraque occuparetur.

Ad vtrumque templi latus, ſupernè in loculamentis æneæ ſtabant hinc Caroli v. illinc Philippi II. ſtatuæ. Haſtas manibus ſceptri loco Deorum & Indigetum ritu tenentes, cum elogiis ſuis ad caput:

DIVO CAROLO V. IMP. CÆS. AVG. OPT. MAX.
ET DIVO PHILIPPO II. REGI OPT. MAX.

Qui Principibus noſtris, vt generis auctores, ita veſtigiorum efformatores fuêre, per quæ illi ad Honorem vnicâ & certiſſimâ virtutis viâ ſimiliter graſſarentur. Habuiſſet & ſtatuam hîc ſuam Rodolfus I. Imp. aliíque ab ipſo Auſtriaci ſanguinis Imperatores: habuiſſent Ferdinandus & Iſabella primi Catholici, Emanuel item Portugalliæ Rex, qui nomen Chriſtianum ac Caſtilliæ, Luſitaniæque arma in remotiſſimas orbis regiones, æterna cum laude & gloria detulerunt. Totque Chriſtianiſſimi Francorum Reges, abuſque Diuo Carolo Magno, & Diuo Ludouico ad Franciſcum I. & Henricum II. Iſabellæ noſtræ omnes, ſed & Alberti ſui magna ex parte progenitores, verùm loci anguſtia non patiebatur. Itaque templi interiora illi omnes exornant, ad quæ oculis noſtris pictor aditum dare non potuit. Procul tantùm apparebant arte opticâ pilæ duæ ſaturo virore abſcedentes, & ſtatim à propylæo pendens in laqueari, ardénſque lychnuchus. Reliqua horror & ſilentium occupabant.

In templi ipſius zophoro ſupra tranſtra, hoc elogium inſcriptum erat:

HONORI PERPETVO, VIRTVTIQVE ÆTERNÆ
SERENISSIMORVM PRINCIPVM ALBERTI ET
ISABELLÆ AVSTRIORVM, SACRVM.

Sub imo verò gradu, qua ad propylæum aſcendebatur, Principes aduenientes Honos ita compellabat:

Intrate Auſtriadæ Auſtriadis ſacra templa, nec vlli
Nota mage: hoc regnat teſſera veſtra loco.
Hæc eadem & noſtra eſt: luit illam in ſanguine virtus,
Circumiens niueum ſed diadema meum eſt.

Quod epigramma quia obſcurius viſum nonnullis, non grauabor interpretari. Per teſſeram Auſtriadum, gentis illius inſignia intelligo. In area ſcilicet ſanguinea ſiue rubra, faſciam candidam (ita enim caduceatores ipſi indigitant) quam eandem quidem virtutis ipſius & honoris teſſeram, atque inſignia vt dicerem, optimè omnium in mentem nobis venit. Quid enim aptius? Sanguineum enim colorem pro inſigni, virtus ipſa optimo iure ſibi vēdicat: quem adeò non reformidat, vt vel ſuo ipſius cruore corpus vniuerſum, ac pannos ſibi imbui gloriæ ſummæ loco ducat. Faſciâ verò regali ſiue diademate, quo Reges olim è ſubtili carbaſo tenuiſſimaque byſſo candida, circa capitis tegmen inuoluto, coronæ loco vtebantur, atque inde diadematis apud Græcos nomen accepit, quod amplius ab Honore præmium, nunc & olim mortalitate ſuâ exuti, Virtutis ſectatores ſperare aut expectare debeant? Auſtriadum itaque clypeos & ſigna, pannoſque generoſo ſanguine imbuit virtus, diademate proprio Honos circumcinxit. Nec inſignibus Auſtriadum vlla alia queant inueniri, quæ ſola, Diis duobus tam inter ſe coniunctis magis conueniant. Nota etiam omnibus inſignium illorum origo, Leopoldo ſcilicet Auſtriæ Marchioni in prælio fortiter depugnanti, hoſtium proprioque ſanguine corpus vniuerſum rubrum colorem accepiſſe, ſolo baltheo militari, quo circumcinctus, ex argento, colorem

colorem & candorem ſuum conſeruante. Quæ mutandi ſymboli cauſſa nobilis, anteà enim aquilæ ſeu Alæriones ſex ex auro clypeum cæruleum condecorabãt. Inſignia ergo illa, ſanguinis à virtute, ab Honore Faſciæ candidæ regiíve diadematis, ſuper primores illas pilas, totius fabricæ ſeu templi pondus ſuſtinentes, in panno ſerico quadrato, ſuper haſtilibus impoſita, in æolipylis ſiue globis ignem efflantibus, vndique conſpiciebantur, cum elogio litteris aureis:

VIRTVTIS ET HONORIS INSIGNE.

Templi tectum hemiſphericæ figuræ, argenteis tegulis ſquamatim contegebatur. In cuius faſtigio laterna noui & egregij operis, ſuper eam verò in conto longiori Conſtantini Imp. in labaro coccineo emblema ☧, ſummum totius templi culmen obtinebat. Iure quidem: Honorum enim omnium Chriſtus Honos ſupremus, immo ſine quo Honos vllus dici, aut eſſe nullo modo poteſt. Laterna ille noſtra ac pharus, cuius ignes Boreæ flabra non timent, Dux noſtræ nauigationis, ac fidiſſimus tuti portus prænunciator.

Ab vtroque verò templi latere aſſurgebant plutei ſiue ſepta, columellis ſuis torno expolitis, coronicéque ad innitendum eleganter inſtructa, vbi diſpoſiti cornicines, ſuauiſſimo concentu Principes aduenientes comitatúmque excipiebant.

Supra pluteos verò ipſos, hinc Fama alata, terreſtri ſiue Geographico globo, pilæ incumbenti, altero pede inſiſtens, altero ad volatum exporrecta, buccinis longis duabus, Principum noſtrorum facta ac virtutes ſurſum ac deorſum diſſeminabat. A læua Æternitas ſideribus coronata, ſuper globo cæleſti, eadem omnia aut meliora, ſtilo ferreo, chartis immortalibus mãdabat, quæ in Honoris tẽplo, imò in ipſis cæli archiuis reponerẽtur.

Extremitates tuebantur leones prægrandes duo, qui Principum inſignia auro & argento radiantia, vnguibus ſuſtinebant. Sed & Sereniſſimæ Infantis inſignia ſola, in ſcuto ſui ſexus, inter Auſtriacorum vexilla, tranſtris templi ſuperinfixa, procul conſpiciebantur.

Infrà verò, in ipſo eiuſdem ſecundæ contignationis zophoro, extremitatem vtramque in pilis ſuis, viuis coloribus depictæ, Deæ duæ occupabant. Hinc Gloria Imperatorio habitu ac diademate huius ſeculi inſignis, haſtamque ſceptri loco tenens, illinc victoria alata, altero pede globo innixa, ac vna manu palmam, altera labarum ſuper humeros quatiens, vti in Auguſti aliorúmque numis cernitur. Zophorus verò ipſe magnificis Honoris & Virtutis triumphis, ex ære totus adumbrabatur: qui à diuerſa tabulæ extremitate prodeuntes, per arcum quiſque triumphalem, in templum vtrique Numini more Romano in medio excitatum, cum comitatu omni regrediebantur. Virtutis currum equi niuei quatuor, Honoris totidem elephanti trahebant. Virtuti à tergo lauream Victoria, Honori diadema imperatorium Gloria imponebat. In capſo verò, ſiue anteriori parte vtriuſque currus ſtans Fama euolaturæ ſimilis geminarum buccinarum concentibus ad ſpectaculum vniuerſum orbem aduocabat. Ponè hinc in equis duces ac proceres, illinc pedibus poetarum, oratorum & hiſtoricorum promiſcua turba, præſtantium virorum facta ſcriptis & ore celebrantium, laureata ſequebatur. Tabulæ reliquum captiui tropæophori, ac manubiæ, ceteraque triumphorum decora & ornamenta obtinebant.

Abſoluta ſecundæ eleuationis explicatione, de qua mihi priùs agendum fuerat, ad priorem deſcendo. Cuius zophorus trophæis, encarpis, ac variis belli Martiſque monimentis, inſuper Ducis Arſchotani & ciuitatis inſignibus exornabatur: quorum hæc ex auro & argento erant, reliqua ex ære operis monochromatei.

Intercolumnia in amplis ſed oblongis quadratis decorabant tabulæ duæ, mirâ colorum ac rerum varietate ſpectantium oculos detinentes.

In priore littera Pythagoræ à biuio diuortióque ſuo facilè dignoſcebatur: cuius à ſiniſtris, via patentior, ac omnis generis amœnitatibus, voluptatibúſque plena, à promiſcua virorum & mulierum turba, luſitantium, laſciuientium confertim premebatur. Atea anguſtior reddi paulatim, ad cuius extremũ vbi perueniſſent, (regreſſus enim difficilior) in profundas voragines, acutoſque ſcopulos ac rotas miſeri præcipitabantur.

Altera

Altera difficilior initio molestissimisque salebris & sentibus obsita, à paucis trita. in amœnissimos campos tandem desinebat. Animos subeũtibus addebat virago, quam Virtutem esse, adiunctus Hercules cum claua & leonis exuuio, satis demonstrabat: quę indice digito templum in summo designabat, in quo Honos omni præmiorum genere victores remunerabatur. Sub litteræ cornu sinistro, ad ipsas voragines subscriptum:

VOLVPTATIS PRÆMIA.

Circa dexttum verò:

HAC IIT HERCVLES.

In altero intercolumnio, Olympus mõs altitudine sua apud auctores celebratissimus, quâ supra mediam aëris regionem assurgit, verè typus virtutis in simili tabula hoc modo depingebatur. Ascensus erat arduus & præceps, ac rapidissimis torrentibus horrorem incutiens. Grandines præterea, ac procellæ perpetuæ, fulminumque coruscationes, & tonitrua montem ferè vniuersum obsidebant. Non multi itaque in viam se dare, alij regredi, pauciores iter inceptum peragebant.. At circa ipsum Montis iugum, nouam terræ & aëris ipsius faciem stupentes oculi contemplabantur: vbi lætissima omnia, nullæ nebulæ, venti nulli, summa & æterna aëris temperies. Quin in ipso cacumine ad aram Virtutis & Honoris, Athletæ tot emensis laboribus hilares ac securi sacrificabãt, SVPRA HIEMIS BOREÆQVE MINAS, verè constituti, quod in ipso Montis vertice adscriptum legebatur.

Fornicis maioris portæ cuneos Virtus ipsa insidebat, cristatâ casside, hastili & parazonio insignis, ac eo cultu, quo in Romanorum nummis expressa cernitur.

In triangularibus vtrinque spatiis, Victoriæ alatæ duæ, vnâ manu trophæa, alterâ lauream prætendentes, portæ curuaturæ incumbebant.

Minores verò portas rami è lauru & palmâ decussatim compositi, ac fructibus baccisque suis grauidi, stereobatas leonum capita insigniebant.

ALTERA facies quæ plateam Ormerianam spectabat, Principum nostrorum faustissimæ coniunctioni dedicata, eadem structuræ forma & dispositione, eadem templi fronte, eodem tecto, iisdem Austriacæ gentis, immò verò Virtutis & Honoris insignibus notabilis (nam laterna vnica, ac non repetitum Constãtini emblema vtrique fronti conueniebat) argumento tantùm ac plerisque ornamentis differebat.

In templi enim propylæo Hymenæus deus, indumento purpureo, auro & gemmis variis prætexto super tunicâ virenti, ac serto roseo redimitus, vultu mirum in modum venusto & amabili, Honorem & Virtutem, id est, Serenissimos Archiduces Principes nostros, sub eorum persona, sanctissimo matrimonij vinculo copulabat.

Ad vtrunque templi latus in loculamentis suis Alberti & Isabellæ æneæ statuæ archiducali habitu conspiciebantur, illius capiti AMOR BELGII, huius, DELICIÆ BELGII, superscriptum erat. Solæ illæ hîc quidem, nam reliquorum, quorum ab omni æuo casti ignes, felixque ac concors cõiugum, inter quos sanctissimi Archiducum nostrorum maiores, templi interiora statuæ condecorabant: quò vt oculi nostri penetrarent, optice vlla efficere non valuit.

In templi ipsius zophoro grandibus litteris hoc epigramma inscribebatur:

HYMENÆO DEO SANCTO, ET CONCORDIÆ PERPETVÆ FELICITATIQVE SERENISSIMORVM PRINCIPVM NOSTRORVM, ÆTERNÆQVE IMPERIORVM REGNORVMQVE PROPAGINI SACRVM.

Infra gradus, quibus ad propylæum ascendebatur, hoc tetrastichon legebatur:

Qualis florigero Virtus si nubat Honori
Cælicolûm æthereo plausus in orbe foret:
Talia (nam virtus ipsa est, honor ipsus vterque)
Archiducum faustus gaudia fudit Hymen.

Ab vtraque templi parte, hinc Amor in longâ & candidâ veste, serto è rosis vtriusque coloris caput circumcinctus, dextrâ facem accensam, læuâ arcum tenens, pendente pharetrâ ab humeris, illinc Concordia, Mercurij caduceum dextrâ, sinistrâ cornices duas in sinu premens, viuis vterque coloribus depictus, ex ligno exciso, in columnis suis & globis altè eminebant.

In extremis eadem quæ in facie priori, Archiducum insignia à generoso Leone custodiebantur.

Similes plutei, & repagula cornicines recipiebant, eò ab altera fronte reuersos, vti Musicis modulis Principes vlterius prosequerentur.

Descendo ad zophorum eleuationis illius, cuius extremitatē dextram occupabat Fœcunditas, cornucopiæ manu tenens, vnde spicæ & infantes duo collo tenus eminebant, aliique duo grandiores matri ad pedes blandiebantur: Sinistram Felicitas cum Mercurij caduceo longiori, & copiæcornu; quemadmodum vtranque in suis numis veteres expressêre.

Aream verò ipsam, Amoris sancti triumphus æneo monochromate elegantissimè delineatus totam adimplebat. Currum trahebant cornices geminæ, intereundum mutuis osculis indulgentes. Reliquum spatij ab Amorum agmine lusitantiū & exultantium obtinebatur, quorum illi serta, trophæa, faces accensas quatiebant, alij arcus tendebant, sagittas isti destinatò, hi temerè eiaculabantur, alij choreas ductabant, plures copiæ cornua spicis ac floribus, alibi puerulis capite tantùm eminentibus, adornata gestabant. Hi in feretris arulas, ac in iis castos ignes, cornices alij ac turtures, Gordios nodos isti, ac vincula Amoris solui nescia, nonnulli in manibus, in thensis ouorum confractorū dimidiata putamina, vnde prosiliebant infantes, quod de geminis Castore & Polluce Poëtæ fabulati sunt. Signa militaria alij, in quorum orbibus, hic Alberti & Isabellæ facies coniunctissimæ, illic ipsorum insignia noscebantur.

Sed ecce, inter captiuos trahitur passis crinibus ac ore pugnis cōtuso Voluptas: ac propè liuentibus plagis deturpata, incesta Venus, infamisque puer, qui euulsis alis gemens & eiulans, ac sequi renuens, laqueo in collū iniecto, ab Anterotibus trahitur. Tropæophori arcus & sagittas, telaq; confracta, velumq; quo oculos inuerecūdus tegebat, Veneris præterea faculas, fumum atrum fœdissimiq; odoris, vti credebatur, adhuc exhalantes, aliaque impudicitiæ desidiæque detracta arma & insignia, spoliorum loco præferebant. Quin volucres nonnullæ castæ, ac fidei intemeratæ, turtures, cornices, volitantes, discursantes, ac modò Amorum capitibus, modò currui triumphali insidentes, pars erant triumphi. Agmen claudebant captiui, inter quos vinctis arctè brachiis flentes, eiulantes, at nulli misericordiam mouentes Discordia, Lites, Querimoniæ, cum Zelotypia, titulis suis ac insignibus maximè dignoscebantur. In tabulæ extremo, arcus triumphalis comitatum omnem excipiebat. Sed hîc nimium immoramur.

Ad zophorum primæ contignationis veniendum, qui variis sertis & corollis, arcubus, pharetris, telis, patellis sacris ac boum craniis lemniscatis, Ducis insuper Arschotani insignibus vndiquaque exornabatur.

In intercolumniis tabulæ duæ, non minoris artificij quâm illæ frontis prioris, nec minùs spectantium oculos in admirationem rapiebant, Felicitates repræsentabant, quas ex faustissimis Archiducum nuptiis ac imperio, pace terrâ marique partâ, Belgicis prouinciis omnes ominamur.

In priore cernere erat, in pascuis distentas lacte vaccas, boum alibi ac iumentorum, hic in campis ouium greges, lætissimas in agris segetes, hîc culta pomaria, pagos villis & incolis frequentes: Templa Dei cultoribus plena: rusticos suis operibus tuto indulgentes. Alibi encænia sua celebrantes, hos disco, alios ad scopum sagittis, aut ad auem è ligno, perticæ, aut altissimæ arbori superimpositam, se exercentes. Omnia tripudiis, conuiuiis aliisque honestis oblectamentis plena. Regias vias, curribus mercibus onustis, abeuntibus aduenientibus perstrepentes. Ne militis aut prædonis vmbra quidem vspiam vlla. Nec in vrbibus, quæ procul apparebant, temporum reparatio minor coniectabatur.

Hæc nos ſecla manent.

Imæ tabulæ pro augurio ſubſcriptum erat: qui verſus in altera tabula abſoluebatur:

Sponſis ea fata canuntur.

In ea verò mare longè lateque conſpicuum, omnis generis naues à Batauis & Zelandis Belgicæ ſuæ reſtitutis, ab Anglia, Dania, Hiſpania, ab Indis ipſis ad nos aduenientes, à nobis aliò ſoluentes, cum applauſu mutuo ſibi occurrentes, iucundiſſimum oculis ſpectaculum obijciebat. Nec deerant nauicularores, qui in alto halecum piſcatui, propius maiorum minorumq; piſcium, muſculorum etiam & oſtreorum capturæ indulgebãt. In litore, naues alij ſubducebant, alij retia ad ventum expaſſa ſiccabant, mercibus alij naues exonerabãt, quas iſti plauſtris & vehiculis impoſitas aliò tranſuehebãt. Videre etiam erat ante diuerſorij fores, cui pro inſigni in tabula penſili SECVRITAS, officioſam mulierem, quæ hoſpitibus ſuis deſquamatos & exenteratos piſces in cœnam apparabat. Quin & in pratis virentibus, quæ mare aut æſtuaria alluebant, virgines & puellæ luſitantes, choreas ductantes, aut omnis generis flores, ſertis & corollis ſuis ſummâ cum ſecuritate legentes, ac intertexentes conſpiciebantur. Facite ALBERTE & ISABELLA, ne fallax ſit Valentianarum veſtrarum augurium: quodque à nobis optatum tantummodò hactenus, vt ſperare etiam audeamus, ſeriò & cum effectu iubete.

Super maioris portæ curuaturâ in triangulis, Amores alati duo: ſed oculati ſagittas aureas ludibundi in ſe mutuò ex arcu eiaculabantur.

Minorum verò portarum angulos corollæ è candidis purpureiſque roſis, ſtereobatas Amores in Cygnis vecti, fornicis medianæ portæ cuneos Valentianæ ciuitatis inſignia occupabant.

Atque hîc Arcus illius ſecundi tantopere laudati vtriuſque frontis deſcriptionem claudimus.

Nec minor portarũ qua tranſitus erat interior ornatus. Ibi verò Principum noſtrorum virtutes & decora, geſtaq; præcipua (quî enim omnium locus vllus, nedum tam anguſtus, capax eſſe poſſit?) latera tranſitus, conuexaque ipſa circumquaque illuſtrabant.

Ac in minoris quidem portæ, quæ ab arcus parte dextrâ forum proſpiciebat, lateribus, Albertus primùm in curru triumphali, æneo monochromate, ſublimis conſpiciebatur, cui volitans à tergo Victoria, lauream capiti imponebat, ſubſcriptum:

DE CALETIBVS ET OCEANO ITIO.

Subſequebatur eiuſdem Alberti ſtylobatæ impoſita, laureata, ac in Romana panoplia, ſtatua equeſtris quam ARDREA CAPTA meruit.

E regione, Arcus triumphalis Romanæ ſtructutæ HVLSTO EXPVGNATO ipſi erigebatur.

Inde altera ſtatua, ſed pedeſtris, ſimiliter laureata, ac in Romana armatura & paludamento, in baſi ſua cernebatur elogium:

AMBIANO OCCVPATO.

Laquearis cõuexum illuſtrabant Archiducis inſignia ex auro & argento, in ſerto triumphali, quæ ambiebant vndique trophæa varia, & coronæ, volitanteſque Genij.

Medianam verò portam ingredientibus, primum quidem occurrebat, non monochromate, ſed viuis depicta coloribus Olyſſiponis topographia, ac memorabilis in eius portu conflictus, in quo Alberti Principis conſtantia & virtus maximè enituit, titulus erat:

OLYSSIPPONE CONSERVATA, ANGLIS FVGATIS.

Inde tres Heroinę magnifico & regali cultu, ſuiſq; coloribus exornatæ, Gordiiſque & indiſſolubilibus Amoris vinculis inter ſe colligatæ, ac oleæ ramos manibus prætendẽtes, vultu admodum feſtiuo & amabili, ab omnibus etiamſi tituli defuiſſent, pro Hiſpania, Francia & Belgica, ſumma cum voluptate dignoſcebantur, ſubſcriptum:

DIVI PHILIPPI II. HENRICI IIII. REGVM, ET ALBERTI PRINCIPIS ÆTERNVM MVNVS.

O nullus Alexander nodos illos Pacis & Amoris, quos iure & ratione soluere non potest, violenter disrumpat!

Ad alterum latus, Diui Philippi ad viuum depicta effigies sub conopeo viridi in sella considebat. Ille verò fatigato & ægro similis, cubitoque incumbens, Filiam charissimam cum Alberto suo, Hispanici Imperij pondus, quod tradiderat, humeris cum laude sustinentes, libens contemplabatur. Viuebant illi etiam in tabula, & globum Geographicum totius orbis, in quo Hispania & Peruuia maximè conspiciebantur, velut Alcidæ gemini humeris coniunctim librabant, cum interprete titulo:

DIVO PHILIPPO II. ANNIS FESSO, ISABELLA CVM ALBERTO HISPANICI IMPERII ONVS SVSCEPERE.

Non longè aberat Belgica, tot Cæsarum, Regum & Principum mater, turrita Cybele, quæ cum Leone adiuncto, brachiis expassis Principes laborantes ad præmium, ad se scilicet aduocabat, quod indicabat titulus:

LABORVM MERCES BELGICA.

In conuexo lacunaris ad solem magnum radios aureos circumquaque diffundentem, Genij varij, alij cruribus totoque corpore circumplexi, ramos alij, sertaque rosea, faces & trophæa, arcusque præferentes circumuolitabant.

Cernebatur etiam Ciconia super Regis & Archiducum imagines, quæ parentem senio grauem ferens ipsa, ore etiam proprio nutriebat, adscriptum erat:

ANTIPELARGIA.

Quod vocabulum Pietatis illud & nutricationis officium designat, quod Ciconię exemplo (quæ Græcis πελαργός) parentibus vetulis à liberis rependitur.

Alterius verò portæ minoris summum laquear obtinebant Serenissimę Principis nostræ insignia, in serto triumphali, rosis aliisque floribus intertexto, quod variæ virtutes, Isabellæ nostræ indiuiduæ comites, floribus nouis certatim adaugebant.

Ad latera transitus hæc epigrammata inscribebantur:

Quam non vna vehit rutilans super astra coronam
Qua daret huic, virtus non satis vna foret.

E regione:

Atqui virtutum locupletem, scriptor elenchum
Debes, solue fidem, soluo, Isabella, sat est.

ABSOLVI Arcus illius triumphalis omni ex parte explicationem. Pergunt itaque Principes. Et paulò vltra medium plateæ Ormerianæ, pegma siue theatrum à Pannariis Magistratus iussu excitatum inuenêre, cum hoc argumento subitæ inuentionis, quod dedimus.

Illud verò longum pedes XL. profundum X. XX. altum, pannis albi rubei & cærulei coloris circumquaque contegebatur.

Ab vna parte proscenij viuis personis Albertus Bellonæ, Rebellioni, Direptioni, Fami, Paupertati, ab altera Isabella Hæresi, Peruicaciæ, Atheïsmo, Blasphemiæ, Epicureïsmo, bellum inferebant, profligabant, è finibus nostris procul eiiciebant. Propè erant, hinc Pax oleæ ramum dextrâ, sinistrâ Cornucopiæ gestās, illinc Religio vestalis amictu, Christi crucifixi imaginem arctè complexa, cū rosario (quod vocant) à zona dependēte, quæ in arâ quæque suâ suffitus iniiciebant. Pacis aræ serpens circumuoluebatur. In theatri zophoro tetrasticha Gallica duo extemporanea prosopopœiam interpretabantur:

Courage, Albert, chasse à ce coup la guerre,
La faim, la foulle, & l'oppresse: En leur lieu
Rens nous la Paix fille aisnee de Dieu,
Pour veoir encor refleurir ceste terre.

Et toy

Et toy auſſy que le ciel a choiſie
Pour reſtablir la croix, & les aultels,
Frappe, Iſabel, & chaſſe à coups mortels,
Bien loing de nous la peruerſe Hereſie.

Macte, Alberte, procul bellum depelle famémque,
Et preſſos variis nos tueare malis.
Cura ſit è cœlo venientem reddere pacem,
Sumat vt antiquas Belgica rurſus opes.

Tu quoque quam cœlum reparandis deſtinat aris,
Vt redeat veri cultus honórque Dei:
Pelle procul denſas errorum, Iſabella, tenebras,
Claráque lux radiis ſit rediuiua tuis.

In ſupremo tabulato, Archiducum inſignia, plintho editiori impoſita, humilius paulò ab vtraque extremitate, hinc Arſchotani Ducis, illinc Ciuitatis noſtræ conſpiciebantur. Reliquum picturæ monochromateæ conueſtiebant.

SED iam ad Diui Gaugerici cœmeterium Principes acceſsêre. In qua quidem regione Arcum triumphalem, non tam mole ſuâ, quàm eorum quibus dicabatur, nominibus & titulis, ſed & formâ etiam ac argumento, cum prioribus de præſtantia contendentem libentiſſimè collocaſſem, ni Senatus interceſſiſſet, qui eum laudatum & ſummè probatum, cum duobus aliis, ne ſumtus nimis excreſceret, prætermitti iuſsêre. Quin hîc tamen deſcriberem, pro noſtra omnium erga Diuum Regem optimum pietate, erga Regem filium, vnicum Belgicę patronum, amore & cultu, continere me non potui, cuius & auctores primi è Rep. fuere.

Duas ille frontes, vnum tantùm habuiſſet ingreſſum. Niſi quòd arte pictor duas in intercolumniis portas effinxiſſet, quæ opticâ ratione proſpicientibus veræ portæ ac peruiæ procul apparuiſſent.

Pedibus in latitudinem XXII. in altitudinem XXXIIII. terminari debebat.

Structuræ fuiſſet Corinthiacæ, quatuor è marmore nigro columnis innixus. At baſes & ſtylobatæ, ſuprà verò capitula, cum acanthi frondibus, adhæc epiſtylium, zophorus & coronix Parium marmor præ ſe tuliſſent.

Partis anterioris hæc eſto delineatio. Illa verò memoriæ æternæ optimi Regis de Belgarum Rep. per omnem vitam, maximè verò in extremo iſto vitæ ſuæ termino tam præclarè meriti, iure optimo conſecranda videbatur.

Zophorus vrnis, boum capitibus, pateris & encarpis decorabatur.

A coronice altera contignatio aſſurgebat, in cuius quadrato mediano ceteris latiore, hæc inſcriptio deſignabatur:

MEMORIÆ ÆTERNÆ DIVI PHILIPPI II. HISPANIARVM ET INDIARVM REGIS OPT. MAX. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS, QVO BELGIS AFFLICTIS PACEM COMPARARET, FILIÆ CHARISSIMÆ ET ALBERTO CONIVGI, PROVINCIAS HAS OMNES AB HISPANIIS SVIS AVVLSAS, NOVO ATQVE INAVDITO LIBERALITATIS ET PIETATIS EXEMPLO, VIVVS LIBENS CESSERIT, AC IPSIS, LIBERIS POSTERISQVE EORVM PROPRIAS ESSE IVSSERIT, RESP. VALENTIANA GRATITVDINIS ERGA PATRIÆ PARENTEM MONVMENTVM EXSTRVI CVRAVIT.

Ad dextrum latus in amplo loculamento, liberalitatis ex ære ſimulachrum inuerſo copiæ cornu varij generis numos profundebat.

Siniſtrum obtinebat Pietas, ſiue Charitas, puerulis cincta ad pedes adblandientibus.

Intercolumnia contignationis primæ, duæ aliæ virtutes in loculamentis quæque suis, hinc Prouidentia hastam manu tenens, alterâ globum ante pedes ostentans, illinc Indulgentia, fulmen prosperum dextrâ, hastam sinistrâ gestans, cum leone ante pedes, similiter obsidebant, quales in veteribus numis exprimuntur. Singulis sua aderat inscriptio:

LIBERALITAS PHILIPPI. PIETAS PHILIPPI

PROVIDENTIA PHILIPPI. INDVLGENTIA PHILIPPI.

At ab vtraque coronicis secundæ eleuationis extremitate, ingens frontispicium attollebatur, in cuius arcu siue tympano, vrna prægrandis aurea, sub corona Regali, optimi Regis cineres religiosè assetuabat.

Duo ab vtraque parte alati Genij, exstinctas faculas suas inuertētes, vrnæ dormitabundi cubitis incumbebant. Lauri & palmæ rami ab vrnæ ore prosilientes, reliqua spatia longè latéque obumbrabant.

In frontispicij angularibus acroteriis, in dextro quidem Phœnix ex rogi sui cineribus sobolem nouam excitabat. In altero Pellecanus pectus rostro aperiens, proprio sanguine pipientium pullorum famem solabatur.

In tertio verò acroterio, quod in summo erat frontispicij fastigio, Iouis ales toto corpore & alis ad volatum exporrecta, fulmenque vnguibus stringens, è globo cui insidebat, Regem optimum, in coronâ radiatâ, ac hastam manu tenentem, in cælum inter Indigetes transferebat, subscriptum:

NEC SPE NEC METV.

Quod augustum ac verè heroïcum Regis elogiū, ab ipso (vt credo) nunquam vsurpatum, à doctis ob virtutes supra hominem verè adtributum, supra humana sortemque omnem iam constitutus, verissimè ac citra inuidiam vendicare sibi potest.

Fornicis cuneos ipsius insignia auro & argento radiantia, in serto triumphali, cum titulo pij & Christiani Principis:

DOMINVS MIHI ADIVTOR.

Triangularia vtrinque spatia, Aquilæ volitantes, palmæque & lauri ramos ore deferentes, fulmenque vnguibus tenentes, occupabant.

Stereobatæ atis fumantibus insigniebantur, cum titulo:

CONSECRATIO.

Nec portis ipsis minoribus arte optica oculos effascinantibus, ornamenta quoque sua in triangulis deerant. Huic quidem Regales coronæ, bacillum in quo compositę ad summum vsque scapi fastigium adimplentes, quas coronabat eximia vna superior, radiis augustioribus, ac astro Philippæo insignis. Alteri verò sceptra plura lemniscis regiorum colorum aurei, argentei & coccinei, in fascem colligata, quæ astrum idem suprà illustrabat.

Anteriorem arcus nostri faciem, Regis optimi memoriæ dedicabam, alteram cui potiùs quàm Philippo III. eius F. nominis & regnorum, sed & virtutum laudumq́; legitimo heredi, Serenissimorum Principum nostrorum Fratri, Nepoti amantissimo, amicoq́; Belgicæ quasi parenti, quæ eius fauore & potentia ferè tota sustētatur: Nec ingratum id, credo, Principibus nostris fuisset, si Parentis optimi memoriam renouantes, Filij quoque tam illustris amici patrocinium agnosceremus.

Eiusdem illa prorsus figuræ, & ordinis cum priore, in mediano secundæ eleuationis quadrato, hoc epigrammate animabatur:

PHILIPPO III. HISPANIARVM ET INDIARVM REGI POTENTISSIMO,
DIVI PHILIPPI II. REGIS OPT. MAX. F. SERENISSIMORVM PRINCIPVM
NOSTRORVM FRATRI, NEPOTI AMANTISSIMO, S. P. Q. VALENTIANVS,
DIVO BELGICÆ TVTELARI L. M. D. D.

Inde frontispicium à coronice assurgebat, in cuius tympano potētissimi Regis insignia auro & argento, gemmisq́; collucentia, leones prægrandes duo vnguibus tuebantur. Ab vtraque parte angustias, sceptra regia coronis decussatim infixa, ac serta triumphalia occupabant.

Fastigij summi acroterium Religio cultu ac habitu consueto obsidebat: cuius tuendæ ac propa-

ac propagandæ hæreditatem à patre, auoq; Diuo Carolo v. præclarisque maioribus optimo iure sibi relictam, tam in Europa, quam in remotissimis quibusque orbis regionibus, sibi vllo modo eripi, aut imminui, optimæ spei Princeps nunquam patietur. Quin stimulos addet in ista ætate & initiis veræ gloriæ amor, famæque amplificandæ laudabilis cupiditas, quas diuas duas, Gloriam dico, & Famam, in acroteriis aliis duobus propterea collocabam.

Ad denotandam verò super omnes seculi sui Principes ditionum amplitudinem, atque potentiam, quatuor orbis partium simulachra, in quibus omnibus latè ille dominatur, in loculamentis suis statuebam, Europam scilicet & Asiam ad vtrumque latus superioris inscriptionis, Africam verò, atque Americam in intercolumniis sub epistylio, eo cultu & figurâ, quâ à veteribus tres priores, quarta à nostris exprimi consueuere.

Triangulares angulos super portæ curuaturâ Honos & Virtus, familiares gentis Austriacæ Diui, ac quasi dij Penates (vt antè depicti) fornicis cuneos Principum nostrorum insignia, stereobatas verò, hinc Leo, illinc Cygnus, geminum ciuitatis insigne exornabãt. Nec absurdè etiam in triangularibus spatiis, super portarum curuaturâ arte opticâ ementitarum, duas dextras simul iunctas cũ caduceo & cornucopiæ, Concordiæ inter Regem Principesque nostros æternæ, Felicitatisque futuræ symbolum, constituebam.

Sed quod in aliis fecimus, ornemus etiam huius arcus interiora. In summo laqueari Hispaniarum & Indiarum Regis insignia, in corona triumphali, auro & argento resplendentia, tres soles, Oriens scilicet, Meridianus & Occidens, circumambiẽtes radiis suis magis illustrabant. Ab imo enim conuexi ipsius siue hemicycli margine, Sol ab Indis veniẽs, vix totâ adhuc sui parte nobis conspicuus, alterum regij clypei latus, rosis & auro totum inspergebat. Inde Principis sui regali diademate velut adornato, ingentes gemmarum & vnionum thesauros, variaque aromata, exoticaque alia, vectigalis loco, largiter profundebat.

Mox altior & radiis illustrioribus insignia tota circumcingẽs, emensis maris Erythræi, Africæque vastæ per Æquidialem circulum, citraque & vltra, spatiis non parem Philippo Regi Principem, circumquaque se in toto itinere aspexisse, neque alia culta magis, ac formidata, omnibus iis litoribus, quàm Hispaniarum insignia, clarè profitebatur.

Nec alia ad Oceanum tendentis vox aut facies. Quinimo ab altera testudinis parte siue zonâ, Regia signa vltimo radiorum suorum afflatu, iam pronior velut exosculatus ad amplissimum Peruuiani Mexicanique tractus Oceanum notissimum cubile, sub tanto Monarcha, quem vnum orbis ille agnoscit, longè quàm olim libentiùs descendebat.

Zephyris interim imperans, vt margaritas vnciales, gemmas, immensosque auri & argenti cumulos, quorum portionem Belgis designabat, tutò in Hispaniam deferendos curarent.

Potentiam igitur Regis, ditionumque amplitudinem triplex ille Sol significabat, qui siue oritur, aut occidit, siue meridiem tangit, victricia Hispaniarum vexilla, notissimosque clypeos sub se semper intuetur.

Latera transitus disticha quatuor occupabant. Quorum prius chronographicum ex pluribus vnum, quæ hoc argumento composui, sed huic loco maximè conueniens, Regis optimi discessus annum ingredientibus aperiebat:

Non fatI VIs dIra noCet, sVper astra PhILIppVM
HInC, DeVs eXCIpiens, ad noVa sCeptra VoCat.

Alterum successorem filium ita alloquebatur:

Suscipe sceptra patris, laudesq́, Philippe, Philippi
Crede mihi, hoc nomen numen & omen habet.

At inter disticha illa duo, Diuus Philippus pater ad viuam effigiem depictus, humanâ staturâ maior, in coronâ radiatâ, cui fulgens sidus superinditum, & hastam manu tenens, Phi-

nens, Philippum filium minorem, pallio longè lateque expasso, totum ferè contegebat. Qualis Iupiter Traianum in veteri numo, cum elogio:

CONSERVATOR IMPERII HISPANICI ET BELGARVM.

Tertium & quartum epigrammata ad Archiduces spectabant, quibus tam amanter & liberaliter, optimus pater consentiente pientissimo filio, bono Reip. (valeat omen) Prouincias istas cessit, ab ipsis, liberis, posterisque perpetuò possidendas.

Alberto haud potior, tibi Rex, Isabella, Philippus
Quem thalami socium, quem solijq́, daret.

Quàm benè dilecti firmat post fata Philippi
Anchora Belgiacas iam geminata rates?

Inter vtrumque verò distichon, ad viuum efformati Serenissimi Archiduces Principes nostri manibus inter se iunctis anchoram geminam tenentes, ac in aduersas Philipporum effigies oculos intentè coniicientes, ab Astro Diui Patris, & à Rege Filio, in istis auspiciis non vnius generis opem implorabant.

Ac talis erat Arcus ille triumphalis postremus, quem Diuis Belgicæ tutelaribus meritò consecratum, propter summam nostram in Regem defunctum pietatem, erga viuentem obseruantiam, quo Atlante vnico vniuersa Christianorum Respublica, non res tantùm Belgica nititur, erigi nequiisse summopere dolui.

PAVLÒ vlterius ad alterum dicti cœmeterij latus, pegma siue theatrum Coriarij exstruxerant, quod etsi protritę inuentionis, neque à nobis præscriptum, aspectu tamen non iniucundum fuit. In quo, in altiori montis Parnassi iugo Apollo citharam pulsans, inferius verò sub cliuo nouem Musæ à Mercurio, caduceo petaso & talaribus suis insigni, eò deductæ variis instrumentis Musicis, Principes aduenientes salutabant. In altero Pegasus vngulâ fontem eliciebat, qui per montis decliue delapsus, potiorem theatri partem, solumque aquis irrigabat.

Sub proscenij tabulato Bellum ac Discordia Furiæque infernales, carceri tenebroso à Principibus æternùm mancipatæ, quem clathra, cancellique ferrei, vectesque indomiti validissimè muniebant, in manicis & compedibus eiulantes, frendentes, rugientes, rei ipsius desiderium nobis omnibus, tam gloriosæ verò laureæ, Principibus ipsis spectantibus ardorem prorsus iniiciebant.

Statim verò ab illo theatrum ordine postremum in areæ Palatinæ siue aulæ Comitis ingressu à Comœdiarum actoribus erectum & inuentum, aduenientes Principes excipiebat. Illud verò columnis porphyritem ementientibus, ac tribus ante hermis siue terminis sustentatum, aulæis suprà & infrà decentissimè conuestiebatur. In proscenio hæc visebatur prosopopœia. In medio erat Belgica habitu & gestu miserabili, quam Bellum, Inuidia & Exterminium siue Mortalitas compedibus & manicis constringebant. Non procul Pax & Iustitia tetro carceri à Tyrannide mancipabantur. Belgicam ad latus solabatur Humilitas, cuius hortatu Deum implorans, videt, ecce, Dei gratiam, quæ cœlitus illabens Bonam Mentem ipsi reducit & Patientiam, & mox Albertum & Isabellam, quos auxilio adfore antè prædixerat, digito commonstrat, qui diruptis subito catenis & euerso carcere, fusisque & fugatis hostibus, Belgicam in genua prouolutam, passisque brachiis vltores aduocantem, simulque cum illa Pacem & Iustitiam, orbi Belgico reductas, in libertatem vindicabant. Quæ omnia longè meliùs & iucundiùs à loquentibus personis postridie in ampliori theatro coram populo repræsentabantur.

Supra portam ipsam vtriusque Principis in tabulis amplis insignia, hinc inde designabam, quæ virentes hederæ, lemniscis colorum suorum decenter colligatæ circumplectebantur. Subiungebatur suum cuique distichon:

Ista virens hedera æternum, generisq́ue, throniq́ue,
Æterni, Archiduces, esto Hieroglyphicum.
Vincula sic hederas, sic vos concordia, vobis
Sic populum, Archiduces, iungit & vnit amor.

Sed vt hæc, aliáque plura triumphi huius decora & ornamenta, quæ variè designaram, prætermissa fuerint, inualetudo nostra, eorúmque incuria, quibus negotium datum est, caussam præbuere.

INGRESSI palatij sui aream Principes, quam Aulam Comitis vocant, circa templi palatini propylæum, quod B. Mariæ Virgini consecratum est, ex equis descendêre, atque ibi à Canonicorum collegio in trabeis aliisque Ecclesiastici ordinis excepti, R. diui Ioannis Baptistæ Abbatem inter primos obuium habuere: qui, vtpote Principum ab omni antiquitate Parochus, à Consiliis & à sacris primus, sacrosanctæ Crucis imaginem auro & argento, gemmísque collucentem, ipsis offerebat, quam vterque in genua procumbentes, religiosè deosculati sunt.

Inde in templum introductis, suauissimo symphoniacorum, musicorumque instrumentorum concentu, Deo Opt. Max. pro tam fausto aduentu gratiæ actæ, ac Hymnus D. D. Ambrosij & Augustini, TE DEVM, iucundissimè decantatus est. Quo finito, Collegij Decanus Ioannes Rasorius, V I. præfecto patre, sed magis à se, propriisque virtutibus clarus (qui post exactos in aulâ, procerúmque ministerio cum laude potiores iuuentutis annos, iam se Deo tutius ac fructuosius mancipauit) Principes accedens, Collegij sui canonicorumque caussam, qui à prima institutione Principum sacellani, supplex commendabat. Illi verò malignè ac tenuiter admodum dotati, per temporum etiam iniurias, in bonis & facultatibus magis afflicti, cum paupertate indignè nimis luctabantur. Auditus benignè, & cum bona spe dimissus. Inde Principes in palatium suum, reliqui ad suas quisque ædes concesfêre. Antè tamen armatorum ciuium agmina, quę hucusque Principes deduxerant, concordibus ac sæpe repetitis scloporum displosionibus, faustam ipsis noctem precabantur. Instaurati vbique ignes, ac totam ferè noctem continuati. Sed & missiles ab arte excitati, iucundissimum, non sine tamen puerorum muliercularúmque terrore, spectaculum præbebant. Simul iterati sub noctem sæpius è mœnibus, tormentorum æneorum horrifici boatus. In templorum verò omnium turribus (quæ laus vnica supra alias Belgij vrbes ciuitatis nostræ) campanæ gratissimis modulaminibus, vespere ad multam noctem, Principum, omniúmque aures, animósque exhilarabant. Postridie ante lucem, tormentorum reboatibus salutati Principes: quod & toto eo triduo, manè & sub noctem semper obseruatum. Manè à Magistratu, stipantibus à palatio ad templum vsque ciuium armatorum nostrorum, vias vtrimque cohortibus, cum omni procerum, nobiliúmque comitatu, ad Diui Ioannis Baptistæ templum pro more deducti. Vbi ante domus fores R. Abbas D. Ioannes Fallisius, vitæ integritate, doctrina, prudentia, ac humanitate, aliisque dotibus inter paucos insignis, cum suo Canonicorum Regularium sub signis Diui Augustini militantium collegio, in trabeis sacris, Principibus iterum venerandum salutis nostræ mnemosynum exosculandum præbuit. Templum ingressi, ac sub magnifico conopeo damasceni ianthini siue violacei, ambo recepti, religiosè sacrum audiuere: quod solemniter peregit Abbas, cum admirabili Musicorum variorumque instrumentorum modulatu. In aulam suam reuersi, theatrum, quod non longè à templo Palatino sacramento de more dicendo præparatum erat, Principes, proceresque eum Magistratu conscendêre. Illud verò quatuor columnis lapidem ophitem referentibus (quæ in fronte vnoque ordine omnes) cum suis epistyliis & stylobatis sustentatum, in altum pedes XVI, in profundum duodecim, quinquaginta quatuor in longitudinem protendebatur. Proscenij erat depressioris, quo facilior ab vtraque parte, per accliue tabulatum sine gradibus esset ascensus: pannísque coccineis suprà & infrà, ac circumquaque eleganter decorabatur, ac in eius aduerso latere

rere ciuitatis insignia phrygio opere elaborata, vtrimque repræsentabat. Exteriores ex eodem panno margines, siue limbi, theatrum superambientes, ac fimbriis argenteis, cæruleisque è serico filo prætexti, Principum insignibus in amplissima tabula scitissimè depictis, nobilitabantur. In proscenij medio tabulatum assurgebat, duodecim pedum in diametro: ad quod simili panno instratum, ac conopeo principali è panno aureo adumbratum, gradibus duobus ascendebatur. In eo sellæ duæ positæ holoserico rubro tectæ, in quibus consedêre Principes. A dextris extra conopeum Proceres, ac Serenissimæ Infantis matronæ ac puellę nobiles. A læua stans Comes Solranus gladium Principis nudum manibus præferebat, ac iuxta Pręses Richardottus, quò & se contulit Illustrissimus Dux Arschotanus, vt ab ea parte Magistratum Principibus præsentaret.

Tum verò, silentio facto, iussus dicere amplissimus Præses, Principum nostrorum Nestor, cui Nestoreos annos bono suo vouet Belgica (in quam sententiam hos nuper versus effundebam,

Olim Agamemno decem optabat sibi Nestoras, instar
Richardote fores vnus at ipse decem.)

alta voce, vt à populo, qui frequentissimus aream omnem, ac prati planitiem implebar, exaudiretur, exorsus, Hominem, dicebat, quamquam & à corpore, & ab animo perfectissimum animal, omnibúsque numeris absolutissimum Conditoris sui opus, proprij tamen ingenij viribus vllave mentis indagine aut ratiocinatione, in diuinæ prouidentiæ abdita penetrare, aut ipsius arcana reserare, numquam potuisse. Quinimò quò altius ausu temerario in futura inquirens, acutissimè sibi visus omnia, & certissimè antè peruidisse, eò fœdiùs lapsum, insipientiam hac in parte suam, cæcitatémque semper prodidisse. In cuius enunciati fidem Belgicam nostram aduocabat, in quâ quoties conclamata omnia, tempestatibus, domi foris Reip. nauim agitantibus, conquassantibus, ac tantùm non demergentibus, nec spes vlla salutis affulgeret, at certissima omnium iudicio ruina & desolatio, toties ferè admirando Dei supremi consilio ac sapientia singulari, ab interitu conseruatam, ac ab vndis in securum tranquillitatis portum tandem deductam, omnis æui historias testari posse. Exempla commemorabat, ab ipsis primis fermè Belgij Principibus, sed vnum inter cetera singulare, nec nimis vetus de Maximiliano Archiduce, post Imp. eius nominis primo, & Maria Burgunda harum prouinciarum herede, felicissimis Archiducum nostrorum atauis, qui inauditis bellorum & factionum procellis & difficultatibus, in ipsis statim principatus sui initiis conflictati, à potentissimis hostibus vndiquaque circumsessi, & tantum non oppressi, prærer omnium spem & exspectationem compositis rebus, florentissimas hasce ditiones liberis ac posteris suis reliquêre. Itaque si par fatum serenissimos nepotes, Principes nostros, in his auspiciis infestet, si Belgica omnibus calamitatum generibus à tot annis exercita, ac panolethriæ quàm remedio propior, omnium iudicio vix iam habeat quod speret, sperandum tamen, eadem illos etiam, parique cum ceteris felicitate per omnipotentis Dei bonitatem & clementiam, viis quas nouit solus quaque minimè remur, sed & faustissimæ huius coniunctionis beneficio, ex his fluctibus emersuros, ac se, Belgicamque suam, quâ post Deum charius ipsis nihil est, in tranquillo constituturos, ordinataque Repub. pietatem & iustitiam cum pace & securitate vbique restituturos, quod vnum maximè ipsis in votis est. Erga Valentianas verò suas dicebat peculiari quodam affectu ferri Principes, quod intelligerent maiores suos, siue loci amœnitate, rerumque omnium affluentia inuitatos, siue laudatissimis Reip. legibus ac institutis, populique indole, in Principes suos ab omni memoria propensissimi, hanc præ ceteris ciuitatem vnicè dilexisse, ac delegisse, in qua potiorem habitationis suæ sedem & domicilium constituerent. Hinc tot amplissimis priuilegiis & immunitatibus decoratam, si vlla alia in toto Belgio, dum aut libertates antiquas, iuraque eximia, ac prærogatiuas, quæ originem & auctorem nesciunt, ipsi confirmant, aut nouis indies augent. Sicque singularem ipsorum fidem & amorem grati Principes variè remunerantur. Hinc tot basilicarum & sacrarum

sacrarum ædium, monasteriorúmque immensis sumtibus excitatæ moles, tot loca, piis vtriusque sexus pauperum infirmorum, vetulorum, viduarum, leprosorum, clinicorum, pestiferorum, orphanorum, sacerdotum senio & inopiâ grauatorum, peregrinantium, similiumque vsibus dedicata, quæ exteri summè admirantur, ac inde singularem veterum Principum, sed & populi ipsius erga diuina humanæque pietatis officia voluntatem feruoremque non dubiè coniectant. Hinc tot laudant Valentianas Principes, qui sua ipsis lucis primordia debent & cunabula, tot qui nouissimum quietis & dormitionis suę locum hîc ex affectu delegêre. Nec omittebat quomodo hæc ditio à Principibus propriis & Comitibus Valentianorum cognomine celebratis, multis seculis laudabiliter administrata, mentione etiam Castellanorum Valentianorum aliqua, quos post Comites, cum auctoritate hæc ciuitas aliquamdiu agnouit, tandem ad Hannoniæ Flandriæque Comites, Bauari ac Imperatorij stemmatis Duces, ac per inclytam domum Burgundicam, regij Francorum sanguinis, omnium toto orbe nobilissimam, ad Austriorum gentem æternum iam nobis, sed & potiori orbis parti numquam intermoritura stirpe dominaturam (sic faxit Deus) demùm peruenerit. Ab his ortos maioribus serenissimos Archiduces Principes nostros, sed nec minus amoris ipsorum & beneuolentiæ, quàm ditionis heredes aduenisse, vt quod in aliis iam factum, in aliis faciendum, huic prouinciæ Principes inaugurarentur. Neque se dubitare, quemadmodum ipsis, in eo quem à maioribus accepere erga præclaram hanc Rempub. affectu persistere certum est, populum vicissim eandem quam illis olim, sibi quoque fidem & obedientiam præstiturum.

In hanc fermè sententiam amplissimus Præses, sed quod homo facundus pluribus ad semihorulæ spatium, & disertissimè dixit, noster calamus ex aliorum solo relatu (nam vt interessemus morbus obstabat) adæquare nullo modo potuit. Quod verò de Principum hac in vrbe natalibus & monumentis dixit, verissimè dixit. Inter plurimos enim qui primam inter nos lucem salutauêre, illustriores nominare possumus,

Balduinum Imp. Constantinopolitanum, Flandriæ, Hannoniæ, & Valentianarum Comitem.

Ioannam & Margaritam eius F.F. & ordine heredes.

Ioannem I. Auesnensem, Margaritæ F.

Isabellam, Philippi Namurcensis F. Balduini Imper. N. Philippi Augusti Franciæ Regis coniugem.

Henricum Lucemburgium Imp. eius nominis VII. natum in palatio suo Bellomontano: quod post pia Beatricis matris, Balduini Constantinopolitani proneptis liberalitate, ob honorem cunarum Filij Augusti (hoc enim disertè fundationis litteræ) Dominicanarum virginum sacræ habitationi consecratum est..

Mariam adderet Guicciardinus Belgiographus, nec solus, Caroli Audacis, Burgundiæ Ducis F. & heredem, quæ Diuo Maximiliano I. nupta, in familiam Austriacam, has insignes prouincias feliciter intulit: vt &

Margaritam Austriacam, alij ipsorum F. Heroinam præcellentem, pacis arbitram, quæ pro Carolo Quinto nepote, Belgium vniuersum tanta cum laude administrauit. At non ego, manum enim fugitiuis iniicerent Bruxellenses, qui meliori & certiori iure vtriusque Diuæ natales sibi vindicant.

Sepulchris verò nobilitantur, Franciscanorum & Dominicanorum monasteria inter ceteros,

Ioannis Auesnensis I. Margaritæ Flandræ F. cum Aleida vxore Gulielmi Augusti, Hollandiæ & Zelandiæ Comitis F.

Ioannis II. Auesnensis ipsorum F. cum Philippa Lucemburgia coniuge.

Gulielmi I. Boni, illorum F. quem Hollandiæ annales eius nominis tertium vocant.

Gulielmi II. eius F. à Frisiis cæsi.

Margaritæ Augustæ, Ludouici Bauari Imp. vxoris, Gulielmi II. sororis & heredis.

Gulielmi III. Bauari ipsorum F.

Gulielmi IIII. Bauari, Alberti Bauari F.

Tôtque aliorum vtriusque sexus Principum qui dominorum nostrorum liberi, affines & consanguinei ex nobilissimis Hannoniorum, Bellomontanorum, Blesensium, Artesiorum familiis, aliisque, quemadmodum ciuitatem hanc viui amauerant, ac iucundissimè inhabitauerant, morientes reliquias hîc suas piè & gratanter condi voluêre.

Vbi ergo perorauit Præses, à Principibus petiit, num more consueto sacramentum dicere & accipere ipsis placeret. Annuentibus illatum scamnum, simili panno rubro contectum, ac super eo sacratus Mysteriorum liber, quem liturgicon, seu Missale vocant, quem in manus sublatum & explicatum Præfectus vrbi Principum oculis obrendebat: dum Roza Consiliarius, antiquissimi iurisiurandi formulam, popliti innixus, clarè ex scripto recitasset. Illius verò exemplum hoc erat:

NOS ALBERTVS ET ISABELLA CLARA EVGENIA, Infans Hispaniarum, Dei gratia Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Lucemburgi & Geldriæ, Comites Habspurgi, Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Tirolis, Palatini & Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Zutphaniæ, Marchiones S. Romani Imp. Domini Frisiæ, Salinarum & Machliniæ, ciuitatum, vrbium, & ditionum Vltraiectensis, Transisalanæ & Groningensis.

Nos scilicet Archidux, tanquam maritus & curator Serenissimæ Infantis, & nos Infans, tanquam iure proprietario Domina prouinciarum illarum omnium, Complere volentes & ad exitum perducere, quod à nobis, nostróque nomine vigesimo primo Augusti Anni M. D. IIC. cuilibet Ordinum Belgij Bruxellis in Aula palatij nostri primaria coactorum promissum & iuratum fuit: Promittimus & iuramus ad sacrosancta Euangelia, tuituros nos fideliter ciuitatem hanc nostram Valentianas, simulque vtriusque sexus ciues ipsius & incolas, nec non corpora ipsorum & facultates, domi & foris, ac ipsos iuxta proprias ipsorum leges & iura deducturos & gubernaturos. Profitemur etiam conseruaturos nos, protecturos & obseruaturos, libertates & priuilegia ciuitatis huius, leges, iura, & consuetudines, eâ formâ quâ Maiores nostri, Hannoniæ Comites, & Comitissæ, ac Valentianarum Domini & Dominæ obseruare, & ciuitas hæc, eiusque ciues & incolæ, vti & frui ab omni antiquitate consueuêre. Et curaturos vt litterarum obligationes illæ, quarum hac in ciuitate vsus, præstentur, & ad exitum eum perducantur, quem lex iubet, & iura ciuitatis. Insuper promittimus & iuramus obseruaturos nos inuiolabiliter quæcunque diplomata, rescripta ac instrumenta hæc habet ciuitas à Maioribus nostris Hannoniæ Comitibus, ac Valentianarum Dominis: neque commissuros vt aduersum ea vllatenus vnquam eatur. Promittimus etiam amplius & iuramus, præstituros nos & obseruaturos, quidquid à nobis Archiduce, Serenissimæ Infantis nomine, in illo prouinciarum conuentu XXI. Augusti Anno M. D. IIC. Bruxellis promissum & iuratum fuit.

Ita nos Deus amet, & omnes sancti eius.

In ea verba iurarunt Archiduces, sacrosancta Christi Euangelia religiosè deosculati. Vicissim Præfectus vrbis, Magistratúsque suo, Reique publicę nomine, præeunte Roza, sacramentum dixere, cuius etiam exemplum tale est:

Nos

Nos Præfectus, Iurati, Scabini, Officiarij, Ciues & Incolæ vrbis Valentianarum, Promittimus & iuramus vobis Sereniſſimi Principes Alberte & Iſabella, Clara, Eugenia, Infans Hiſpaniarum, Dei gratia Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ &c. Comites Habſpurgi, Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Tirolis, Palatini & Hannoniæ, &c. Domini Valentianarum, fore nos vobis bonos & fideles ſubditos, Sic nos Deus amet, & omnes Sancti eius.

Subſecutus eſt populus vniuerſus, acclamatumque vna voce ab omnibus, FELICITER, &, VIVANT SERENISSIMI PRINCIPES. Miſſilia à caduceatoribus in vulgus ſparſa vtriuſque metalli. Buccinatorum interea clangoribus omnia perſonabant.

His ſolemnibus adfuerunt, præter Illuſtriſsimum Ducem Arſchotanum Præfectum noſtrum, in litteris quas dederunt Principes (noſtras illi viciſsim habuêre) nominatim expreſsi,

Domnus Balthazar de Çuniga, Regis Hiſpaniarum penes Sereniſsimos Archiduces Legatus.

Dux Aumalius.

Princeps Auraicus, Eques Ordinis velleris aurei, ac de Conſilio Status, vt vocant.

Princeps-Comes Arembergius, eiuſdem Ordinis eques, Archithalaſſus, ac de eodem Conſilio.

Comes Solranus, Eques item velleris aurei, ac de eodem Conſilio Status, Tornaci & Tornaceſij præfectus, Scutarius ſiue Armiger ſupremus.

Ioannes Richardottus Eques auratus, D. de Barly, interioris ſiue priuati Conſilij Præſes, ac de eodem Conſilio Status.

Domnus Rodericus Niño y Olaſſo, Sereniſsimo Archiduci à cubiculis, & prætorianarum cohortium geminatum capitaneus. Aliique plurimi Illuſtres viri ac Nobiles, Sereniſsimorúmque Principum miniſtri & officiarij.

Ac mox Illuſtriſsimus Croy Dux & Arſchoti, vrbis Gubernator, Principes accedens, demiſsè ipſos veneratus eſt, quem illi modicè procumbentem, comiter admodum ſtatim, nec ſine inſigni honoris certificatione, manibus ſubleuârunt. Subſecutus Præfectus, ac è Magiſtratu reliqui, ipſorúmque à Conſiliis & Actis, qui ſingillatim & ordine omnes idem ſubmiſsionis officium ſupplices exhibuere. Nomina non reticebo:

Nicolaus Raſorius VI. Præfectus vrbi.
Ioannes des Maiſieres Grebertiorum Dominus.
Petrus Raſorius.
Nicolaus d'Aſſonuille.
Franciſcus de Boulongne.
Petrus Iuſtus.
Iacobus Godin.
Antonius de la Croix.
Ioannes Viuien Salmonſarti Dominus.
Nicolaus Veruelſt. Antonius Piens.
Tuſanus Bretel. Nicolaus Bouſly.

A CONSILIIS.

Robertus Roſe Dominus de l'Eſpinoy.
Daniel Leſtrelin.

AB ACTIS.

Iacobus Bruſneau. Petrus Dtuet.
quibus velut optio adiunctus nuper, ac in Prætorium admiſſus, vt ad Reip. miniſterium promtius informaretur Conſiliario patre dignus filius Robertus Roſe.

QVÆSTORES.

Antonius de la Croix.
Ioannes Viuianus, ſuprà memorati.

Inde producti ab Illuſtriſimo Duce Arſchotano, qui Equeſtrem ordinem à Principe ſuſciperent, ſupradictus Nicolaus Raſorius, iam VI. Præfectus vrbi, vir patricius, à præclaris in Rempub. meritis, ac virtutum morumque præſtantia commendatiſsimus, & Nicolaus de la Pierre Dominus d'Aubry, quem natalium ſplendor, variæque animi dotes, biſque geſta vrbis præfectura, conſpicuum reddebant. Quam dignitatem in Principum conclaui etiam conſecutus, quamuis abſens & æger, Duce Arſchotano pro ipſo fideiubente, Antonius le Poyure Roſelij Dominus, vir opibus & auctoritate facilè primus huius ciuitatis, ac de Rep. quoque quam-optimè meritus, quater cum laude adminiſtrata vrbis præfectura, Equeſtri etiam honore, ad Domini noſtri ſepulchrum Hieroſolymis iam olim inſignitus. Cum quo ſimul etiam eques creatur Adolphus de Boubais Dominus d'Auuaing, vir antiquæ nobilitatis.

CVM Principes à theatro diſceſſum pararent, à Magiſtratu, loquente Roſa, gratiæ Deo primùm, inde Principibus ipſis actæ, pro tam inſigni beneficio, quòd ſe vrbs Valentiana, ciuéſque ac incolæ ipſius omnes, tam eximiorum Principum ſubditos ac clientes nominare, ac de eorum benignitate omnia in poſterum exſpectare, quin immo diuturnis Belgicæ calamitatibus ipſorum virtute ac ſapientia, cum Dei auxilio, finem aliquem non optare tantùm, ſed ſperare etiam iamprimùm audeant. Quod vt annuat Omnipotens Deus, eúmque nobiliſsimis & ſanctiſsimis ipſorum conſiliis & conatibus exitum, quem maximè cupiunt, largiri dignetur, ſe etiam atque etiam orare. Offerre intereà, de quo vt Sereniſsimi Principes nunquam addubitent, ſummè allaborant, quidquid ab obſequentiſsimis deuotiſſimiſque clientibus & ſubditis præſtari & exſpectari poteſt. Quorum hæc vna ſemper erit cura, ne tanto beneficio tamque ſingulari optimorum Principum fauore, indigni aut ingrati vnquam iudicentur.

Inde in palatium ſuum Principes, populus ad ſua quiſque, proceres ac præcipua nobilitas in prætorium ſiue Domum ciuicam conceſſère, vbi epulum ipſis magnificum à Magiſtratu ex Senatuſconſulto paratum erat. Conuiuarum primores hi erant, nonnulli excuſauère, Illuſtriſſimi ac nobilitate meritiſque inſignes, Arſchotanus, Auriacus, Aumalius, Arembergius, Solranus, Fæmenſenius, Barbanſonius, Hachicurianus, Præſes Richardottus, Morienſartius, aliique non noſtræ tantùm, ſed & Hiſpanicæ, Italicæque nationis viri illuſtres, qui lautiſſimè omnes ac vario hilaritatum genere, ſed ſuauiſſimo imprimis ſymphoniacorum, Muſicorúmque inſtrumentorum concentu recreati, ampliter ſe ac egregiè exceptos, abeuntes cum gratiis ingenuè profeſſi ſunt.

Muſagetes erat Bonifacius Huberti ad Aulam Comitis Canonicus, qui inter alia Tetraſticha duo à nobis, ipſi roganti compoſita, Muſicis modulis animauerat, quæ hîc primùm decantata, quandoquidem vt hoc coram Principibus fieret, ipſorum negocia non permiſere. Erant autem hæc:

Belgica, quæ Domini conſpectibus orba, iacebat
Squalida, & in buſto penè ſepulta ſuo:
Aſpicite vt veſtris, Alberte, Iſabella, reſumit
A radiis, vultus, iam rediuiua nouos!

Dic ter io, & patriis, bona verba, Valentia, cygnis
Læta prai, vox hac omnibus vna ſonet.
Sat Marti, lauriſq; datum, ſere pacis oliuam
Alberte, ô, bella hinc, bella Iſabella, fuga.

A ...

A meridie placuit humanissimis Principibus, vti in atrio palatij sui amplissimo, discipuli collegij Societatis Iesu, cuius institutione ciuitas nostra vnicè gloriatur, drama suum coram ipsis, procerúmque assidentium, nobiliúmque circumstantium coronâ, exhiberent. In quo memoranda illa Alberti primi Austriæ Ducis, auspiciis patris Rodolphi I. Imperatoris, felicissimi Austriacorum palmitum propagatoris, contra Ottocarum Bohemum, perfidè bellum redintegrantem victoria, non sine propitij numinis, ac sacrosanctæ Crucis auxilio, cui cognomine Monasterium, ædemque sacram, si vinceret, ante pugnam vouerat, ipsiúsque in primum Austriæ Ducem prouectio, aliaque tam ipsius Alberti, quàm Elisabethæ Carinthiæ, lectißimæ heroinæ, ipsius coniugis, decora, coram Alberto & Elisabetha dignißimis nepotibus egregiè repræsentabantur. Placuit: ac egere patri Rectori, qui nec suo prior officio defuit, gratias humanißimi Principes, non tum tantùm, sed & per Illustrißimum Arragoniæ Admirantium Franciscum à Mendoça, postridie pro pia institutione, salutaribúsque monitis, quæ ex Actionis argumento relecto, quod in actus scenasque distributum, typísque mandatum, adiectis ad calcem Anagrammatis, idem Rector obtulerat, sparsim hauserant. Quæ quidem Anagrammata, quòd vtpote docta, & arguta, lectoris indubiè animum oblectabunt, vice coronidis opusculum hoc claudere iussimus.

Sed & eadem actio publicè exhibita postridie in area illa siue planicie quæ ante Diui Ioannis templum protenditur, in maxima populi frequentia, nec minore applausu.

Postridie qui dies erat lunæ, cultissimum & celeberrimum Viconiarum ordinis Præmonstratensis cœnobium sesquimiliari ab vrbe, via Tornacensi in mediis situm nemoribus, tum loci ipsius, tum venationis caussa inuisêre Principes: vbi à R. Patre D. Ioanne Six, dignissimo & integerrimo Præsule benignè & liberaliter, quoad eius per temporis angustiam licuit, cum omni comitatu excepti & refecti fuere. Post prandium venationi indulsêre. Inde reditum sub noctem, stipante semper iuuenum armatorum cohorte, quam & præcipuè præsidiariis augebant, qui ad corporum custodiam Principibus, quacunque irent, prætorianorum vicem alacriter subiere.

Proceres, nobilitatémque omnem vespertino conuiuio magnificentissimè & splendidissimè ad Principum nostrorum ciuitatísque honorem excepit Ioannes ab Haurech, Dominus de Prelle, Præfectus Comitis. Qui ab illustri prosapia, virtutéque militari, varíisque pro Rege expeditionibus clarus, humanitate præterea, liberalitate, morumque dexteritate, aliísque naturæ & ingenij dotibus insignis, vniuersæ ciuitatis animos sibi conciliauit.

Die Martis manè Principes abire nunciatum. Itaque properans Magistratus, & ad Principes admissus, iteratis gratiarum actionibus, faustísque apprecationibus, honorario insuper, seu coronario potius, cum Cicerone, felicißimi aduentus & inaugurationis ergò, haud pœnitendo pro Reip. facultatibus, ex Senatusconsulto, abeuntes prosequitur, quod ipsi boni consuluêre. Xenia ad hæc non paucis è Principum familia, aulæque ministris, aliísque, proceribus item, nobiliúmque præcipuis lautia, & vina in cadis, in amphoris, pro cuiusque merito liberaliter & officiosè collata, magnam nobis omnium beneuolentiam, & fauorem compararunt. Quin Principes ipsi in discessu restati, se hac in ciuitate præclarè, ac ex animi sui sententia exceptos, certissimaque, si vspiam alibi, propensissimæ, deuotissimæque voluntatis argumenta hîc perspexisse. Eius se memores omni occasione futuros.

SED abeunt illi, ac vigesimo secundo Februarij Cheuriam, seu Seruiam petunt, vt Deiparam Virginem, infinitis miraculis ibi celeberrimam, precibus & donariis sibi demereantur: inde Montes profecturi, Hannoniorum metropolim, qui & ipsi Principum nouorum aduentum ardentibus votis exspectant. In quo finem impono huic laborí,

labori, cum bona tamen precatione, vt Serenissimis Principibus nostris, atque adeò toti Reipub. Christianæ, imprimis verò Belgicæ ipsi, nobísque omnibus felix, faustum, ac fortunatum sit nouum istud imperium. Rata sint Valentianæ ciuitatis, totque aliarum, quæ hunc aduentum tam lætis animis celebrârunt, vota & auguria, vt & priuatim ipsi beati sint ac florentes, cum longâ posteritate, & publicè pace & tranquillitate, pietate & iustitia post tot annos, Belgicæ suæ restitutis, pulcherrimum illud PATRVM PATRIÆ, RESTITVTORVMQVE BELGII cognomentum referre, ac, OB CIVES SERVATOS, nobilissimam, gloriosissimamque è quercu coronam capitibus suis imponere mereantur.

His

His Anagrammatis Lycei immo Cygnei Valentiani candidissimi olores, PHOEBO suo TER ALBO ALBERTO, ac candidissimæ non amictu tantùm, sed mente magis ISABELLAE CLARAE EVGENIAE, serenissimis Principibus ac Dominis suis, faustissimo aduentu hilares applaudebant.

I.

ALBERTVS.

TER ALBVS.

Candida conueniunt alba quàm Symbola menti?
Cyclas vt haud Pacis dedecet alba Deam?
Alba Leopoldo vt quadrant insignia? postquàm
Albus in Aconâ baltheus vrbe stetit?
Candida Mens, ALBERTE, tua est: tua candida Pax est,
Alba Leopoldi sunt Patris arma tui.
Cùm niue candidior tibi Mens, Pax, Arma TER ALBO
Quàm bene gratatur VALLIS *&* ALBVS OLOR?

II.

ALBERTVS AB AVSTRIACIS.

A VIRTVTE BIS CLARA BASIS.

Sustine Atlas orbem vitiis ALBERTE *ruentem,*
In VIRTVTE *tua, Coniugis atque tua.*
Nomine CLARA *tuo* BASIS *es: Clarissima Coniux*
BIS *facit, at* CLARAM *te tua* CLARA BASIM.

III.

Proseuticon LXII. litterarum.

SERENISSIMVS ALBERTVS ARCHIDVX AVSTRIACEIVS, FELICITER BELGIO PRÆSIT.
O IRENARCHA CLARISSIME, CARIS DIV SVPERSIS BELGIS FELIX ET VIRTVTE BEATVS.

Viue diu ô Princeps caris clarissime Belgis,
Cum cara felix Coniuge viue diu.
Viue Irenarches omni virtute beatus,
Túque beata diu sis ISABELLA *super.*

V.

ELISABETA.

ABIES LAETA.

Apta fretis ABIES *vario est lætissima ramo,*
Et maris in fluctus vtilitate præit.
Prolibus vt ramis ABIES *sic* LAETA *marinos*
Vt reprimas fluctus vtilitate præi.

VI.

Anagramma XXX. litterarum, vino vbertim medio fluente foro.

ELISABETA CLARA EVGENIA AVSTRIACA.

BEATA REGINA VVA ES SACRA CÆLI ALTI.

Quæ Latiis vox Eugeniæ fert iubila, Graiis
Nónne hilari est præstans VVA *referta mero?*
*V*VA *Palæstinâ grandi sacratior vuâ,*
*V*VA *notans* ALTI *dona sacrata poli.*
Quàm Belgas ô CLARA *tuos* ISABELLA *beabis*
Hoc tua vt implebis Belgica vasa mero!
Iure BEATA *venis Belgis* REGINA, *beatas*
Et tres vna refers nomine Diua Deas.

VII.

Proseuticum & Parænenticum LXII. litterarum.

SERENISSIMA ISABELLA CLARA EVGENIA AVSTRIACEA PRÆSIT FAVSTA BELGICÆ.

EVGE IASPIS, IANVA IANI, ET CLARA MARIS STELLA, FAC RES BELGIACAS VERE BEATAS.

Seu mihi IASPIS *eas quouis præstantior auro,*
*I*ANVA *seu I*ANI *tessera Pacis eas:*
*S*TELLA MARIS *seu* CLARA *mices, bello, ære, procella*
Grata diu pressis ô Medicina veni.
*B*ELGIACAS VERE FAC RES, ISABELLA, BEATAS,
Vt stellæ Pacis, Iaspidis omen habes.

Ad

Ad Belgas hoc sale Beatos.

ELISABETA.

SALE BEATI.

Quo nihil vtilius sapidum SAL *Belga petebas,*
En venit, & tibi SAL *vrbis & orbis adest.*
Hoc SALE *vipereis potis es prodesse* BEATVS
Morsibus: hoc prudens vtere, Belga, SALE.

MONTES HANNONIAE.

Cvm aduentarent Archiduces Montibus Hannoniæ, & iam ſuburbiis S. Lazari propinquarẽt, Dux Croiacus & Arſchotanus Pręfectus prouincię, magnuſque eiuſdem Bailliuus egreſſus ciuitate cum omni nobilium virorum equitatu & officiariis ornatu & amictu ſplendido, ſignum dedit ad tormenta diſplodenda. Occurrerunt initio duo Hermæ ſuarum Celſitudinum tenentes inſignia, repagulis hinc inde vlterius deducentibus, ac leones ſuſtinentibus rubros nigróſque, qui colores prouinciæ peculiares ſunt, inſignium ratione. Vexilla iidem leones habebant his notis inſcripta, S. P. Q. Montenſis. Eranreadem repagula coloribus inducta, rubro, candido & cæruleo. Ad ea ciues armati conſiſtebant, ad forum vſque. In extremo poſte leo ex opere plaſtico vexillum tenebat, & in eo pictam aquilam. Poſiti erant Sol & Luna ſuper columnis egregiè perſonati, auro argentóque luculenter veſtiti, ac manibus Hannoniæ inſignia ſuſtinentes. Super ponte verſatili inſignia Celſitudinum prouinciæ & ciuitatis apparebant. Inter pontem & repagulum magiſtratus exſpectabat ſuper materiato ſexaginta pedum pulpito. Hîc Dux Croiacus ex equo deſcẽdit, vt vnà cum Senatu Principes exciperet, claues offerret, gratulatoria oratio per Penſionarium dicta. Vmbella deinde tecti fuerunt à ſex decaprotis è Senatu geſtata, Philippo ſcilicet de Monte D. Rampemont & Fantegnies, Iacobo de S. Genoix nobili ſcutato, Carolo Reſteau D. de Roelt, Ægidio Vinchant D. de la Haye, Claudio Viuiano D. d'Obechies, Iacobo Deſpiennes, reliquis collegis ibidem præſentibus, Iacobo Malapert, Franciſco de Braine, & Franciſco Gallopin. Veſtitus erat omnibus pallium ſericum martibus ſuffultum. Conſiliarij Philippus de le Samme D. de Quieurechin Penſionarius, cum Philippo du Trieu eius collega, Ioannes du Pond, Martinus Hallet, & Gabriel le Roy Graphiarij, Carolus Bocquet, Dominicus Capron maſſarij, & Adrianus de Clerc eorum actuarius, amicti togis camelinis iiſdem pellibus martium duplicatis, maſſarij & eorum actuarius togis veſtiti breuioribus. Vt pompa proceſſit, in ſcenam ſtructuræ Doricæ primùm incidit ſedecim pedibus ſublimem, longam quindecim: Mercurium ſpectator, Ianúmque agnoſcebat, hunc audiens cum petaſo, caduceo & talaribus hæc verba proferentem:

Cheris enfans du ciel, race des plus grands Roys
Que deſcouure Phœbus, depuis le bord Indois
Iuſqu'au plus froid gelon: du ciel voſtre heritage
Leger ambaſſadeur, ie vous porte meſſage
Des celeſtes faueurs, que la troupe des Dieux
Veut eſpancher ſur vous chacun à qui mieux mieux.
Entrez donc ſeurement dans Haynau la prouince,
Ioyeuſe d'embraſſer ſa Princeſſe, & ſon Prince.

Quæ Latinè ſic reddidimus:

Grata Deo ſoboles, magnorum maxima Regum
Progenies, quâ Phœbus equos emittit Eois
Carceribus, gelidum radiis quà circuit axem:
Nuncius aſtrifero venio demiſſus Olympo,
Dona parant ſuperi vobis ampliſſima cuncti
Certatim: vos Hannonios accedite fines,
Intrate & lætas Ducibus feliciter vrbes.

Illum veste viridi oblonga amictum, & bifrontem cum clauibus in manu Principibus aduentum gratulantem:

Si le temps preterit, & si le futur age
Recognu de Ianus, donnent quelque presage
Race de rares Roys monarchiques scions
J'augure à vos hauteurs des biens par millions:
D'aultant qu'ou l'alme Paix est long temps arrestee,
Elle faict feconder cent cornes d'Amalthee
Comblees de bonheur. Et ceste heureuse Paix
Promect des Pays bas ne s'absenter iamais,
S'elle s'admect à plain: Iö donc ô victoire
Ensleurés vous d'honneur, de richesse & de gloire.

Conscia præteriti si mens, præsaga futuri
Temporis, vt Iano quondam regnante per orbem
Est mihi, magnorum gens augustissima regum,
Auguror ingentem vobis instare bonorum
Pace inita cumulum, quæ cum radicibus hærent
Fixa suis, fælix opulentia cornua centum
Implet Amalthea, nec Belgas deseret vnquam,
Si semel admissa est: victoria floreat ergo,
Vestraq; se geminis attollat gloria pennis.

Paucis inde passibus in suggesto viginti pedum, octo pueri symphoniaci ramum laureum manu tenentes hos versus echoinos memoriter decantabant:

Vt vos, Archiduces, votis & pectore, (& ore)
Excipimus cupidè, vobis gens dedita (ita) omnes
Offerimus nostros animos (imos) Isabella
(Bella) ac Austrio (io) Comites adamamus (amamus)
Quos natura tulit Dominos (vnos) Isabellam
(Bellam) ac Austrium (eum) gestu dictaq; salute
Cernui honoramus (oramus) vt omnia primis
Auspiciis recreent, quæ sunt mala perdita Marte
(Arte) ita successu Christus beet (is beet) vsque.

Ponticulus qui ad magnum propugnaculum ducit, coloribus inductus & ornatus erat. E regione horti societatis S. Christinæ erecta erat scena Tuscanici operis in viginti protensa pedes, sedecim sublimis, in qua Hannoniam prouinciam exhibebant eo habitu personatam, quo egestatem depinxit Alciatus poëtico penicillo, brachio dextro alatam, sinistro ingenti pondere depressam, hos illa rhythmos memoriter recitabat:

Je veux, & ne veux pas; i'ay le vouloir treshaut,
Mais helas au besoing, le pouuoir me deffaut.
Vn fais insupportable à ma gauche s'attache,
Qui m'acrauantera, si tost on ne le lache.

Quod peto diffugio, cùm sit mihi celsa voluntas,
Me graue mergit onus, quo si non liberor, illud
Obruet, & fundo miseram me deprimet imo.

Non

Non longo internallo super ponte in octoginta pedes protenso, Fœdus nuptiale, Concordia & Prudentia, mancipia ducebant pacis hostes; vel vt apertiùs loquamur, triumphus erat pacis hoc sensu:

ALLIANCE.

Voyés voyés, heros, Alliance ie suis,
Qui soubs vos doux aspects ces esclaues conduis
En trophee à la paix.

FOEDVS.

Auspiciis vestris domitos in vincula seruos
Ducimus, & victo nos ponimus hoste trophæum.

IMPETVOSITE.

Ie pose icy ma rage,
Car Princes vous domtes par elle le courage
D'Impetuosité.

IMPETVS.

Hic rabiem pono indomitam, nam fœdere vestro
Vincitis, Heroes, cessatq́ hic impetus omnis.

BOVTEFEV.

Mesme à moy Boutefeu
Le flambeau brule-tout, est esteint peu à peu.

INCENDIARIVS.

Et mihi fax exstincta perit quæ splenduit olim.

HOMICIDE.

De nostre auctorité la gouuernante bride
Serre la main trop prompte au cruel homicide.

CÆDES.

Imperio cædes vestro frenatur & ira.

INIVRE.

A l'Iniure voyés qu'on lie bras & mains,
Pour ne molester plus les bourelles humains.

INIVRIA.

Vincitur manibus pedibusq́ Iniuria, ne plus
Illa nocere queat.

DISPERSION DES BIENS.

On me serre les mains, on m'interdict l'oppresse
Captif, ie ne puis plus disperser la richesse.

RAPTVS.

Constringor posthac valeam ne viuere rapto.

RVYNE.

Princes à vostre obiect la ruyne se pert:
Le Belgeois a par moy mille encombres souffert.

RVINA.

Quondam mille meis oppressus Belga ruinis,
Robora nunc fultus contemnit nostra minasq́.

ESPIE.

Fiere engeance de Mars l'on m'entraine captiue,
Bien que par espier mainte victoire arriue.

SPECVLATOR.

Assecla sum Martis, sed nunc captiuus, id vnum
Solamen pœna est, per me victoria constat.

MENACE.

Menace qui vouldra, le courroux est trop vain
A cil qui comme moy sent le collier certain
D'vn plus fort ennemy.

MINÆ.

Quid mihi nunc vana prosunt sine viribus iræ,
Cùm mea prævalida stringuntur colla catena?

FVREVR.

La fureur est donc vaine
Qui me sens accabler de cadene certaine.

FVROR.

Scilicet in rigidis rabies est irrita vinclis.

TRAHISON.

Bien que derniere icy, si fay-ie toutesfois
Veiller sans volonté les monarques & Roys:
Tous pour moy sont alerts: encore ay-ie esperance
M'affranchir par traison des liens d'Alliance.

PRODITIO.

Ultima sum, vigili cogo sed pectore reges
Insidias vitare meas, nexuq; solutam
Me fore confido, solitæ mihi si locus artis.

SECONDE TROVPPE D'ESCLAVES MENEZ PAR PRVDENCE.

ALTER MANCIPIORVM GREX QVEM DVCIT PRVDENTIA.

PRVDENCE.

Ie tire prisonniers ces Geans forgerons,
Digne proye & loyer de cent mille Acherons.

PRVDENTIA.

Hos ego captiuos immani mole gigantas
Adduco, prædas Acherontis gurgite dignas.

VVLCAN.

Bon Mars secoure moy: Mars compaignon de couche
Je veux pour ne te voir des deux yeux estre louche.
Soit tienne ma Venus: Ie t'en quitte ma part,
Maint d'vn si grand que toy seroit coqu par art.

VVLCANVS.

Mars fer opem, gemino fingam me lumine cæcum,
Et tua sit Cytheræa, meam tibi cedere partem
Fert animus, quam quisque sibi vice coniugis optet.

BRONTES.

Traine, emmeine Prudence, aussi bien n'ay-ie enuie
D'alonger d'vn moment la trame de ma vie,

Puis

Puis que Mars abandonne, & que nos nerueux bras
Chomeront, sans forger les outils des combats.

BRONTES.

Quo tibi cunque lubet ducas, Prudentia, tecum,
Nam neque momento miseram producere vitam
Mens auet, à bello cum Mars vocat, ocia fratres
Ducimus Ætnæi, nec Martia cudimus arma.

PYRACMON.

Mars ferà donc l'amour à la belle Ericine,
Pendant que toy Vulcan tu frappes ta poictrine,
Au lieu de ton enclume, & que nous tes subiects
Croisons les bras vaincus?

PYRACMON.

Matris Acidaliæ Mauors potietur amore,
Dum pectus, Vulcane, feris, qui tundere ferrum
Antè soles rutilos versans incudibus ignes,
Dum manibus victi astamus post terga reuinctis?

PROMETHEE.

O les tristes obiects!
Que me vault il helas, que le braue Æsonide,
M'ait destaché du rocq, ou d'vn bec homicide
L'aigle rongeoit mon cœur pour le feu desrobé
Puis qu'auecque Vulcan longeine Promethé?

PROMETHEVS.

Quid scopulo redimi, quid profuit alite nostra
Viscera pascenti, socio si punior idem
Vulcano, & grauiora luo tormenta Prometheus?

STEROPES.

Encore pourrons nous d'vn rougissant ouurage
Forger à Jupiter le foudroyant orage.

STEROPES.

Dira Ioui liceat procudere fulmina summo.

TROISIESME TROVPPE DE CAPTIFS
MENEE PAR CONCORDE.

TERTIA CAPTIVORVM COHORS
QVAM DVCIT CONCORDIA.

CONCORDE.

Marche vielle ennemie auecque ta sequelle,
Discorde au crin hideux à Concorde rebelle.

CONCORDIA.

Ingredere vt socias comiteris victa sequentes,
Sanguinolenta comas, nostris contraria votis.

DISCORDE.

Je marche voirement, non point d'vn libre pas,
Mais comme vn criminel que l'on meine au trepas.

DISCORDIA.

Incedo ceu supplicio producta luendo.

ENVYE.

Bongré malgré ie suy bien que ne soit rauie,
Et ne sera iamais la force de l'enuie.

INVIDIA.

Quidquid agas, non Inuidiæ sua robora tolles.

POEVR.

J'ay faict pœur aux Belgeois, ores la pœur me suit,
De frayeur par mon corps le sang tiede se cuit
Regardant ces heros.

METVS.

Terrorem incussi Belgis, nunc terreor ipsa,
Concretusq; coit trepida formidine sanguis.

FRAVDE.

Quelle fraude oportune,
Ores m'affranchira de si triste fortune?

FRAVS.

Quis me captiuam vinclis dolus eruet istis?

PERTINACITE.

De Pertinacité tout le dernier recours,
Le salut des vaincus, c'est n'esperer secours.

PERTINACIA.

Vna salus victis nullam sperare salutem.

PAVVRETE.

Il est temps, il est temps que ne sois rencontree,
Rarement, ni iamais dans la belle contree
Des Belgiques Gaulois: mais las quelle cité
Receura volontiers la vile pauureté?

PAVPERTAS.

Migrandum è Belgis, sed quem delectat egestas,
Quo ferar ingratus cunctis mortalibus hospes?

FAMINE.

Meschante Pauureté tousiours ou que tu aille,
Il conuient que ie suiue, & les peuples i'assaille.

FAMES.

Improba paupertas vbi tu vestigia ponis,
Me decet vsque sequi populósque inuadere tecum.

QVERIMONIE.

Quand cesseront les plainctes? ce sera ceste fois,
Puis que sont arriuez ces bourgeons de grands Rois.

QVERIMONIA.

Cessabunt querulæ veniente hac Principe voces.

MELANCOLIE.

Tarisse de vos pleurs la bonde, estant bannie,
Sans espoir de retour toute melancolie.

MELANCHOLIA.

Arescant lacrymæ, quoniam dolor exsulat omnis,
Non illi patet ad reditum spes vlla futurum.

TRISTESSE.

Tristesse l'est aussy; car par communs accords,
Elle le suit tousiours comme l'ombre le cors.

TRISTITIA.

Mæror abest sequiturq́, comes ceu corporis vmbra est.

Prædictæ personæ eleganter ornatæ vt quamque decebat, vbi suas vnaquæque partes egerat, ad Pacis se pedes prosternebat in solio sedentis, super armorum variorum strue, palmæ ramum manu tenentis, vt & eius pedissequæ, sequentes versus referentes:

PAIX.

Engeance de malheur, effroy de la machine
Du monde vniuersel, des humains la ruine,
Hommagez ma grandeur appuyee d'Albert,
Et d'Isabelle encor' qui me tient à couuert
Soubs son manteau Royal.

PAX.

Aduersi soboles fati, pauor orbis & horror,
Pernicies generi humano, nunc supplice vultu
In nomen iurate meum, quod nititur vno
Alberto, coniuxq́ eius quod protegit vna.

ALEGRESSE.

Prennez donc Alegresse
O peuple desormais en pacificque addresse.

LÆTITIA.

Exsultent populi ventura munere pacis.

RICHESSE.

Venez moy posseder, moy qu'on dict la richesse,
De moy l'heureuse paix vous faict belle promesse.

DIVITIÆ.

Pax promittit opes, habeat possessor easdem.

LIBERALITE.

Deployés a qui mieux de vostre pauureté,
Beneuoles Montois, la liberalité.

LIBERALITAS.

Promite munifico, Montenses, pectore census.

ASSEVRANCE.

Ne craignes plus aussi, Asseurance ie suis,
Qui rien que le repos paisible ne poursuis.

SECVRITAS.

Securos vos esse volo, deponite mæsto
Corde metum, cum pace quies mihi publica curæ est.

RAISON.

Je vous somme, ô Gaulois, d'embrasser la raison,
Qui volontiers habite en paisible maison.

RATIO.

Pacificis habitat ratio validißima tectis.

OBEISSANCE.

Peuple, d'oresenauant portès obeissance
A Dieu, au Prince, aux loix auecque reuerence.

OBEDIENTIA.

Obsequium præstate Deo, legiq; Duciq;.

PATIENCE.

I'enseigne à supporter dans l'escole de Paix
Toute iniure, qu'aux bons procurent les mauuais.

PATIENTIA.

Vt mala cuncta queas patienter ferre docebo.

IVSTICE.

Restablissés vos loix, redressés la police,
Et maintenés en paix l'equitable iustice.

IVSTITIA.

Iustitiam legesq; sacras reparare memento.

Vbi pax confidebat hos versus Latinos legere quiuis poterat:

Carmine terrigenas peperit Medea, coloni
Laudarunt, Minyæ diriguere metu.
Cælestes Isabella solo produxit, at illam
Cimbrica turba timet, Belgica ritè colit.
Fronduit in calido stipes versatus aheno
Ante vetus, magica sed tamen illud ope.
Eugeniæ virtute suis oneratur oliuis
Arbor, in arenti quæ fuit antè solo.
Hinc Pax Iustitiæ, felix Concordia recto
Amplexus gratos, oscula grata dedit.

Porta sequebatur triumphalis ordinis Dorici plateæ amplitudine, veterem spirans magnificentiam. Hiatus quatuordecim pedes patebat, inscriptio talis erat:

Hactenus exhibitis vestrum Montana fauorem
Gens experta fuit, placido sic omnia vultu,
Archiduces, spectate, gradu sic limina fausto
Hac intrate, nouis arridet Apollo theatris.

In posteriori arcus facie legisses hos versus:

Lignea porta rudi statuor simulata figura,
Sed licet ornatu reliquas spectare superbo;
Ex minimis ad magna voco, sed tempora Belgis
Si magis apta ferant, Comites, mox aurea fiam.

Vidisset scenam prope ædiculam D. Virginis & arcubalistariorum cameram ex dispositione Dorica spectaror, viginti longam pedes, alram sedecim: Comites Hannoniæ è familia Burgundica hîc eranr conspicui, à Philippo Bono vsque ad Regis Philippi tempora, habitu ornatuque decenti, veste albarum mustelarum pelliculis eleganter suffulta. Hi suas Celsitudines in honorem suum gloriamque inaugurabant, lauri ramusculum ipsis offerendo, & hos rhythmos ordine recitando:

PHILIPPE LE BON PRINCE, COMTE DE HAYNNAV, DE LA TRESILLVSTRE MAISON DE BOVRGOIGNE.

Du sang Bourgondien ie fus le premier Comte
Du pays de Haynnau, que nul aultre surmonte

En

Ennobleſſe & valeur : Philippe dit le bon
Puiſsiez vous chers neueux ſucceder au renom.

PHILIPPVS BONVS PRINCEPS COMES HANNONIÆ, EX ILLVSTRISSIMA DOMO BVRGVNDICA.

Hannoniæ primus Burgundo ſanguine Princeps
Sceptra tuli, primos & nobilitatis honores:
Et pietas ſpectata Bonum me nomine fecit,
Hæc exempla dedi vobis imitanda nepotes.

CHARLES LE HARDY.

Charles Comte ie fus le ſecond, qu'vne addreſſe
A vaincre mes haynneurs par guerriereproueſſe,
Fit ſurnommer hardy: Noble poſterité
Soit de voſtre valeur tel ſurnom herité.

CAROLVS AVDAX.

Carolus ille ego ſum, victo qui fortiter hoſte
Audacis nomen merui, generoſa propago,
Hæc moriens tibi virtutis monimenta relinquo.

MAXIMILIEN.

Qui de Maximilien extraict de tige meſme
Ne ſcait pas les valeurs, Comté de rang troiſieſme?
Nobles fruis qu'a produict vn arbre ſi fecond,
Voſtre los à celuy des ayeulx ſoit ſecond.

MAXIMILIANVS.

Ignorare nequit ſtirpem qui iactat eandem
Egregio fuerit quàm magna in Cæſare virtus,
Quámve hæc præſtantes fructus produxerit arbor;
Tertius eſt, nomen ſed habet virtute ſecundum.

PHILIPPES ROY.

Roy ie fus, & d'Haynnau le Comte incomparable.
Courtois enuers les bons, aux mauuais redoutable.
Entre bon & malheur i'ay trouué plusieurs iours,
Le bon-heur ſeulement vous talonne touſiours.

PHILIPPVS REX.

Quartus eram Comes Hannoniæ, Rex maximus idem,
Humanus mitiſq; bonis, metuendus at hoſti:
Inter vtramque fui fortunam pluribus annis,
At ſors læta gradu propior veſtigia preſsit.

CHARLES QVINT EMPEREVR.

Les deux Indes, la Grece, l'Aſie, & l'Afrique
Que ie ſubmis au ioug, par ma force heroique
Depoſent de mon los, franciſſes mes enfans,
Mon, Plus oultre, immortel malgré l'effort des ans.

CAROLVS V. IMPERATOR.

Græcia victa meos animos & decolor Indus,
Europæ & validi Libyæ sensere coloni,
Testanturq; meas laudes : extendite fines
Vlterius, viresq; meas æquate nepotes.

PHILIPPE ROY D'ESPAIGNE.

J'ay surranné les ans de mon illustre race
En bon-heur nonpareil : Cheminez sur la trace
De si grand geniteur, & pleins de maiesté
Embrassez comme moy Iustice & Pieté.

PHILIPPVS HISPANN. REX.

Maiorum expleui & vici fœliciter annos,
Tu mea progenies simili vestigia passu
Insequere, & tanti genitoris more colendi
Justitiam sanctamq; fidem te cura sequatur.

Super puteo ante ædes Cambronenses vidisses aquilam cum alis pasis, & tria disticha huius sententiæ :

Militat, Archiduces, vobis Jouis armiger ales,
Exhibet ætherio fulmina missa polo.
Austriadum genus acre notat stirpemq; creatam
Cæsaribus, Latiæ iunctaq; signa togæ.
Suspicit obtutu solis splendentia fixo
Lumina, sideream mens ita vestra fidem.

Corinthij operis pegma ad vestibulum templi S. Elizabetæ cum sex heroinis illustribus vidisses ex vtraque sacra pagina, palmam Isabellæ serenissimæ offerentibus.

IVDITH.

De magnanimité l'incomparable lustre
Rend Iudith sans debat entre toutes illustre,
Mais vous me deuancez, Claire tresclaire, autant
Que moins vaut le rubis qu'vn rare diamant.

IVDITHA.

Vicit sexum animis & robore Iuditha magno,
Æternumq; decus nomenq; illustre parauit;
Clara tuum sidus sed clarius emicat ortu,
Fax velut est inter stellas Phœbea minores.

SVSANNE.

De chasteté ie suis vn nonpareil exemple,
Susanne au nom, de qui le sale paillard tremble:
Isabelle me suit, digne que de lauriers
Soient à iamais ornez ses pudicques templiers.

SVSANNA.

Exemplum Susanna tori pulcherrima casti
Præbet, eam sequitur titulis Jsabella secundis,
Hanc inter reliquas meruit castissima laurum.

ABIGAIL

ABIGAIL.

Quelle femme pourroit arriuer à la gloire
D'Abigail, que tient en depost la memoire
Pour la rare prudence? Eugenie sera
Seule qui de tout poinct mes pas talonnera.

ABIGAIL.

Prudentis qua laude sequi te femina posset
Abigail? totum superas hoc nomine sexum;
Nobilis Eugenie sequitur te passibus aquis.

HESTER.

Le zele d'amitie qu'au peuple i'ay porté,
Rend Hester admirable à la posterité:
Telle Isabelle on croit legittime heritiere
De ses grands deuanciers, en bonté la premiere.

HESTER.

Fidus amor caram populo te reddidit, Hester,
Atque tuum memori mirabile nomen in æuo
Effecit, patriæ virtutis at æmula Princeps
Nostra, tenet primas bonitatis, vt optima, partes.

LA MERE DES MACHABEENS.

Arriere Cornelie ethniquement profane,
Cede moy tes fleurons, qui d'vn plus sainct organe
Ay mes enfans instruit: Et cede les encor
A la sage Isabel d'Espaigne le tresor.

MATER MACHABÆORVM.

Ingenij laudem cedat Cornelia mater
Gracchorum, instituo proles ego sanctius omnes:
Hanc, Isabella, tibi fas est concedere palmam.

MARTHA.

Des œconomes Marthe est bien la plus fameuse,
De Marthe celle a nom qui est solliciteuse:
Mais mon nom s'obscurcit aux raix de ta beauté,
Claire, qui garderas la mediocrité.

MARTHA.

Sollicitas inter celeberrima fertur, & inter
Frugi Martha nurus, Isabella, at vincis eandem
Sedulitate tua, cui sunt mediocria curæ.

Ventum fuit ad arcum triumphalem erectum in foro, ordinis Dorici tribus apertionibus, cuius stylobatæ depictas referebant sequentes figuras, cum vnico versiculo singulis asscripto: primum locum occupabat

RELIGIO.

Hic pia relligio deuota sedilia fixi.

PAX.

Diſcordes animos concordi Pace ligabo.

IVSTITIA.

Præmia digna probis ſtatui, ſed punio ſontes.

FORTITVDO.

Non ſum victa malis, ſed fortior ipſa reſiſto.

VICTORIA.

Subiicio domitas pedibus Victoria gentes.

HONOR.

Conſeruator Honos ſum maieſtatis, & auctor.

ASTRÆA.

Nequitiam terris habitans Aſtræa fugabo.

CORNVCOPIÆ.

Fœtibus arboreis ſuperat mea Copia cornu.

Appendebant de hoc arcu inſcriptæ ſic tabellæ:

Archiduces celſi quos lenis & æqua poteſtas,
Atque gubernandi felix ſolertia ſceptri
Delicias noſtris fecit regionibus: Ite,
Ite per incœptas Belgis plaudentibus artes.
Temperies hæc recta boni moderaminis, aptè
Iuſtitiam facilis ſtringet Clementia, Pacis
Tempore, quod nobis certum promittimus ægri
Auſpiciis veſtris: nec enim vos trames auorum
Maiorumq́ fugit clariſſima gloria: noſtra
Auctores illi pacisq́ boniq́ fuêre.

Ad ſiniſtram in introitu hi rhythmi ponebantur:

Ainſy qu'on voit apres vn long orage
L'œil de Phebus raſſerener les cieux:
Ainſi, ainſi, des Princes le viſage,
Tarit ioyeux le torrent de nos yeux.
O doux aſpects, ô flambeaux gratieux,
Qui les nuaux chaſſez loing des Belgeois
Viuez heureux, & du peuple Montois,
Ne reiectant l'imbecile puiſſance,
Tracez vos pas deſſoubs leurs humbles toicts
Les gouuernant par iuſtice & clemence.

Clarior vt cælo vehitur poſt nubila Phœbus,
Et gelidos imbres tempeſtatesq́ ſerenat,
Haud alia ratione, Duces, abſtergitis omnes,
Aſpectu veſtro lacrymas, & lampadis inſtar
Ignifera denſas Belgarum vincitis vmbras.
Viuite felices, humiles nec ſpernite Montes:
Rectoriq́ pio nos & moderamine iuſto,
Intrate, & tectis æqui ſuccedite noſtris.

Forum ſpectantia huiuſmodi erant carmina:

Hannonij myſtæ, proceres, vulgusq́, ſeneſq́,
Ac iuuenes, iam tempus adeſt, aſſurgite lætis
Vocibus; en adſunt tota quos mente petiſtis

Archi-

Archiduces magni, genus alto à sanguine Regum,
Flos veterum, virtusq́ Ducum: celebrate fauentes
Introitum, spectare Duces, ac ora tueri
Orantesq́ libros fas iam præsentibus ipsis
Principibus coram submittere: Croyus heros
Adiutor vobis aderit, meliore metallo
Secula producens: iustis date gaudia causis.

Ad læuam hi versus legebantur:

Jö Pean, iö triumphe, ô gloire,
Sus Haynnuyer rallegré tes esprits.
Trace ce iour, non pas de couleur noire,
Ainçois de blanche, & ton cœur soit espris
D'vn feu ioyeux, que tesmoigne vn souris,
Puis que l'on voit arriués à bon port
Ceux qui malgré le martial effort
Rameneront la Paix en la contrée,
Restablissans par general accord
Le siecle heureux de la deesse Astrée.

Hannonij latos alacres celebrate triumphos,
Hunc celebrate diem, & niueo signate lapillo,
Et iocus & vester testetur publica risus
Gaudia, nam cursus ad nos fecere secundos
Semidei, pacem inuito qui Marte reducent,
Astræamq́ iterum terras habitare iubebunt.

Super prima arcus porticu cantores & auletæ viginti quatuor consistebant, duodecim vocibus harmonicè modulantes, totidem instrumenta cantoribus aptantes, in tres choros diuisi & alternatim sibi respondentes:

Cantio duodecim vocum.

Euge Albertus adest, & adest Isabella, triumphe,
Euge triumphe, Deo laus Ducibusq́ salus.
Vita sit & proles, Pax, & fortuna secunda,
Mars procul à Belgis, euge triumphe veni.
Ritè serenatis hîc fient secula rebus
Aurea per Comites, euge triumphe veni.
Archiduces hominum, caliq́ fauore potiti
Omnia restituent, euge triumphe veni.

Ab hac porta triumphali vsque ad fontem structa erant vtrinque repagula turbam cohibentia; ad ea dispositi in armis ciues grato & insigni spectaculo. E Senatoriæ domus regione erectum erat centum pedibus theatrum, latum quadraginta, tectum conopeo, aliisq́ue ornamentis ad præstandum iusiurandum requisitis. Ara versus orientem erat posita, & super ea D. VValdedrudis sacræ reliquiæ. Adscripta theatro hæc erant epigrammata:

Austrius Archiducem cùm te Brabantia coronet
Gens, Alberte, Ducem, Celtaq́ noster habet.
Nempe Ducum Princeps, genus & patruelis Ibero,
Filius & frater, Cæsareusq́ nepos.

Aliud epigramma:

Diceris Hispani titulo diadematis Infans,
Grandius at proprium nomen, Elisa, tenes.
Es sine labe tuis Infans, sed Elisa virago
Consiliis, animo, re, pietate, fide.

Non longè hinc lignorum strues pyramidali formâ ad triumphum celebrandum fuit erecta. In fontis qui in foro est peripheriâ Hortulus Hannoniæ fuit compositus, cuius tabulatum viginti duos capiebat pedes in diametro, eleuabatur sedecim, gradatim assurgentes in quinque distinctos ascensiones. In gradibus ex variis florum fasciculis vasa ornabantur, & in eis vexilla Ciuitatum, Abbatiarum, Comitatuum, Baroniarum & Patriciatuum ex ordine collocata. In summo Principum Hannoniæ, Montiumque, vtpote metropolis, noscebantur insignia, cui erant apposita stemmata Croiaca in prouinciæ Præfecti gratiam. Statuæ ibi iacebant ipsorum Archiducum habitu Ducali aquale vas tenentes, & flosculos irrigantes.

ALBERTVS.

Hannonios magno commistus nomine flores
Magnus alam, medioq́, sedens Albertus in horto
Aurea cum fibris aurato gramina riuo
Sufficiam, latosq́, dabo producere fœtus.

ISABELLE.

La rose doux flairant, la soeuue girofflee,
Et tant de belles fleurs que produict la contree,
En noblesse feconde à nostre arrousement,
Recouureront senteur auecques l'ornement.

ISABELLA.

Et rosa cum violis, & suaue rubens hyacinthus,
Nomine quosque alio producit Belgica flores,
Rursus odore suo te, Clara, rigante placebunt.

Tabellæ fonti affixæ in Hortulum Hannoniæ hæc carmina continebant:

Des fecondantes eaus d'un accord chasse-guerre,
O Comtes, arrousés de Haynnau le parterre;
Douze villes, deux fois populeux il contient,
Villages plus de mille, vn Prince, & si soustient
Douze Pairs, Comtes dix, deux fois dix Baronies.
Vn noble Senescal, & vingt six Abbayes.
Il a son grand Veneur, comme son Escuyer:
Iardinet des Jardins en noblesse premier.

Hannoniæ Comites Hortum genialibus vndis
Innocuæ Pacis respergite: sustinet vnus
Areolis variis viginti quattuor vrbes,
Mille ferè pagos, vno cum Principe bissex
Inde Pares, Comitesq́, decem, pluresq́, Barones,
Viginti sex Abbates, vnum Seneschalcum,
Ac Venatorem magnum, stabuliq́, Magistrum.

Exitus fori fornice triumphali egregiè decoratur ordinis Ionici, pari cum antecedente magnitudine, atque his figuris in stylobatis pictis:

TEMPERAN-

TEMPERANTIA.

Temperat illicitos freno mea dextera mores.

PRVDENTIA.

Prudenter sileo, blandis nego vocibus aures.

SPES.

Me post dura iuuat certam sperare quietem.

LIBERALITAS.

Nostra manus largitur opes, loculosq́; refundit.

Facies molis forum spectans hæc disticha dabat:

Austriadûm viuat par nobile, nomina viuant,
Magne, Alberte, tuum, Clara Isabella, tuum.
Cæsareus sanguis, vis longè prouida, mentis
Temperies, spondent plurima, plura Deus.

Hi Gallici versus frontem alteram occupabant:

Quand l'Arche s'arresta sur les monts d'Armenie,
L'eternel appaisé, tout en calme fut mis,
Aussi sera de nous la misere bannie,
Puis que dessus leur Mons nos Princes sont conduis.

Constitit Armeniis vt montibus arca, quietas
Obtinuit tandem pacato numine sedes:
Fas erit ad metam Belgas properare laborum,
Dux illo ad proprios deducitur omine Montes.

Hæc etiam carmina ibi erant affixa:

Eia agite heroes, densi quo læta Quiritis
Applausura vocat concio, ferte gradum.
Treïcios montes testudine mouerit Orpheus,
Maius at Hannonios attonuisse decus.

Legisses & ibidem hos rhythmos Gallicos:

Ces deux astres royaulx que sur nostre hemisphere,
Luisent egalement de nouuelle clarté;
Ne font ils esperer eclipse de misere,
Estant l'horrible Mars par bon accord dompté?

Scilicet astra polo fulgent quæ regia nostro
Luce noua, non illa truci præsagia Marte
Certa ferunt positis aliò commigret vt armis?

Ruber puteus ante cauponam, cui galea pro insigni est, coloribus inductus struthionem ex arte plastica habebat, & factam in Principes comparationem:

Magnanimi Austriadæ gemino de Principe rerum,
Archiduces, præsens vos auis Afra notat.
Scilicet edurum volucri dat pabula ferrum,
Quid nisi materies laudis ab hoste datur?

Sedebat

Sedebat in orchestra ordinis Ionici in viginti quinque pedes extensâ, cum suis asseclis Minerua, septem scilicet Artibus liberalibus, quæ hæc verba proferebant:

Du second amary de la docte ceruelle
Du pere foudroyant extraicte lon me dict:
Inuentrice des arts, qui tient siege en l'esprit
Du subtil Haynuyer, qui studieux m'appelle,
Me recherche, & faict fruit sur toutes nations,
Des diuines faueurs de mes inuentions.

Non vtero, dicor cerebro Iouis edita fœto
Inuentrix operum: sed me colit atque requirit
Hannoniæ fructumq́; facit studiosa iuuentus,
Et populos æquat diuinis dotibus omnes.

GRAMMAIRE.

I'ouure la porte aux Arts, le Belgique Haynuyer
Au reces du sçauoir est admis le premier.

GRAMMATICA.

Artibus ingenijs solertibus ostia pando,
Et primum Hannonias admitto ad limina gentes.

RETHORIQVE.

Par moy le Haynuyer a grace de bien dire,
Sur tous alors qu'il veut entrer en mon empire.

RHETORICA.

Eloquio pollent facundæ & fulmine linguæ
Hannonij, dant imperio cùm nomina nostro.

DIALECTIQVE.

De moy Dialectique aucun ne faict proufit,
Tant comme l'Haynuyer s'il y met son esprit.

DIALECTICA.

Differit argutè nostra non vanus in arte
Hannonius, quando ingenio contendit acuto.

MVSIQVE.

Orlande prouuera que nation aucune,
Tant que luy n'a trouué la Musique oportune.

MVSICA.

Diceret Hannoniæ modulos Terpander amœnos,
Non alios citharæ nec musæ diceret aptos.

ARITHMETIQVE.

I'enseigne à bien nombrer: mais pourtant en Haynnaut,
L'on trouue moins en l'Art qu'au coffre de defaut.

ARITHMETICA.

Exactè doceo numeros, est nullus in arte,
Hannonij vt perhibent, omnis latet error in arca.

GEOMETRIE.

D'arpenter iustement le Haynnuyer a gloire,
Au plomb, reigle, cordeau, au compas, à l'esquiere.

GEOMETRIA.

Circinus æquator, terraq́, decempeda, norma,
Hannoniis summum decus est & palma colonis.

ASTROLOGIE.

Ie monte dans les cieux, & d'un sçauoir diuin,
J'instruis le Haynnuyer au nompareil engin.

ASTROLOGIA.

Jngenio secreta poli mundiq́, pererro,
Et mecum Hannonij cælum & cælestia tentant.

Porta operis Corinthij ad aulam ducebat, & versus subscriptos spectandos dabat:

Cæsaribus fœcunda patrem dedit Austria Belgis
Albertum, Claram donauit Jberia matrem:
Quid modo Belga petis? Patrias Albertus obibit
Curas, maternos Isabella impendet amores.

Aliud epigramma.

Alberto æternos Isabellâ sospite soles
Fœcundâ cum pace, bonos sine Marte triumphos
Publica communi Hannoniæ prece vota precantur,
Clarum, Alberte, diem, Clarâ duce & auspice viue.

IGNES deinde passim exstructi, qua in re magnificentiam in laternis variè depictis, & diligentiam Montenses adhibebant. Postero die Dux Croiacus & Arschotanus cum nobilibus & ciuitatum Hannoniæ delegatis ad palatium est egressus, vt Principes ad templum S. VValdetrudis deduceret. Senatus præcesserat, atque à sexus muliebris Canonicis tutelaris Diuæ sanctas reliquias vt ad forum dicendo iureiurando deferret, acceperat. Clerus vt solet in solemni supplicatione vniuersus incedebat, Canonici nimirum & Vicarij S. Germani cum Scholasticis & Franciscanis omnibus trabeatis: tum reuerendi patres Prælati S. Gisleni, Hasnoniensis, Altimontensis, Lætiensis, Maricolensis, Crispiniensis, Cambronensis, Bonæ spei, Viconiensis, & S. Foillani. Vbi Principes aduenerunt & sub conopeo sederunt, peractis ceremoniis ad iusiurandum requisitis, Dux Croiacus, Canonicæ, Prælati; Nobiles & Senatus Montensis suo quisque ordine fidem & obedientiam præstiterunt. Equestri deinde ornati dignitate Iacobus de la Croix D. de la Motte Canonicarum Bailliuus, D. de Rampemont, Saingenois & Rœulx. Tres reliqui viri qui vmbellam gestauerant, numismate donati Principum effigiem impressam habente. Missiles nummi populo sparsi. Hinc supplicantium more D. VValdetrudem sunt secuti: Infans Serenissima pedum gestabat Abbatissæ, vbi ad chorum peruenissent, Canonicas Archidux ex ordine amplectitur, vt est consuetudo, sacro peracto vnusquisque domum se recepit.

Postero die aliquot horis Principes detinuerunt nobilissimi è Patrum societatis IESV collegio iuuenes, dramate exhibendo versu heroico, Austriacæ domus incrementa, &

Comitatus,metropolisque Hannoniæ origo, erat argumentum, ab Alberico Clodionis filio,stirpe continuata vsque ad S^{tæ} VValdetrudis ex Albertis oriundæ,cum S^{to} Madelgario aliàs Vincentio,initum Dei instinctu coniugium, & consensu Regis Dagoberti,communi reip.bono. Catastrophen agebat S^{ta} VValdetrudis cælo delapsa,Hãnoniam Montesque prouinciæ metropolim vt Alberto & Isabellæ Principibus suis, instructissimo apparatu occurrant,adhortata,ipsisque spem certam afferebat fore, vt ab hoc coniugio eadem,quibus olim floruit Hannonia,religionis & pacis bona deriuarent. Qua illæ spe adductæ suarum Celsitudinum obsequio morigeras hilariter sese dedunt.

BINSIVM.

QVINTO Calendas Martias vbi Binsio propinquarent,D.de Fromensent cum viginti quinque equitibus splendidè vestitis obuiam processit.Ex opido quinque armatorum ciuium cohortes ducentorum virorum singulæ,instructissimæ in aciem se locarunt; septuaginta duo honesti viri funalia gestabãt à porta ad palatium. Claues de more ad portam oblatæ. Portam quâ intrarunt Principes ornarunt Binsani opere Tuscanico,cum leonibus,vexillis & insignibus.

Ad forum arcum erexerãt triumphalem ordinis Corinthij cum suis columnis & egregio frontispicio,vbi Archiducum stemmata erant posita, & auctore Francisco Derpione quatuor epigrammata, quæ vt sunt lepidissima auctorem asscribere meritò decuit: sic erat primum:

Tænaris ora suum tollit super astra Lycurgum,
Palladiáque viget clarus in vrbe Solon.
Ruraq. Pasiphaës laudant Dictæa maritum,
Iam quoque quem iactet Belgicus orbis habet.
Qualis enim Cretæ Minos, Spartæq. Lycurgus,
Cecropiáque Solon qualis in arce fuit:
Hunc modò qui Princeps moderandum suscipit orbem
Felici diuûm numine talis erit.

Alio loco hæc carmina scripta erant:

Albertum superis dum laudat Atlantide natus,
Nominis Herculei gloria læsa fuit.
Audiit Alcides, & quis me fortior? inquit,
Non graue cælestis cui fuit axis onus.
Infit Atlantiades contrà, quid robora iactas?
Sarcina & huic summi templa fuere Dei.
Istâ parte licet vobis par gloria surgat,
Attamèn hoc vno nomine maior erit:
Nam Phlegetontæis tu monstra reducis ab vndis,
Ad Phlegetontis aquas hic remeare iubet.

Duo similiter Infanti epigrammata idem auctor asscripserat:

Arbiter vt diuas vidit Simoentis ad vndas
Priamides dixit, Cypria vince Venus.
Eugeniam Hesperiis sed si vidisset in oris,
Dixisset meritò, Cypria cede Venus.

Maiestate

Maieſtate etenim Iuno, virtute Minerua,
Et formâ Eugeniæ vincitur ipſa Venus.
Quis neget Albertum felicem coniuge, cui tres
Intulit in thalamos vna puella deas?

Vna erat Heſperium Regi qui temperat orbem
Filia, cæleſti nubere digna viro.
Hanc Charites ſociam, Muſæ optauere ſororem,
Forma, pater, virtus, ingeniúmque vetant.
Forma virum, generúmque pater, virtusq́, requirit
Imperium, quod vis ingenioſa regat.
Quæritur ecce gener tantis virtutibus æquus,
Vnicus in toto ſed gener orbe fuit.
Vnicus Albertus qui coniuge dignus Eliſa eſt,
Vnicáque Alberto digna Iſabella viro.

Affixum numerale erat carmen in hanc ſententiam, cum portæ Doricæ ad palatium ornatu.

BInſanos IſabeLLa ſVbI CVM ConIVge ſInes,
En PhaëtontaVs tIbI LVCet pIſCIbVs aXIs.

HÆc edita ſunt hactenus Principibus fortiſſimis, optimis, florentiſſimis, Bruxellam hinc profectis: Quos ad reliquas prouincias viſitandas tranquillo rerum ſtatu, perducat breui Deus; vt amplificetur per orbem vniuerſum nominis eius gloria, ad Principum fortunam, magnitudinem, dignitatem, ingens fiat acceſſio, vtque hoc imperium perenne ſit & ſtabile, Belgis ſalutare: piis hoc votis eundem obteſtamur, vt nos ſinat exorare.

NARRATIONIS HVIVS HISTORICÆ APPENDIX
DE SILVÆDVCENSIS CIVITATIS
AB HOSTIBVS OBSESSÆ LIBERATIONE.

NON irrito hoc opus voto claudimus, nec vano omine; cui summam typographi cùm manum imponerent, subitus grauisque de obsessa ciuitate Siluæducensi ab hostibus Batauis, sociisque perduellibus, nuncius aduolauit: qui recenti Berckensis opidi in Rheni ripa siti expugnatione, insolentes & feroces (quo fuerant potiti quòd Albertum Archiducem eiusque copias in obsidione in Flandris Ostendana scirent distineri: facta à militibus præsidiariis, qui strenuè se gesserant, priùs deditione, quàm missa à Principe nostro auxilia, magnis licet itineribus venientia, adesse illis possent; imminens periculum, quod ab hoste opidum arctè cingente, ac cuniculos agente obsessi metuebant, pactione auertentibus) rem arduam sunt aggressi, ac Siluæducensem, quartam inter metropoles Brabantiæ vrbem (Ambiuaritos hoc tractu quidam locant, alij Aduaticos, tametsi Antuerpiensibus sedes illas tribuat Ioannes Goropius Becanus in Aduaticis) vitium suarum confidentiâ adoriri atque acriter oppugnare decreuerunt. Eam illi ciuitatem, si quam aliam in Belgio, à tumultuum exordio in partium suarum factionem pertrahere, situs opportunitate, quòd Batauiæ sit finitima, ac gentis bellicosæ fortitudine & potentia allecti & incitati, quòd ingentia inde commoda sibi exspectarent, loco ad prædas conuehendas idoneo, & securitati suę consulerent, si vrbis munitissimæ propugnaculum adijcerent; occultis primùm artibus, machinisque latentibus, deinde vi aperta, maximoque nefarij belli apparatu inuadere & expugnare conati sunt. Anno igitur septuagesimo octauo supra sesquimillesimum tacita consilla de præsidiariis intromittendis, qui in suæ factionis verba iurauerant, frustra inierunt, ciuibus illorum coniurationi non minùs animosè quàm celeriter resistentibus. Heusdani opidi præfectus, quod tribus circiter milliaribus Siluaducis abest, Henrici Agilæi & aliorum coniuratorum operâ, tres peditum cohortes apertis manè portis, quibusdam è collegio Dimicatorum (Phratriæ nomen est, ciuitatis custodiæ antiquitus ordinatæ) eiusdem facti consciis, & excubias tum habentibus, in patriæ perniciem ac oppressionem, introducere nitebatur. Et iam portæ imminebat, eamque occupasset, nisi in vicino habitantes ciues confestim aduolassent, & periculi magnitudinem portâ clausâ propulsassent. Intereà Agilæus falsos de quibusdam è medio tollendis, rumores dispergebat, mandata se habere in sinu palàm iactabat, de Magistratu comprehendendo, se ipsum verò subsellia conscensurum, rerumque potiturum ante vesperam asserebat. Ad hanc rem parati quadraginta siue milites clanculum submissi, siue sicarij è latebris educuntur, quibus se adiungunt reliqui coniurati, præcipuam vrbis portam, quæ à Vuchtensi suburbio vocatur, armati inuadunt, eamque fabrilibus malleis effringunt. Introrsus se communiunt plaustris raptim dispositis, donec copiæ militares, quæ ab vrbe nonnihil retrocesserant, facto reditu adessent. Verùm ciuibus accurrentibus velut ad commune incendium restinguendum, coniurati & sicarij, cæde vtrimque orta, vrbe sunt eiecti. Prætereo quid Comes Hogenlous obtulerit, qui cùm militaret Ordinibus Hollandiæ, ingètem sciebat se gratiam initurum, si Siluæducensibus persuadere posset, vt duas peditum cohortes, turmam vnam equitum suorum admitterent, qui cùm visum esset, introitum pluribus darent. Varios itaque sermones in vulgus dissipabat, regiosque milites non ad vrbis præsidium, sed ad direptionem aduentare serebat. Per vectorias item naues insidias struxerunt, quas specie commeatus pecuniæ in stipendium copiis Casimiti, Siluæducensem agrum deprædantibus, subuehendæ

subuehendæ apparauerant. Sed cùm neutrum succederet, simulato subsidio obsessis Traiecti ad Mosam ferendo, ducto in finibus Siluæducis exercitu in vrbem inuadere, ac flamma ferroque omnia miscere, fortunasque ciuium diripere meditabantur. Plebs portis occlusis, inuitis Dimicatoribus aliisque coniuratis, qui signo per incendium foris suis dato, armati pernoctabant, vrbem seruauit. Nec seditionibus frequenter concitatis, quæ non sine sanguine exstinctę quieuerũt, efficere potuerunt, vt à religione Catholica deficeret, & Regis obsequium ea ciuitas exueret. Neque alio pacto suæ tranquillitati & securitati potuit consulere, quàm decreto illo, quod mense Iulio anno septuagesimo nono tulit, liberè abeundi quibus videretur, cum supellectile & bonis, facta potestate. Discesserunt coniurati & factiosi homines, metuque ciuitatem quo perculsa & afflicta iamdudum trepidauerat, tandem liberarunt. Quamuis autem Barauì postea non cessauerint occultis consiliis & proditionibus optimam remp. & fidelissimam persequi & lacessere, conatu tamen irrito eidem inhiarunt, vsque ad annum octogesimum quintum mense Ianuario, cùm in eam inuaserunt maioribus quàm vnquam anteà viribus ac certiori potiundi fiducia; res autem hoc modo fuit acta. Comes Hogenlous tria peditum millia, septem turmas equitum ducebat, milites lectissimos, quos per tenebras nocturnas latentibus itineribus locauit in insidiis extra portam Vuchtensem quà Antuerpiam itur. Hîc opportunæ ædiculæ erant duæ, ad diurnas excubias ante portam agendas, quas milite compleuit facinori incœptando. Aperitur manè de more porta, horam circiter octauam, versatilis pons demittitur. Hostis improuisò è latebris prosilit, in ciues attonitos ac numero impares impressionem facit, quosdam opprimit, dum alij intra vrbem fuga elabuntur. Interea cuiusdam proditoris operâ partes suas, vt conuenerat, agentis, custos cataractæ siue trabium pensilium portæ imminentium, à munere suo, ad quod ex præscripto & iureiurando tenebatur, à trabibus demittendis tantisper prohibetur, dum hostium aliqui festinanter supra portam contenderunt. Custodis duriter accepti vitæ vel ætati parcitur, & in turrim vicinam senex detruditur. Signo itaque dato hostes vniuersi celeriter accurrunt, patente porta excepti, & in vrbem magno impetu, primis defensoribus facilè repressis per milites scutatos, sclopisque maioribus (quos mosquetas vocant) instructos penetrarunt, mœnia vtrinque occuparunt, vt receptui suorum, si repellerentur, securius consulerent. Et iam de victoria certi esse videbantur, vt à minis atrocibus se nulli nec ætati nec sexui parsituros, primo hoc successu elati haud abstinerent. Tum ciues periculi magnitudinem ob oculos ponentes tota vrbe ad arma conclamarunt, hosti obuiam contenderunt, pugnamque inierunt, tumultuariam quidem sine ducibus aut ordinibus, vt metus repentinus & necessitas postulabat, sed magnâ animorum confidentiâ spectatam. Dimicatur acriter tribus locis potissimùm, sed omnium confertissimè ad pontem molendinarium: tantaque ibi virtus ciuium pro aris & focis depugnantium, ardorque enituit, vt non modò impetum hostilem sustinuerint, sed eius audaciam inhibuerint fregerintque, ac tandem retrocedere fugamque capessere portam versus coëgerint: quam vbi obstructam demissâ cataractâ hostes offenderunt, metu per rei nouitatem aucto, salutem de muris desiliendo quærunt. Siquidem grandæuus custos ille malè habitus acceptusque, ac in turrim detrusus, cùm hostes ad portam seruandam delegatos descendisse deprehenderet (incertum an prędæ, qua potiri vrbe capta impensè flagrabant, stationem deseruerint, an cùm reliquos viderint terga vertentes, fugã maturauerint) prorepit semianimis, occluso; ostio demitrit cataractam, excepta vna trabe, cui præ turbatione ac trepidatione minus attendebat. Hæc ciues ignorabant pro patria pugnantes; qui vt hostem loco cedere, exitumque sibi quærere animaduerterunt, acriùs instabant, & crescente multitudine additisque viribus hostes cædunt & fugant. Magnus hostium numerus saltu præcipiti in aquas prolapsus per loca fossarum vadosa euadit, alij cataractam demissam perfringentes viam fugæ patefaciunt, alij qui aciem extremam ducebant, inter quos & Hogenlous, maturè se recipiunt, priusquam delapsâ cataractâ reditus præcluderetur. Cæsa hostium cadauera ducenta sunt reperta, centum aquis absumta. Ceteri euaserunt partim vulnerati, partim inermes, proiectis enim armis saluti consuluerant, & accepta insigni clade à ciui-

 ...s reic-

bus reiecti sunt, quinquaginta vel circiter tantùm desideratis, aliquot sauciis. Actæ gratiæ solennes omnipotenti Deo, qui ciuibus fortissimis animos addidit viresque, vt hostis acerbè ipsis insultantis impetum represserint, ac sine mercenarij militis opera, præclaram pro patria sua defendenda, victoriam consecuti sint. Egregiam hanc virtutem ciuiumque fidem integram Rex Catholicus Princeps noster clementissimus magnoperè collaudauit, regiis suis litteris ad Magistratum datis.

LONGVM forent omnia recensere quæ ad huius ciuitatis excidium moliti sunt, sed artibus & insidiis reliquis prætermissis, eius obsidionis & liberationis quæ ad institutum pertinet, & Principum nostrorum gloriam prædicandam, narrationem aggrediamur. Primo itaque anno post decimum sextum seculum à Beatæ Virginis partu elapsum, Kal. Nouembris Comes Mauricius Nassouius tentatis frustrà militum animis, (qui per seditionem ob stipendia non soluta opidum occupauerant quod VVerteum dicitur, in Taxandria situm seu Campania Brabantiæ, quos ingentibus promissis & oblata pecunia, quemadmodum ad tempus imperium detrectabant, sic & à Sacramento auertere conabatur) prope Siluamducis castra sua locat, exercitu vrbem cingit, pedites octo mille, equites bis mille quingentos complectente, & celeritate studioque admirabili se vndique communiuit. Ciuitas quæ militem præsidiarium non habebat, præter duas cohortes, & vnam equitum turmam, cui generosissimus Comes Vanden Berghe Adolfus præerat, & quinquaginta equites turmæ Grobbendoncanæ, ad arma conuolauit, atque ad defensionem necessariam se composuit. Extra portam Vuchtensem Præfectus vrbi Antonius Schets de Grobbendonc equestri dignitate multisque vitæ ornamentis insignis, excitari munitiones curat, quibus hostis potiri toto obsidionis, licet acriter oppugnauerit, tempore non potuit. Magistratus consilio & vigilantia periculis patriæ occurrit, & decretis vtilissimis edicto promulgatis in domibus aquam ad incendia restinguenda, scalasque poni iubet, lucernas ante singulas ædes nocte accendi ad plateas illustrandas, & pretio cariori annonam diuendere, quàm hoc ipso die væniret interdicit. Gubernator vigilumque Præfectus ad muniendam vallis & propugnaculis vrbem cuiusuis ordinis & sortis homines victu suppeditato inuitat, vt vno tantùm die ciuium alacritate plus operis sit confectum, quàm decem anteà florenorum millibus à mercenariis præstari potuisset. Post triduum duo creantur duces, hic Senatorius, alter plebeius, tympanique pulsu per vrbē edicitur, vt qui militiæ asscribi vellent, nomina profiterentur. Excitantur in mœnibus nouæ munitiones, & ante portā Vuchtensem, ex præscripto Præfecti vallum ducitur formâ dimidiatæ lunæ, quâ si porta expugnaretur tueri se possent. Nec à suo munere cessauit Reuerendissimus cum Clero religioso Episcopus, qui in sacris concionibus, obsessis addit animum, & supplicationes solemnes fieri curat. Adnituntur pro viribus omnes, vt nec iuuentus scholastica cessauerit, sed in protrahendis maioribus tormentis, in fodiendo, terraque gestanda pro suo modulo bonam operam nauauerit. Accesserat propius ad portam Vuchtensem hostis, & ruptâ tormenti ictu catenâ non leui periculo ciues terrefecerat, sed per milites quosdam pretio conductos à Gubernatore, pons facibus subiectis & stramentis exuritur. Egregiam porrò operam in patria defendenda ciues illi præstiterunt, qui quatuor armata sagittariorum collegia constituunt: hi strenua & continua tormentorum manualium displosione hostem mœnibus arcent. Nec communis patriæ periculo propulsando defuerunt viragines, quæ ad buccinæ clangorem nullo tormentorum fragore perterritæ, ceteris operariis in terra effodienda, ingenti multitudine impauidæ se adiungunt. Sexto Id. Nouemb. Grauia missi veniunt manè ante lucem ducenti sexaginta milites, qui etsi numero pauci essent, mirum tamen in modum animos ciuium erexerunt: eosque postero die magnopere confirmarunt perlatæ ab Archiduce litteræ, quibus nunciabat se de auxiliis quamprimùm ferendis Comiti Friderico Vanden Berghe mandata dedisse. Militis quoque præsidiarij spectata virtus fuit, qui hostium propugnaculum extra portam Hintamensem exstructum aggressus, quotquot ibi erant hostes trucidauit. Qua clade exacerbatus, in prato Leproso-

Leptoſorum tormenta hoſtis locat,ſummis ædibus feriendis, quo facto plus ſexui imbelli terroris attulit quàm ciuibus diſpendij,ad damnum tamen quouis modo dandum,non ſegniter intentus. Emittit itaque candentes igne globos,quod vt inuſitatum eſt hoc belo teli genus, ita potiùs horrorem incuſſit ſpectatoribus,quàm ad excitandum in vrbe, vt ſperabat, incendium valuit. Ignitæ huius machinæ exemplum noſtro æuo Rex Poloniæ Stephanus anno ſeptuageſimo ſeptimo cùm Gedanum obſideret, & arcem in Viſtulæ ripa ſitam eiuſmodi tormentis quateret ac cremaret,nobis exhibuit. Eius autem arcis munitiones ad inſtar murorum Gallicorum erant factæ, quos Cæſar deſcribit in Commentariis de bello Gallico libro VII. ex trabibus perpetuis in longitudinem directis & coagmentatis. Has primum diffindi, non ſphæricâ formâ globis, ſed ferro acuminato Rex Stephanus iuſſerat,vt ad ignem concipiendum materiam in fruſta vel ſegmenta fiſſam redderet aptiorem. Coniectos deinde in feruentiſſimos carbones globos, follibus tantiſper ignibuſque animauit,dum toti candeſcerent. Paratum iniecto puluere nitrato aſtabat tormentum, fœnoque madefacto aut gramine ſuperiecto, ignitus immittebatur globus, & diſplodebatur. Qui vti in ligna fruſtatim diſſecta impellebatur, materiam vniuerſam facilè concremauit. Hoc ferè exemplo vſi in domos Siluæducenſium ſunt hoſtes: Cui tamen malo per edictum proſpicitur; ciuibuſque iubetur vt ſiccam in ædium tabulatis arenam & cõtignationibus ſufficientem habeant,qua igneas illas ſphæras excipiant exſtinguantque. Et tribuum Præfectis ſeu Vicomagiſtris negotium committitur,vt ædes in quas ſphæram igneam incidiſſe ſuſpicarentur, conſcendant & viſitent, & exortum incendium diligenter reſtinguant. Opidani de aduentu præſidij certiores facti,maiores ſumunt animos, quod duce Hilario de Blyleuen balthee equeſtri ob factum memorabile fidemq; decorato, ac legionis generoſi D. d' Achicourt legato (Colonelli vicariũ vulgò vocant)non ſine periculo,mille peditum numero introducitur,ad decimum ſeptimum Kal. Decemb. Non deſtitit hoſtis frequentibus tormentorũ ictibus vrbem concutere, cuniculos ſubterraneos agere, quibus munitiones obſeſſorum euerteret. Fortuitus in vrbe etiã accidit caſus, Gubernatore & Bardoulio Senatore mœnia obeuntibus: Qui cùm ad quendam ſtationarium veniſſent, teſſeram ab ipſo Præfecto exigentem, is vt eum agnouit,honorem eidem exhibere cupiens, brachium corpore inclinato comprimit,& ſclopi tractandi imperitus aut imprudens, igne non ſatis accuratè cuſtodito,nec auerſis per inſcitiam à Præfecti corpore armis, ſclopo diſploſo in coxa eum vulnerat,& duobus locis Senatorem traijcit. Componit tumultum prudentiâ Præfectus, cuius virtuti & peritiæ militari, vigilantiæ & induſtriæ magnam ſalutis ſuæ partem Siluæducenſes acceptam ferre debent. Dum hæc ibi geruntur, Archidux Sereniſſimus de periculo obſeſſorum factus certior, Comitem Fridericum è caſtris Oſtendanis cum copiis ablegauit, & in mandatis dedit, vt militem, quàm maximo poſſet numero colligeret ex præſidiis Brabantiæ, & VVertenſes ſibi iungeret: qui etſi ab imperio ſeceſſionem fecerant,in tam arduo tamen & difficili negotio ad obſequium redierunt. Sic optimus Princeps reſtatum nobis reddidit, quantopere prociuium fideliſſimorum ſalute ſit ſollicitus, vt quamuis obſidio eum Oſtendana impeditum detineret, & hiemis inclementia auxilij ferendi occaſionem excludere videretur, nihil tamen prætermiſit quod ad maturandas ſuppetias pertineret: eaque de cauſa Bruxellam venit, & exercitum breui tempore ex ſeptem peditum millibus, equitum duobus & quingentis inſtruxit, cum bellico apparatu rebuſque neceſſariis,quem Comiti Friderico educendum dedit. Vt ſcirent omnes homines, non imperium modò Belgicum, ad quod vxoris nomine ex ſucceſſione legitimâ vocatus eſt, curæ ſibi eſſe, ſed pro dirionum ſuarum ſalute & defenſione, ſe vnum vigilare, incumbere,laborare,cauſæque æquitatem armis adiuuare,aſſerere,vindicare. Rebus omnibus paratis,ex opido Dieſta mouet, & per ericeta,quæ in illa regione vaſtiſſima habentur, compoſitis agminibus rectâ in hoſtem tendit. Rumore is acceperat copias ab Archiduce parari,& quendam ex equeſtribus ſuis ducibus cum duabus turmis emiſerat, qui ſpecularetur & referret quæ cognouerat. Hoſtis vbi intellexit exercitum Archiducis

ducis militesque lectissimos eo animo aduentate, vt acie decertando obsidionem soluerent, signum receptui dati iubet, & vasa militari more conclamari. Quippe satius sibi esse & securius ducebat, rebus & exercitu suo integro recedere, quàm ancipitem belli alcam, quâ ab Archiducis florentissimis copiis, quâ à præsidiariis ciuibusque fortissimis, in euentu certaminis positam exspectare. Recepit se hostis, vel potiùs aufugit die quinto Kal. Decembr. Fugæ enim speciem recessus ille habuit, relictis quamplurimis impedimentis, armis & commeatu, quæ præsidiarij ciuesque interceperunt. Sed vt superessent nefariæ obsidionis vestigia, duo in suburbiis templa exussit, Vuchtense & Ortense; ædibus enim sacris bellum indicere illi peculiare est, nec à quouis genere impietatis abstinere. Ita vrbs fidelissima tam variis ab hoste artibus lacessita, oppressa & oppugnata, Archiducis Serenissimi ductu & auspiciis ab hoste teterrimo fuit liberata, eodem illo die quo festiuitatem S. Odæ in Siluæducensi agro celeberrimam ciuitas illa colit. Nec poëtæ defuerunt qui tam insignem vrbis liberationem suis versibus æternæ memoriæ consecrarunt.

Chrono-

CHRONOGRAPHICA in fugam hostium deserta SILVADVCIS vigesimo septimo die Nouembris anno M.D.CI. sole quintum gradum Sagittarij occupante, his versibus lusit IVDOCVS DE VVEERDT Antuerpiæ à consilijs & Pensionarius.

LVCEBAT CHIRON, ET QVINTO PHOEBVS AB ORTV
VRBS CVM SILVA DVCIS LIBERA FACTA FVIT.

Aliud.

SILVA DVCIS BATAVIS SEPTA, ICTAQVE SÆPE SAGITTIS,
INVICTA ARCHIDVCIS, TVTAQVE MANSIT OPE.

Aliud.

SEPSERAT AVRIACVS SILVAS DVCIS, ATQVE COHORTES
AVSTRIACAS CERNENS, MOX INHONORVS ABIT.

Aliud.

ANTE TVBAS DISCEDIT, ABIT, FVGIT OCIOR EVRIS
MAVRICIVS, SILVÆ TECTA DVCIS QVATIENS.

Aliud.

NIL TIBI CVM SILVIS PONTI INCOLA, ES APTVS IN VNDIS
BATTAVE, SED SILVÆ CVLTOR INEPTVS ERAS.

Aliud.

QVOD SVNT TVTA DVCIS NVNC MOENIA, TECTAQVE SILVÆ
ILLA GROBENDONQVI EST, GLORIA, LAVS ET HONOR.

Retrogradum.

SILVADVCIS *sua nunc miratur mœnia, multo*
Milite cingebat qua modò Nassouius.

Verte.

Nassouius modò qua cingebat milite multo
Mœnia, miratur nunc sua SILVADVCIS.

Exstant & D. IOANNIS CLARII in annum afflictionis ac liberationis eiusdem vrbis huiusmodi epigrammata:

fVgIVnt rebeLLes bataVI
tenebrIsqVe CæCIs abdItI
obsessa LInqVVnt MoenIa
bVsCodVCensIs opIdI.

IterVM sVperbos bataVos
fregIstIs, o fortes VIrI
bVsCodVCenses, nobILIs
InVICta CLaVstra beLgII.

Composuit haud dissimili, hoc est, Chronographico argumẽto carmen MAXÆMILIANVS VRIENTIVS Senatui populoque Gandauensi à Secretis.

haVd sILVaM CæDIs, trepIDVs sed CedIs, et aVCtVs
ConspICVo naso batt aVe geVse fVgIs.

Cui carmini subtexuit lepidissimos hos versus in nasum Batauorum Siluaducis nequicquam tentatâ:

PRESSA *graui obsidio iamdudum Ostenda rebellis*
Dum riget, & glacie tristis inhorret hiems:
Vltima defectu patiens incommoda ligni
(Semper vt obsessis res sua curta venit)
Lignatum Maurus iubet ire & cadere Siluam
Quâ datur, & cæsum classe referre nemus.
Ergo abit, inque Ducis siluam ruit acer, & illam
A radice omnem spéque animóque metit.

Et qua-

Et quatit, atque arcta vallatam indagine cingit,
Iam-iam rapturus ceu sua sceptra Ioui.
Aduolat Austriacus, septusq́ fidelibus armis
Magnanimo Maurum cedere Marte iubet.
Cedit & infami relegens vestigia passu,
Pondus habens nasi sesquipedale redit.
Et procul Ostenda ostendens sua grandia vela,
Cras tibi de Silua ligna vehentur, ait.
Coruus hians contra, Cras Cras ne credite, clamat,
Credula Cras semper fallere corda solet.
Ponite spes vanas, Mauri vis irrita Siluam
Cadere non potuit, cedere sed didicit.
Mille trahens trepidas post terga fugacia Damas
Et totidem Lepores maximus ille Lepus.
Tum montem ingentem lignorum euersáque ferro
Robora, prægrandes iliceásque strues,
Auxilij tibi spem tam certam, Ostenda, futuri,
Certa fuit Mauro quàm benè Silua tuo.

Adhæc edita fuerunt in eandem sententiam huiusmodi disticha, quæ hic duximus addenda.

STRENVIS CATTIS STRENA.

PROGNOSTICVM IN HOLLANDOS AD OBSIDIONEM SILVÆDVCENSEM PROFICISCENTES.

QVò *ruit impia gens? imitatur bella* GIGANTVM;
Vincere NATVRAM *se quoque posse putat.*
Iupiter, vt quondam, vibrabit fulmen ab alto;
Vel cœli indignos fulmine, FRIGVS *edet.*

PROPHASTICVM HOLLANDORVM POST FOEDAM EIVSDEM OBSIDIONIS SOLVTIONEM.

NON DVCIS obsessæ seruauit mœnia SILVÆ
ALBERTI gladius, frigida sed glacies.

ÆTIOLOGICA.

I.

FRIGIDA *si glacies nostro pro Principe pugnat,*
Vos quoque damnauit frigida iam glacies.

II.

ALBERTI *aduentante Ducis dum milite cedis;*
Non fugis à glacie, sed fugis à gladio.

III.

Dum fugis ob frigus, quàm mollis miles habendus!
Militis est frigus, vel grauiora pati.

IIII.

In te acies glaciésque ruunt: cur bruma timetur?
Quæ te non strinxit, mitior ense fuit.

V.

Non glaciem fugis, ast aciem; nec ligna, nec ignis
Hanc superare valent; fortè valent glaciem.

VI.

Si te sulphureo plus fulmine frigora terrent;
Maius Hyperboreo fulmen ab axe tonat.

VII. *Esse*

VII.

Esse sibi caussam discessus frigora clamant:
Frigus ab exsangui, credo, timore putant.

VIII.

Non te frigus agit retro, sed cognitus ensis:
Bis miser! ante ictum, ne feriâre, times.

IX.

Ante DVCIS-SILVAM *frigetis? cadite* SILVAM;
Silua satis ligni, quo caleatis, habet.

X.

Cadere dum nescis, cadit te SILVA; *Ducísque*
Obijciens Aquilas, cedere cogit agris.

XI.

Cadere ceu nescis, scis raptis turpiter armis
Cedere, & hostili vertere terga tuba.

XII.

Cadere ligna venis, sed cedere cogeris antè:
Cadere disce domi ligna, minoris emes.

XIII.

Quid fugis ob frigus, si ligna ignisq́; supersint?
Sin tibi defuerint; SILVA, *vel arma dabunt.*

XIIII.

SILVA-DVCIS *Ducis est, non est tua, Batave, cede;*
Vel Ducis armatas experiêre manus.

XV.

Vitrea tam fragili metuis si marmore prata,
Non metuet furias saxea SILVA *tuas.*

XVI.

CATTVS *aper* SILVIS *missas vorat arbore glandes;*
Cur fugit, & culpat frigora? peste furit.

XVII.

Cur, Hollande, fugis, glaciei frigora culpans?
Ignem & ligna tuus, qui venit, hostis habet.

XVIII.

Quis neget inuictos Batauos, qui cedere norunt
Ante tuba sonitum, né ve obeant, abeunt?

XIX.

Fortis es, es, Batave; ast solus dum ludis arena;
Dum venit hostis, abis: fortis es, es, Batave.

XX.

Frigora si metuis, cur te non vertis in AVSTRVM?
Cur fugis in Boream? non venit inde calor.

XXI.

Tu friges, calet ALBERTVS; *vel fortior ille,*
Vel metuit tantum tangere bruma DVCEM.

XXII.

Dum fugis, inuictum ALBERTVM *maiora ferentem,*
Vel dic Oost endæ mitius esse gelu.

XXIII.

Stringitur ALBERTI *gladius, dum stringitur vnda:*
Fugisti glaciem? iam fugit ipsa; redi.

XXIIII.

Vincere vis hostem? te Brumæ frigora vincunt:
Disce pati ad CHINAS *frigora, deinde, redi.*

RISVS.

O *Bataue! neque enim Bataui, quos frigora frangunt,*
Noster ab Ostendâ non ita miles abit.

PLAVSVS.

SILVA *inuicta manet, Bataui, quam frigora & æstus,*
Defenduntque Ducis castra, Ducisq́ DEVS.

DIRÆ.

Huc, Furiæ, flammásque nouas accendite, vestro,
Qui glaciem metuunt, non satis igne calent.

OMEN.

Si fugat Autumnus propugnans frigore SILVAM,
Ostendâ Batauos, credo, fugabit Hiems.

Quibus subiungimus de obsidione Siluæducensi elenchum in Batauos ab ipsis Siluæducensibus editum.

DE

DE OBSIDIONE SILVAEDVCENSI

ELENCHVS IN BATAVOS.

QVÆ vestra, Batavi, subiit vesania menti,
Dicite? cur Domini sortem, quam protegit ipse,
Non aliter gallina suos quàm colligit alis
Expassis pullos, Siluæ temerare Ducalis
Hactenùs exactum benè virginitatis honorem
Tentastis? num vos tam cæcus fascinat error?
Ducitis hanc ipsam, quæ tot labentibus annis
Sollicitata procis fuit, inuiolatáque mansit,
Indomito Batauûm petulanti astuq́; stuprandam?
Fallimini, Superos si non curare putetis,
Virgineos Siluæ sibi caræ ardentius artus.
Quod vestri fuit ergo (precor) caput ansaq́; , turba,
Consilij? quid captabas cùm plebsq́; patresq́;
Cúmque viris matres placato Numine cœli,
Uno sanctorum colerent solemnia festo
Cunctorum, tum vos odiis furialibus acti,
Inceptaretis Superis inferre duellum.
Scilicet hæc vobis malè sano pectore fulsit
Irrita spes, populus Diuisq́; Duciq́; rebellis:
Quod simul ac vestræ tonitru reboante balistæ
Mœnia terribili quaterent adésque ruina,
Perculsum raperet studia in contraria Ciuem
Terror, vt hostili manui citò dederet vrbem.
Fallimini miseri; vestros dementia sensus
Hæc si ludificet vel spes ealactet inanis:
Nam ligat vnanimi concordia fœdere mentes
Cunctorum, quondam seu vinxit tela Sciluri,
Quæ benè constricto iungebat copula fune:
Ut muros Lacedæmonios hanc ritè vocaris,
Quæ pia constanti sic pectora firmat amore,
Unio, nec telis superanda, nec vnio morte.
Hem scio tantarum quæ sit fiducia rerum:
Hactenus insidias vastis qui struxit in vndis
Squammiferæ Batauus genti, nunc cardine rerum
Ridiculè nimium mutato, tendit in oras
Venator pia Silua tuas, quasi præda latranti
Sint tradenda gregi, pia cuncta animalia Siluæ.
Callide te tantos credo venator in ausus
Impulit hæc animi nimium fiducia vecors,
Quod nîl per Siluam ratus es palare Ducalem
Quadrupedis, præter lepores, ceruosq́; fugaces:
Qualis in occultis habitatq́; cuniculus antris:
Si quæ vel latitant vllis animalcula Siluis

Id genus, hostili saltem terrenda latratu.
Ast longo cæli tractu deceptus aberras,
Si tibi tam stolidam ludat persuasio mentem:
Ictus enim veluti piscator iam sapis, ecquos
Siluaducis nutrit Lynces, Vrsósque gementes,
Impauidásque leas, quos magnanimósque leones,
Et qui fulmineis iaculantur dentibus apros:
Quorum vi præcisa canum sunt crura pedésque
Vestrorum, vt claudis repetant sua gressibus arua.
Sed quia vos tantis iactatis in astra trophæis,
Creditis & Martis pullos, vos sanguine cretos
Bellonæ, mihi si fas est, memorate roganti:
Quidnam præclari strategematis ante Ducalem
Effectum Siluam? quassis num mœnia muris
Scandistis? terra fossas implestis an altas?
Diruta reddendo num propugnacula, Marte
Omnia terribili prostrata & victa dedistis?
Nil minus, imbelles sed conterrêre puellas,
Matres, atque nurus, pauidum muliebre timore
Debilitare genus, fremitu, tonitrúque balistæ
Maioris, nec se manui obiectare virili,
Egregios verò Martis rigidósque labores.
I nunc & magnis effer tua gesta triumphis,
I populo phaleras, Hollandia, porrige, ne mox
Vsque adeò magnas, se suppeditare queratur
Impensas, quem spe tam sæpe illudis inani.
Síque sapis posthac odio vexare superbo
Desine tam superis carum populúmque fidelem.
Sed nos Christe tibi meritum cantamus honorem,
Acceptum ferimus tibi, quòd sint omnia salua.
Tu regis arma manu ciuis, tu brachia torques,
Tu tutaris eos clypei munimine sancti
Hostiles contra insultus: tu protinùs vndis
Ceu superis fusis incendia ab ædibus arces.
Hinc tibi nos, & nati, & qui nascentur ab illis,
Festa celebrantes donis cumulabimus aras
Vsque nouis sacras, solemnia & ista colemus:
Atque Oda festo festas cantabimus odas:
Dum vagus alterna lustrabit lampade terras
Phœbus, & astrigeri voluetur machina mundi.

FINIS.

OMISSA.

CASV accidit non studio, vt in recensendo Antuerpiensi Senatu pagina 176. linea 3. quæstoris ærarij Ioannis Dekens, & collegæ Thesaurarij Iacobi de Schot, qui ante huius operis editionem ab hominibus demigrauit, virorum antiqua virtute & fide spectatissimorum, nomina prætermissa sint. Qua quidem in re non alia opinor excusatione vtendum mihi esse, quàm ea qua vtitur lib. 4. Iulius Pollux in præfatione, πολλὰ καὶ ὧν πάνυ ἴσμεν ἔστιν ὅτε ἐπὶ τὴν μνήμην οὐκ ἀπαντᾷ, ὅπου καὶ τὰ τῶν οἰκετῶν ὀνόματα, ἃ οὐκ ἂν φαίημεν ὡς οὐκ ἴσμεν, ἐκπίπτει πολλάκις χρηζόντων καλεῖν. καὶ τί δεῖ τοῦτο θαῦμα οἴεσθαι, ὁπότε καὶ τῶν σκευῶν τις ἐστιν ἃ ἔχων ἐν χερσὶν, ὡς οὐκ ἔχων ζητεῖ; hoc est; multa quæ probè nouimus memoriæ nostræ non semper succurrere: quandoquidem etiam domesticorum nomina, quæ non videmur ignorare, sæpe excidunt dum vocare volumus: sed num hoc mirum est, cùm instrumenta quæ manibus quis tenet, tanquam non habens, quærat? At quamuis hæc debeat sufficiens esse omissionis ratio, Deum tamen testem aduoco, me haud alio affectu hîc correptum fuisse, quàm obliuionis. Nec alia certè potest hîc cadere suspicio, si quis humanitatem quę in viris illis summa semper fuit, magnamque amicitiam, quæ cum ipsis mihi intercedit, propiùs consideret. Vita itaque functi manes, in beneuolentiæ nostræ signum, hoc carmine epitaphio, ad dictionem Græcam σκότος id est tenebræ, & nomen eius facta allusione, sic affari placuit:

ERRAMVS *dubij mediis dum viuimus vmbris,*
Hoc, Scote, tu nomen conuenienter habes.
Vixisti tenebris & carcere clausus in atro,
Fulget ab atheria nunc tibi luce dies.
Pro tellure polus mutatur, & orbe perennis
Gloria, pro leto vita, labore quies.

IN NARRATIONEM HISTORICAM

SIVE OPVS TRIVMPHALE IOANNIS BOCHII S. P. Q. ANTVERP. A SECRETIS,

MAXÆMYLIANI DE VRIENDT S. P. Q. GANDAVENSI A SECRETIS

Somnium ſiue Epigramma.

IN ſomnis nuper mihi mira Puerpera viſa eſt,
Mira adeò, vt viſo vix ſit habenda fides.
Nam nec femina erat, quin nec Dea, nec Deus ille
Creditus à cerebro, aut crure tumente parens.
Omnia ſed Phœbo ſimilis, niſi barba vetaret,
Toto habitu & vultu vir manifeſtus erat.
Et citharam digitis percurrere gnarus, & arcum
Tendere, & in certum figere tela ſcopum.
Aurea lingua viri, manus aurea, laurea porrò
Frons erat, ambibant laurea ſerta comas.
Illius at grauido deſudans pondere vertex
Neſcio quod magnum parturiebat opus.
Ante fores aſtans quod fama vocabat in auras,
Gratiáque arridens, Melpomenéque fauens.
Atque Honor, & claris Maieſtas fulta triumphis
Clarior à partu progreditura nouo.
Verùm operis labor, & prudens formido futuri,
Atráque Barbaries, pallidáque Inuidia.
Vix-iam víxque ſinunt trepidantem emergere fœtum,
Ni, pia vt obſtetrix, quis Deus addat opem.
Vidit, & officium Lucinæ præſtitit æquæ
Solus de Superis qui ſua terga videt.
Claue potens Ianus, latebrisq́ue repente recluſis
Mox fantem infantem proſiliiſſe iubet.
Veſte triumphali radiantem, & luce coruſcâ
Quam ſtupuit Scaldis, quam Padus, atque Tagus.
Fallor ego, an verè túne illa Puerpera Bochi es?
Aureus & partus Hiſtoria iſta tua eſt?
Auſtriadæ in Xenium Iani modò nata Kalendis,
Magna tuis Belgis gloria, magna tibi.
O felix labor, ô Partus Ioue dignus, & omnis
Noſtra Puerperio Belgica clara tuo.

IN

IN HISTORICAM NARRATIONEM PROFECTIONIS ET INAVGVRATIONIS SERENISSIMORVM BELGII PRINCIPVM, RERVM MEMORABILIVM INDEX.

A.

ABVNDANTIÆ typus. 221. 295
Abydenorum exactio. 225
Acclamationis typus. 221
Accurati Academici Ticinenſes. 104
Achæus Lydorum rex ob exactiones periit. 260
Aduerſitatis typus. 220
Aduramus ad tributa miſſus periit. 260
Æolus hoſpites naufragos in patriam reducit. 298
Æternitatis typus. 93
Aëtites lapis. 96
Affidati Academici Ticinenſes. 104
Ageſilaus ab Ephoris accuſatus quòd populi corda raperet. 382
Agricultura ordine naturæ prima pars reip. 189
Agriculturæ Dei præſides. ibid.
Albanus Dux decimam rebus venalibus vult imponere. 250
Albertus Card. ex Hiſpania proficiſcitur. 13. Sauonam appellit. 14. Luxemburgum venit. 15. Bruxellam intrat. ibid. Regis mandata de Belgio in dotem Iſabellæ dando Ordinibus exponit. 25
In Hiſpaniam proficiſcitur. 56
Albertorum & Iſabellarum è domo Auſtriaca quatuor coniugum paria. 284
Albertus I. Imperator XII. prælijs victor. 90
Alcedonia. 427
Alexander Farneſius Belgij præfectus. 21. eius encomium & ſtatua Romæ. 22
Alexandria à palea. 69
Alectoria lapis. 103
Alexander Magnus centum virgines totidem ſponſis Macedonibus nuptum dat. 202
Alexander Imp. luſtrale aurum ærario inferre vetat. 252
Alexander Seuerus laudatur quòd vectigalia contraxit. 261
Alpes Peninæ vulgò S. Gothardi mons. 106
Ambianum capitur. 24. 92
Amicitiæ typus. 206. 228
Amneſtiæ ſimulacrum. 228
Amor populi firmat imperium. 116
Amor diuinus, filialis, coniugalis, patriæ, Principum. 197
Amor Deus magnus & mirabilis. 269
Amor ignis. 303
Anconitani ob tributorum amittunt mercaturam. 252
Andreas Auria Albertum ſalutat. 14. eius ad offenſiunculam reſponſio. 96
Androdus leonem innoxium docet. 149
Annonæ inopia ſeditionis cauſa. 298
Antigoni præceptum tyrannicum. 264
Autimenis Rhodij exactio. 259
Antiſſæi exactio. 254
Antuerpiam ingrediuntur Archidd. 175
Anxietatis perſona. 220
Apes fumo fugantur. 298
Apollo & Diana Niobes filios interimont. 241
Apolline naſcente omnia in Delo aurea. 297
Approbatio dotalis Belgij reſignationis. 40
Aquilæ à Ioue emiſſæ Delphis conueniunt. 72
Aquila gneſia. 96
Aquilæ σκηπτοφόροι. 243. 244
Arx in Principum aduentu erectæ. 180
Archidami dictum de ſubditis ad inopiam redigendis. 262
Architecturæ perſona. 295
Ardam capit Albertus. 23
Ariſtidi ob tributa ſeruatæ Græciæ gloria erepta. 252
Ariſtoteles & Plato quando floruerunt. 202
Ariſtot. Rhodij exactio. 255
Arma bellica & fabrilia ſimul tractantur. 20
Armorum & litterarum ſocietas. 73
Arteſiæ propria. 113
Arteſiæ Comitum ſeries. 395
Aſtrologiæ effigies. 295
Aſtyagis ſomnium. 202
Atlas & filia laborem orbis ferendi partiuntur. 209
Athenienſium in Potidea exactio. 253
Atrebatum Principes ingrediuntur. 390
Atrebates immunes fecit Iul. Cæſar. ibid.
Atrebatum triumphus. 391
Auctoritatis typus. 276
B. Auguſtini oſſa à Luitprando in arca marmorea condita. 88
Aurora ῥοδοδάκτυλος. 184
Auſtrij Principes, ex familiis Anicia & Proba, & S. Benedicti genus ducunt. 403

B.

BARONIÆ Brabantiæ. 147
Baro Dux Dalmatarum. 193
Belgæ Gallorum fortiſſimi. ibid.
Belgarum 22. militum cum totidem Gallis pugna memorabilis. 194
Belgica tot viros abſumſit quot ad barbaros domandos ſuffecerent. 202
Belgæ nauigandi Oceani peritiſſimi. 289
Belgæ Principum ſuorum ſtudioſiſſimi cùm ſalua ſunt priuilegia. 307
Belli caſus repentini conſilia ſubita requirunt. 11
Bellum multis vtile. 117
Belli ciuilis deteſtatio. 168
Benefici homines Deo ſimiles. 191
Benignitatis typus. 221
Beneuola imperia potiora violentis. 265. 266
Beneuolentiâ ciuium regnum fulcitur melius quàm arcibus aut armis. 200
Buſani Principes excipiunt. 486

Bos iustorum victima. 87
Brabantiæ propria. 112
Breda ab hoste intercipitur. 9
Bruxella Albertum Cardinalem solemniter excipit. 16
Bruxellam Archidd. veniunt. 100. triumphus ipsis fit. 112. ibid. inaugurantur. 161
Byzantiorum pecuniæ cogendæ ratio. 253

C.

CÆSAR-AVGVSTA miraculis clara. 13
Cæsari Augusto imperium portenditur. 140
Calamitatis typus. 220
Caligula lustrale aurum exegit. 252
Callistrati exactio. 256
Calerum ab Alberto expugnatur. 23.92
Cameracum capitur. 8
Cameracensium telarum præstantia. 407
Cameracum Archidd. veniunt. 405
Candoris persona. 221
Captiuitatis typus. 220
Caracallæ vox nefaria. 251. 261
Caroli Burgundiæ Ducis symbolum. 93
Caroli v. Imperatoris de Saxoniæ Duce victoria. 95. eius patria Gandauum. 322. statua ibidem illi erecta. 327
Carolus Magnus Sarracenos vincit. 203
Caritatis annonæ typus. 220
Carthaginiensium exactio. 254
Castelletum capitur. 8
Cerberum non fuisse tricipitem. 167
Chiorum exactio. 254
Chabriæ exactio. 257
Charidemi Oritæ exactio. 258
Christophori Moridragonij ad Luppiam victoria. 8
Cicadæ nobilium Atticorum gestamen. 190
Clazomeniorum exactio. 255
Clementiæ typus. 221. 228
Clementia gratior operibus artis Imperatoriæ. 224
Clementia imperia firmissima. 266
Cleomenis Alexandrini exactio. 258
Columbus noui orbis repertor. 203
Conchæ lunæ incremento augentur. 71
Concordiæ simulacrum. 228
Condali exactio. 254
Consensus populi requiritur ad tributa imperanda. 261
Consilia salutaria præferenda iucundis. 276
Consiliariis probis vti debent Principes. 277
Consulentes recta Principibus instrumenta sunt boni seculi. 276
Constantij vox præclara. 251. factum magnificum. 262
Cordis aurei munus deuoti animi tessera. 188
Corinthia opera virginibus conueniunt. 74. 241
Cotys Thraciæ regis exactio. 257
Cremonenses Reginam excipiunt. 63
Crudelitatis typus. 226
Cupido cum cithara delphino insidet. 206
Cortracum olim Corteriacum. 345. Ibidem ingrediuntur Principes. ibid.
Cydonium malum in nuptijs. 206
Cypseli Corinthij exactio. 253
Cyzicenorum exactio. 254

D.

DAROCA miraculis clara. 13
Delus stabilita nascente Apolline. 297. 376
Democratia apibus comparatur. 298
Didalis Persæ exactio. 257
Diffidentia quid. 167
Digito monstrati laudabile. 18
Dionysij Syracusani turpis exactio. 255. eius ob exactiones contemtus. 259
Discordiæ habitus. 217
Diuitiæ Principis in opibus subditorum. 262
Doloris typus. 220
Domesticus miles quid præstet externo. 193
Dorlanum capitur. 8
Dotalis resignatio Belgij. 38
Duacensium triumphus. 378
Dux Albanus Belgij Præfectus. 21

E.

EGIGA Gothorum Rex. 216
Eloquentiæ in rep. vtilitas. 278
Emanuel Lusitaniæ Rex Indicam expeditionem primus suscipit. 216
Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ, Belgij Præfectus. 21
Emeritam coloniam deducit Augustus. 216
Encaustum, vulgò Smalthum. 185
Ephesiorum exactio. 255
Epitaphium Gerardi turmæ Grobbendoncanæ vicarij & sociorum. 196
Equites creati Louanij. 158
Bruxellæ. 163
Machliniæ. 176
Antuerpiæ. 310
Gandaui. 342
Insulis. 371
Tornaci. 377
Valentianis. 462
Equus Iulij Cæsaris pedibus propè humanis. 102
Ernesti Archiducis encomium. 7
Erroris persona. 220
Eubuliæ typus. 276
Exilij typus. 220
Exsultationis persona. 224

F.

FAMÆ effigies. 295
Famis persona. 220
Fati effigies. 295
Faustitatis typus. 221
Felicis ominis typus. 148
Felicitatis typus. 94. 230
Ferdinandi Imp. symbolum. 93
Ferdin. v. Catholicus Sarracenos profligat. 203
Ferrariæ Regina cum Alberto excipitur. 57
Ferri vsus proprius. 294
Festa viris beneficis instituta. 240
Festiuitatis persona. 221
Fiduciæ persona. ibid.
Finis gubernandi remp. beata ciuium vita. 264
Flamma in capite prodigium. 323
Flandriæ propria. 114
Flandrorum de Gallis victoria. 345
Flandriæ comitum series. 381

Fœcundi-

Fœcunditatis simulacrum. 206
Fontium Comes Belgij Præfectus. 7
Fortitudinis typus. 94. Emblema. 250
Fortunæ muliebris arcus Antuerpiæ. 241
Fortuna Primigenia. 245. Virginalis, Obsequens, Redux, Libera, Respiciens, Vicina, Bonæ spei, Stata, Adiutrix, Conseruatrix, Felix, Manens, Publica, Fortis, Equestris. ibid.
Fortuna non est in culpam conuertenda. 314
Fraudis persona. 220
Fraxini vmbram vitant serpentes. 117
Frequentiæ persona. 221
Fridericus III. Aug. pacificus Coloniam obsidione liberat. 90
Frider. Imp. Ludouicum competitorem vincit. 91
Frisiæ propria. 114
Frumentaria largitio imperij affectati signum. 298
Fuggerorum arcus triumphalis Antuerp. 284
Fur glomi filorum quomodo punitus. 83

G.

GALLIÆ Reges laudantur à tributorum remissione. 261
Gandauensis pompa & gratulatio. 319
Geldriæ propria. 113
Gelonis dictum. 261
Genij boni effigies. 206
Genuenses Reginam excipiunt. 89
Genuensium Antuerpiæ moles triumphalis. 225
Georgius Dux Saxoniæ Belgij Præfectus. 21
Georgius Prescho ob tributorum cõsilium periit. 260
Germani indigenæ. 190
Gestus ansatus. 217
Gladiatores pro μαχαιροποιοῖς. 71
Gloriæ typus. 230. 301
Grallatores ludi genus. 107
Gratiæ vestitæ. 208. 324. Virgines. ibid.
Grobbendoncanæ turmæ vicarius Gerardus in pugna cadit. 194
Groeningæ propria. 118

H.

HALLAM veniunt Archidd. 109
Haliæetus. 95
Hannoniæ propria. 113
Harmionæ ad nuptias dij dona ferunt. 206
Heracleotarum exactio. 254
Hercules sub Assyriorum monarchia. 202
Hercules ῥινοκολούστης. 260
Herculis Gallici pegma Antuerp. 265. Ogmius. ibid.
Hercules Musagetes. 266
Herculei labores. 268
Hermathenæ fornix Antuerp. 248
Hilaritatis persona. 221
Hippias vnde pecunias exegit. 253
Hipsicratea Mithridatis vxor. 197
Hircus & vitulus peccatorum hostiæ. 87
Hispanorum arcus Antuerp. 197
Hispanorum fratrum in parentes amor. ibid.
Historiæ typus. 295
Hollandiæ propria. 114
Homodoxia. 278
Homerus & Hesiodus quando floruerunt. 202
Horæ cæli ianitrices. 189
Hortulus Hannoniæ. 482
Hostilitatis simulacrum. 220
Huense oppidum recuperatur. 7
Hulstum expugnatur. 24. 92
Hydra Lernæa non fuit πολυκέφαλος. 167

I.

IANI templum Numa condidit belli pacisque arbitri. 229
Iessæa arbor apud Louanienses. 143
Ignis prælatus Augustis. 113
Ignes triumphales amoris typus. 152. 303. 344
Imperij typus. 230. 301
Imperij Turcici delendi vaticinium. 333
Impietatis persona. 220
Inauguratio Principum: Louanij in Duces Brabantiæ. 157. in Dominos Louanij. 158. Bruxellæ. 161. Machliniæ. 176. Antuerpiæ in Marchiones S.R. Imperij. 180. in Dominos vrbis. 306. Gandaui in Flandriæ Comites. 341. in Dominos Gandaui. 342. Insulis. 370. Tornaci. 377. Duaci. 388. Atrebati in Comites Artesiæ. 404. Valentianis. 460. Montibus. 469
Iniuriæ typus. 276
Instrumentum procuratorium Seren. Infantis ad capiendam Belgij possessionem. 35. Procuratorium Ordinum ad recipiendam Principem. 37
Insubriæ fluuij. 240
Insulas ingrediuntur Principes. 352
Insulensis triumphus. 353
Intenti Academici Ticinenses. 104
Ioannis I. Ducis Brabantiæ victoria. 146
Ioannis II. Brab. Ducis celebris victoria. 147
Ioannes Austriacus Belgij Præfectus. 21. eius ad Echinadas victoria. 92
Ioannes I. Lusitaniæ Rex Ceptam capit. 216
Ioan. IV. Dux Brab. Lusitanos Antuerp. priuilegijs ornat. ibid.
Ioan. Byzantius ob exactiones perijt. 260
Ioan. Hautemij Brab. Cancel. salutare consilium. 277
Iphicratis Atheniensis exactio. 257
Isabella à Pontif. Ferrariæ Alberto desponsatur. 59. nuptum datur. 100
Isabellæ Pacis conciliatrices. 241
Iubileij anni institutio. 296
Iuno Cinxia. 206
Iustitiæ typus. 94. 278. Emblema. 250
Iustitia Platonica. 280
Iusiurandum procuratorium ab Alberto Ordinibus præstitum. 53. ab Ordin. eidem præstitum. 54. reliquas iusiurandi formulas vide suprà in dictione *Inauguratio*.

L.

LABORIS paradigma. 189
Lacedæmoniorum exactio. 254
Lacrymationis typus. 220
Ladislaus fit Rex Vngariæ. 95
Lætitiæ persona. 224
Lampsacenorum exactio. 254
Laurentius Sauli Genuensium Dux. 101
Leopoldus Archid. Austriæ equitum gloria. 94
Leporarium Ticinense. 81
Liberalitatis typus. 221
Libertatis typus. ibid.
Liguriæ flumina. 229
Limburgo propria. 113

Lira opidum ab hoste capitur. 10. à ciuibus Antuerp. & Machlin. recuperatur. 11
Liuius Salinator conuicio sic dictus. 252
Lotharingiæ Principes Archidd. excipiunt. 107
Louaniensis introitus & spectacula. 137. vide, *Inauguratio.*
Lucernates Archidd. excipiunt. 107
Luctus typus. 220
Ludouicus Requensenius Belgij Præfectus. 21
S. Ludouici pium dictum. 262
Luitprandus Gothorum Rex statuam Rauennatibus ablatam Ticinensibus dedit. 83
Lusitanorum arcus triumphalis Antuerp. 209
Lusus Liberi patris filius Lusitaniæ dat nomen. 216
Luxemburgenses Archidd. excipiunt. 107
Luxemburgo propria. 113
Lygdamis Naxij exactio. 253

M.

MACHLINIÆ propria. 118
Machliniæ Archidd. excipiuntur. 163
Machliniæ subsunt pagi. 164
Machliniæ supremum consilium institutum. 165. priuilegia data. 166
Machliniensium colossus artificiosus. 165
Mahometi Turcarum Principis testamentum. 261
Magnanimitatis typus. 231
Maiestatis typus. 230. 234
Mansuetudinis typus. 221. 225
Marchionatui S. R. Imp. propria. 114
Margarita Maximil. filia Belgij gubernatrix. 21
Margarita Parmæ Dux Belgij gubernatrix. ibid.
Margarita Hispan. Regina à Venetis excipitur. 56. Ferrariam venit. 57. Philippo Regi desponsatur à Pont. 59. Mantuæ excipitur. 60. Comœdia ibi agitur summo apparatu. 62. Cremonam venit, 63. Mediolanum intrat. 64. Ticinum ingreditur. 81. Genuam inuehitur. 89. Valentiam venit. 98
Maria Hungariæ Regina Belgij gubernatrix. 21
S. Mariæ Magdalenæ brachium Ticini. 84. eius aduentus Massiliam. 97
Mars vinctus compedibus. 242
Matronæ VVeijnspergenses maritos exportant. 286
Maximiliani I. Imp. ad Ghinegatam victoria. 90
Mediolanensis in excipienda Regina triumphus. 64
Mediolanensium arcus triumphalis Antuerp. 238
Melia Nympha αὐτόχθων. 190
Memnonis Rhodij exactio. 258
Memoriæ persona. 295
Menandri Bactrianorũ Regis à subditis desideriũ. 301
Mendæorum exactio. 258
Mens secura. 221
Mentoris exactio. 258 (250
Mercibus vectigal se non impositiuros iurant Principes.
Mercurium & Mineruam colebant prisci Galli. 248
Mercatura Belgicam celebrem reddit. 248. 249
Metus imperio inutilis. 285
Midæ fabula contra exactores. 251
Militaris disciplinæ correctio. 8
Minerua Herculem in cælum ducit. 295
Miseriæ typus. 220
Missiles pecuniæ sparsæ. vide, *Inauguratio.*
Molestiæ typus. 220
Monarchia duplex, regia & legitima, violenta & tyrannica. 197
Monarchiæ quatuor, cum Imperio Germanorum & regno Hispanorum. 202
Monoceros venena fugat, vulgi opinio. 103
Mons Serratus. 13
Montibus excipiuntur Principes. 469
Muleasses Rex Imp. fit supplex. 89
Mulierum opera in pace tractanda. 241. 242. 243. 244

N.

NAIADES Bacchi nutriculæ. 183
Namurco propria. 114
Namurcenses Archidd. excipiunt. 107
Naumachia Romæ. 296
Necessitatis typus. 220
Neptunus equestris. 213
Neptunus & Amphitrite Albertum & Isabellam coronant. 287
Neptuni & Palladis contentio. 425
Neronis dictum. 251
Neruiorum laus ab antiquitate & virtute. 372
Nicephorus Imp. conuicio notatus ob exactiones. 260
Nobilitatis typus. 230
Nouatores puniuntur lege Locrensium. 160

O.

ODATIS & Zariadræ nunquam visi amor. 201
Oeneus ob contemtam Dianam bello & fame opprimitur. 242
Olympij Iouis templum quo consilio structum. 264
Olyssiponem condidit Vlyxes. 216
Ophellæ Olynthij exactio. 259
Ὀφθαλμοδουλεία improbata. 185
Opida Brabantiæ. 147
Opulentiæ persona. 224
Oratio Præsidis Richardotti ad Ordines. 48. 55
Oratio Philippi Masij ad Archidd. 82. 108
Oratio Iacobi Baij ad Archidd. 153
Oratio Iusti Lipsij ad Principes. 159
Oratio Petri Pantini ad eosdem. 162
Oratio Henrici Scotti. 176
Oratio Illustrissimi Reuerendissimique Antuerp. Episc. 281
Orbitatis typus. 220
Ordines de resignatione Belgij Regi gratias agunt. 25
Ordines malorum remedia proponunt. 26
Ordinum generalium comitia. 41
Ordines Brabantiæ Archidd. obuij. 108
Ordinum conuentus an habendi. 262
Oryx fera solem veneratur. 216
Otiosi Academici Ticinenses. 104

P.

PACIS Gallicæ articuli. 28
Pacis typus. 221
Pace & bello clari fiunt Principes. 275
Pax est tranquilla libertas. 300
Panacea aduersus omnia mala remedium. 192
Panicus terror. 336
Pastoris & Principis similia sunt opera. 192
Paulus Æmylius laudatur ob tributa remissa. 261
Paupertatis typus. 220
Pelecani philostorgia è vulgari opinione. 68
Peregrinitas odiosa. 190
Pericles dux exercitus seipsum admonet. 245
Persei & Andromedæ historia Belgis conuenit. 151

Petturbationis persona. 220
Petrus Ernestus Mansfeldiæ Comes Belgij Præfectus. 22
Philippi II. Regis ad Ordines Belgij epistola. 24.35. eius ad S. Quintinum victoria. 91. Melitæ expeditio. ibid. Ad Echinadas. 91. de Antonio Lusitano victoria. 94
Philippi III. matrimonium. 100
Philistus ob tributa periit. 260
Philoxeni exactio. 258
Philopœmenem intuentur omnes ad primum citharœdi versum. 300
Phœnicem renasci vulgaris opinio. 79
Pietas Dea. 225
Pietatis typus. 221
Pisistratus à tributorum remissione laudatur. 261
Placabilitas. 221
Plato & Aristot. quando floruerunt. 202
Plausus persona 224
Poeseos effigies. 295
Polypædiæ persona. 221
Pontificis opera in pace Gallica promouenda. 28
Pontificem inaugurandum præcedit qui clamat: Sic transit gloria mundi. 282
Potestas omnis à Deo. 276
Principis Auraici ex Hispan. reditus. 15
Principatus quis firmissimus. 307
Procleres ob consilium de tributis periit. 260
Proetides furiosæ à Melampode curantur. 243
Profectio Archid. Card. ex Hispan. 13
Proprium pro perpetuo. 212
Prosperitatis persona. 221
Prouidentia diuina per incommoda nos admonet. 209
Prudentiæ simulacrum. 229
Pugna quomodo pingenda. 220
Pyramides Ægypti quo consilio factæ. 264
Pyramidis apud Bruxellenses erectæ descriptio. 118
Pythagoras & Solon quando floruerint. 202
Pythes ciues occupatos habebat in auri fodinis. 251
Pythoclis Atheniensis de pecunia exigenda consilium. 259

Q.

QVATERNARII, senarij, & nouenarij numerorum symbolum. 206
Querimoniæ typus. 220
Quietis persona. 221.234
Quinctio Flaminino quantus plausus datus à Græcis. 224

R.

RAPINÆ effigies. 210
Ratihabitio Seren. Infantis de dote Belgij. 41
Recceesuinthus Gothorum Rex. 216
Reconciliationis typus. 221
Redemtionis persona. ibid.
Reges in deos relati. 301
Regni status quis optimus. 276
Reip. gubernandæ finis, populos diuites facere. 264
Reip. gubernatores tutoribus similes. 265
Reip. gubernatio duplex. ibid.
Remp. noscar oportet qui eam vult regere. 277
Richardotti Præsidis oratio. 42.54
Risus persona. 224
Ros quomodo depictus. 192
Rosa aurea Pontificis munus. 106
Ruc volucris omnium maxima apud Indos. 105
Rudolfo Lvaticinum datur de Imperio. 386
Rustica pubes militiæ aptissima. 352

S.

SAGVNTI ruinæ Moruedre vicus. 97
Salamandram in igne viuere vulgi opinio. 117
Salutis persona. 221
Sancti Eugenij translatio. 236
Sanctus Syrus tutelaris Ticini. 81
Saturitatis persona. 221
Saturnus & Euander Italos agriculturam docent. 192
Saturnus & Ianus Italos agrum colere docent. 229
Saturnus & Ianus Ianiculum condunt. ibid.
Saturni seculum aureum. 293
Sciluri Scythæ ad concordiam adhortatio. 107
Scipionis post Cannensem cladem factum memorabile. 197
Secularis arcus Antuerp. 293
Seculi effigies. 295.322
Secularium ludorum institutio. 296
Securitatis typus. 221.234
Sedecim matronæ pacis inter Eleos & Pisæos conciliatrices. 241
Sedendo fit anima sapientior. 266
Sedendum est iudici qui fert sententiam. ibid.
Seditionis persona. 220
Selybrianorum exactio. 255
Serenitatis persona. 295
Sibyllæ quando floruerunt. 202
Sibyllæ duodecim. 374
Siluæducenses variis artibus ab hoste petuntur. 488. obsidentur. 490. liberantur. 491
Simultatis persona. 220
Smerdis Magus tributa remittendo gratiam populi acquirit. 261
Soldurij Gallorum milites. 193
Solon & Pythagoras quando floruerunt. 202
Solreus Comes ex Hispan. reuersus ad Ordines de obita legatione refert. 135
Stabelbij Mysorum Regis exactio. 259
Strigonij expugnatio. 90
Suada Venerem coronat. 208
Sudarium Saluatoris Taurini. 14

T.

TAGASEÆ salinæ. 252
Tauri cum lupo certamen. 192
Temperantiæ typus. 94.229
Terræ simulacrum pluuiam à Ioue poscentis. 192
Thalassij effigies. 95
Theatrum magnificum Mediolani factum. 78
Theatrum sexaginta mille hominum capax. 100
Theatrum versatile Antuerp. 217
Theodoricus Francorum Rex ob tributa regno deijcitur. 260
Theseus Græciam latronibus purgat. 298
Ticinensium triumphus in Regina excipienda. 81
Ticinensium triumphus alter in excipiendis Alberto & Isabella. 101
Timoris typus. 210
Timothei Atheniensis exactio. 257
Tornacum ingrediuntur Principes. 172
Traha vehiculi genus. 177

Traiecto propria. 118
Tranquillitatis persona. 221
Transisalanæ propria. 118
Tribulationis typus. 220
Tributorum nouitas odiosa. 249
Tributorum exactio causa seditionis. 250
Tributa an sint nerui reip. 251
Tributa Deo inuisa. 252
Tributum coriarium Olenni in Frisia. 250. vrinarium. 252. lustrale, à mendicis, ab vmbra, ab aëre, cælo, vento, fumarium, stuppæ & axungiæ, capitale à seruis & liberis, à singulis membris humanis, columnarium, ostiarium. 252
Tributorum exactiones Principes contemni faciunt. 260
Tributorum inuentiones auctoribus periculosæ. ibid.
Tributa remittentes Principes populo grati. 260
Tributorum necessitas. 261
Tributa indicta ob stipendia militaria. ibid.
Tributa Principes imponere non possunt sine Ordinum consensu. 262
Tristitiæ typus. 220
Typographicam officinam Plantini nunc Ioannis Moreti Principes visunt. 310

V.

Valentia Reginam excipit. 98
Valentianas Principes intrant. 421
Valentianarum antiquitas. 430. prærogatiua. 431. aduersus Hannonios. ibid. quibus Principibus paria. 459. sepulcrum. ibid.
Valentianorum Comitum series. 431
Vastitatis typus. 220
Velabantur loca vbi pompa ducebatur. 276
Veneris Victricis pegma Antuerp. 206
Venus orta mari. 217
Veritatis effigies. 93. 221. 295
Verres Siciliæ euerriculum. 251
Vespasianus conuicio notatus ob exactiones 260
Veturia & Volumnia Coriolanum flectunt. 242
Victuria sine alis. 234
Vindictæ typus. 220
Vinum aqua diluendum. 189
Viriatus Lusitanus. 216
Virtus per se ipsam amabilis. 201
Vitunus vitæ largitor. 80
Vitulus & hircus peccatorum hostiæ. 87
Vnanimitas. 223
Vrbium condendarum priscus ritus. 323
Vrsus iræ symbolum. 217

Z.

Zariadræ & Odatis amor. 201
Zelandiæ propria. 114
Zephyrus quomodo pictus. 190
Zopyrus amore Principis seipsum mutilat. 197
Zuctaniæ propria. 114

Errata sic corrigito.

Pagina 5. linea 3. infra, affectrices, *lege* effectrices. *Pag. 17. lin. 9. inf.* suæ, *leg.* sua. *Pag. 33. lin. 2.* Finalij, *leg.* Finarij. *Pag. 58. lin. 19.* propter arduas, *leg.* propter res arduas. *Pag. 158. lin. 3. infr.* permonebunt, *leg.* permanebunt. *Pag. 167. lin. 6. infr.* illam, *leg.* illum. *Pag. 176. lin. 11.* Berghem; *leg.* Berchem. *Pag. 185. lin. 23.* lacinijs, *leg.* lacinijs. & *lin. 29.* depicti, *leg.* depictæ. *Pag. 225. lin. 9. inf.* deo, *leg.* dea. *Pag. 269.* Hermoniam, *lege* Harmoniam. *Pag. 320.* M. Franciscus de Groote, *lege* M. Guilielmus de Groote. *Pag. 322. lin. 25.* sirena, *leg.* serena. *Ibid.* magna æmula, *leg.* magnæ. *Pag. 328. lin. 14.* Entela, Eatela. *Pag. 329. lin. 10.* Pseusippo, *leg.* Speusippo. *Pag. 340. lin. 28.* Staelhof, *leg.* Stalhof. *Pag. 375. lin. 4. inf.* virtuti, *lege* virtute. *Pag. 382. lin. 5. inf.* hanc, *lege* hunc.

FINIS.

APPROBATIO.

HÆC accurata Descriptio Profectionis atque Inaugurationis SERENISSIMORVM PRINCIPVM nostrorum, conscripta per doctissimum IOANNEM BOCHIVM ciuitati Antuerpiensi à secretis existentem, nihil sacræ fidei contrarium habet, sed est vtilissima ad demonstrandum, quo animo subditi erga suos Principes esse debeant, vt competentem ipsis honorem in omnibus semper exhibeant. Quare dignam iudico vt typis mandetur, atque multorum ingenuorum hominum manibus teratur, 12. Mart. aº 1601.

Egbertus Spitholdius

Plebanus & Canonicus

Antuerpiensis.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ *Infantis Hispaniarum, Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Priuilegio cautum est; nequis Librum, cui titulus est*, Historica Narratio Profectionis & Inaugurationis Serenissimorum Belgij Principum ALBERTI & ISABELLÆ, Austriæ Archiducum, &c. Auctore Ioanne Bochio S. P. Q. Antuerpiensi à secretis, *præter voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpiensis, intra sexennium imprimat, aut alibi impressum in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémue habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna mulctabitur: vti latius patet in litteris, datis Bruxellæ* XII. *Maij*, M. D C I.

Signat.

P. Berthem.

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD IOANNEM MORETVM.
ANNO CIↃ.IↃCII.